ANALECTA FRANCISCANA

SIVE

CHRONICA ALIAQUE VARIA DOCUMENTA

AD

HISTORIAM FRATRUM MINORUM

SPECTANTIA

EDITA

A PATRIBUS COLLEGII S. BONAVENTURAE

ADIUVANTIBUS

ALIIS PATRIBUS EIUSDEM ORDINIS.

TOMUS I.





AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXV.

REVERENDISSIMO PATRI

BERNARDINO A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM MINISTRO GENERALI

REGULARIS DISCIPLINAE ET SALUTARIS DOCTRINAE

FAUTORI STUDIOSISSIMO

COLLEGII S. BONAVENTURAE ET AUCTORI ET PATRI

PRAECLARO VIRTUTIS MAIORUM NOSTRORUM AEMULATORI

HAEC RERUM IN ORDINE GESTARUM MONUMENTA

ANIMO GRATO FILIALIQUE

OFFERUNT DICANTQUE

OBSERVANTISSIMI FRATRES EDITORES

PRAEFATIO.

Provisum est Ordinis Fratrum Minorum constitutionibus saepiusque inculcatum, ut non tantum in archivis Conventuum et Provinciarum caute conserventur documenta publica, acta Capitulorum aliaque plurima monumenta studiose collecta, quae ad Conventus, Provincias totumque Ordinem spectant, sed etiam, ut chronologi sive historiographi in singulis Provinciis instituantur, qui ex officio res Ordinis memoria dignas litteris consignent ac describant. Praeterea, non pauci fratres nostri Ordinis privato labore multos libellos conscripserunt, quibus res Ordinis, quae vel antiquioribus monumentis vel propria observatione cognitas habebant, memoriae posterorum tradiderunt. Plurima huiusmodi scripta, nunquam typis edita, temporum iniuria, praesertim repetitis Conventuum spoliationibus et abolitionibus, vel omnino deleta sunt, vel quoquoversus dispersa. Alia opuscula minora typis quidem data sunt, sed fere incognita remanserunt et nunc vix inveniuntur.

Plurima quidem priorum Ordinis saeculorum monumenta collecta, excerpta, digesta inveniuntur in Annalibus Waddingi, in Orbe Seraphico P. Dominici de Gubernatis, in Chronologia historico-legali aliisque operibus. Ipsa autem magnarum illarum collectionum indoles non permisit, ut haereretur in specialioribus singularum Provinciarum et Conventuum memo-

rabilibus enarrandis. Remanet igitur post tot opera magnum spicilegium rerum, quae dignae sunt, ut ab oblivione vindicentur.

Incitati igitur consilio et adiuti opera complurium gravium Ordinis nostri Patrum, atque suffulti auctoritate R.mi nostri Ministri Generalis P. Bernardini a Portu Romatino, conati sumus ea cuiusvis generis documenta, inprimis chronica antiquiora, colligere et in lucem edere, quae idonea videntur, tum ut expleant lacunas praedictorum Annalium, tum ut pleniorem et specialiorem Ordinis nostri notitiam praebeant, tum etiam ut confratres nostros legentes efficacibus stimulis incitent ad aemulanda maiorum nostrorum praeclara virtutum et laborum exempla.

Primum hoc volumen quasi quodam experimento ante oculos ponit id quod nobis in edendis his Analectis proposuimus. Optamus profecto, ut quam plurimi Ordinis nostri Patres subsidiis et laboribus suis conferre velint ad opus hoc continuandum et perficiendum. Cum enim edenda S. Bonaventurae opera nos non parum occupatos teneant, ad aliorum auxilium nobis recurrendum est.

Quamquam in animo est, his Analectis praecipue inserere opuscula nondum typis expressa, nihilominus non excludenda nobis videntur ea opuscula, quae edita quidem sunt, sed oblivioni tradita, vel rarissima et acquisitu difficillima, dummodo maioris sint momenti. Hac ratione moti, in isto tomo denuo vulgavimus chronica Fr. Iordani de Iano et Thomae Eccleston, magis tamen emendata. Praeter singulorum Conventuum et Provinciarum chronica, etiam commentarii de vita illustrium Fratrum Minorum, descriptiones eventuum memorabilium, itineraria aliaque etiam minoris molis documenta, quae in Annalibus Ordinis non inveniuntur, at digna sunt, ut ab oblivione serventur, idoneam his Analectis materiam praestabunt.

Non opportunum visum est insistere, ut singula antiqua monumenta semper illustrentur commentariis vel notis, quibus defectus historici suppleantur erroresque corrigantur. Labor hic saepe difficilis et non nisi cum sufficienti doctrina et critices usu suscipiendus relinqui po-

test aliis scriptoribus. Nobis sufficit ipsum monumentorum textum fideliter et correcte exhibere.

Pro secundo horum Analectorum tomo, praeter alia, iam integre ex unico qui notus est codice transcripta et prelo parata sunt magna *Chronica Fr. Glasbergeri*, quorum aliquam partem duobus abhinc annis Dr. Carolus Evers publicavit. Maioris sane laboris erit editio Chronicorum, quae vocantur XXIV Generalium et Chronicorum Bernardi de Bessa, cum plures codices, qui ea exhibent et inter se interdum dissidere feruntur, diligenter conferendi sint.

Cum Summus Pontifex Leo XIII. eadem sapientia, qua anno 1879 pro restaurandis philosophicis disciplinis orbem catholicum efficacissime excitavit, novissime etiam de utilitate ac necessitate diligentis sinceraeque rerum antiquarum investigationis gravissimis litteris encyclicis diiudicaverit, atque salubribus institutionibus studia historica promoverit; speramus fore, ut haec exigua nostra studia atque minora de Minoribus monumenta non omnino spernenda ac negligenda censeantur.

In Collegio S. Bonaventurae ad Claras Aquas, 19 Novembris 1884.

Fratres editores.

OBSERVATIONES PRAEVIAE
DE OPUSCULIS HUIUS TOMI.

I. *Chronica fratris Iordani a Iano* primus edidit 1870 D. G. Voigt in Annalibus philologico-historicis societatis scientiarum regni Saxonici, eaque inscripsit *Memorabilia* (Denkwürdigkeiten) Minoritae Iordani a Giano [1]. Ipse typis expressit quoddam apographum ei relictum a suo patre, qui illud ex antiquo codice bibliothecae Universitatis Regismontanae describendum curaverat. Editor frustra quaesivit hunc codicem nec scivit, utrum adhuc existeret; qui tamen paucis abhinc annis repertus est in bibliotheca regia Berolinensi (*Manuscript. theolog. lat.* 4.°, *n.* 196, saec. XIV., folior. 141). In hoc codice post opusculum: *Speculum vitae S. Francisci et sociorum* [2], scripta sunt haec memorabilia Fr. Iordani, quae explent ultima 9 folia et incipiunt verbis: *Fratribus Ordinis.* P. Victor Albers, Provinciae nostrae Recoll. Saxoniae S. Crucis alumnus et nostro Collegio adscriptus, hunc codicem in regia bibliotheca Monacensi cum editione a D. Voigt typis tradita contulit ac diligenter notavit omnes lectiones variantes, quibus in hac nostra editione usi sumus. Insuper cl. P. Henr. Denifle O. Praed., qui nunc in archivo Vaticano munere Praefecti secundi fungitur, nobis plures lectiones variantes maioris momenti, ab ipso Berolini collectas, pro sua in nos amicitia benigne communicavit. Hae autem conveniunt cum iis, quas P. Victor notavit. Hinc editio nostra unicum quem scimus codicem huius praeclari monumenti fideliter exhibet. — Retinuimus autem divisionem capitulorum sive paragraphorum a D. Voigt factam, atque in notis ad calcem indicavimus tum locos, in quibus nostra editio differt a prima, tum omnes lectiones variantes, quae non sunt manifesta errata librarii.

Dolendum sane est, quod haec chronica, quae a Fr. Iordano dictata sunt anno 1262, ut dicitur in prologo, sint mutila, cum non procedant nisi usque ad annum 1238 et in media rerum narratione terminent. Ioan. de Komorowo in suo *Tractatu chronicae Fratrum Minorum Observantiae a tempore Constantiensis Concilii, et specialiter de Provincia Poloniae* [3], asserit, Iordanum a principio Ordinis scripsisse

---

[1] Die Denkwürdigkeiten (1207-1238) des Minoriten Iordanus von Giano, herausgegeben und erläutert von Georg Voigt. Des V. Bandes der Abhandlungen der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften n. VI, Leipzig bei Hirzel 1870.

[2] Editiones huius libri non parum discrepant ab hoc codice.

[3] Editus est hic Tractatus a D. Henr. Zeissberg (Archiv für österreichische Geschichte t. 49. p. II. Wien 1872).

chronica usque ad tempora Bonagratiae Generalis (qui electus est a. 1279). Non autem videtur probabile, ipsum Iordanum, qui anno 1262 iam senex fuit nec ipse sua memorabilia scripsit, sed Fr. Baldowino dictavit, postea narrationem suam iterum incepisse dictando ea quae Baldowinus ipse expertus erat. Probabile autem est, Baldowinum[1] continuasse chronica Iordani usque ad tempus Bonagratiae, et haec esse opusculum, quod Waddingus vocat *chronica Fr. Baldowini a Brunswick*. Insuper probabile est, Fr. Iordanum sua memorabilia extendisse saltem usque ad annum 1250; sed non novimus monumenta, quorum ope hanc quaestionem determinare possimus.

Auctores, qui postea de rebus a Fratribus Minoribus in Germania gestis scripserunt, haec memorabilia Fr. Iordani suis scriptis inseruerunt, nonnullis omissis vel mutatis, ut manifestum est ex chronicis Argentinis, in hoc volumine pag. 277 editis, nec non ex chronicis Glasbergeri, quorum aliqua fragmenta iam edidit D. Evers, et etiam ex Waddingo, qui non ipsum scriptum Iordani legisse videtur, sed res ab eo narratas sumsit ex pluribus posterioribus opusculis, inter quae nominat quoddam *chronicon Saxonicum*, hucusque nondum inventum.

Licet igitur res a Iordano narratae iam satis notae sint quoad rem principalem, tamen vix quemquam antiquitatis amantem esse putamus, qui non ipsum Iordani opusculum, candida quadem simplicitate et ingenuitate scriptum, magna animi voluptate legat.

D. Voigt, qui primus haec memorabilia edidit, multa lingua germanica praefatus est notasque plures textui subiecit, quibus hoc opusculum illustrare, et multa quae in vita S. Francisci a catholicis auctoribus narrantur, emendare nititur. Omnes antiquas de vita S. Francisci legendas tanquam fabulosas traducit, quin vitam S. Francisci a S. Bonaventura scriptam excipiat. Exaltat autem fidem et sinceritatem Fr. Iordani, qui scilicet fere nihil dicat de mirabilibus et miraculis S. Francisci, immo in uno loco (§ 60. in fine), si sequimur lectionem, quam D. Voigt eligendam esse coniicit, potius aliquem defectum humanum ei attribuerit. Ex *silentio* igitur Fr. Iordani editor nititur fidem detrahere his mirabilibus, quae narrantur vel a testibus et spectatoribus, vel a coaevis auctoribus fide dignissimis, inter quos recensendi sunt praeter S. Bonaventuram plures Summi Pontifices et Cardinales. Unicum testem fide dignum ipse proclamat esse Fr. Iordanum[2]. — Mira sane ars critica! Fr. Iordanus nullatenus de vita S. Francisci scribere profitetur, sed tantum de adventu Fr. Minorum in Germaniam, unde tantum obiter commemorat S. Franciscum — ipse, adhuc novitius, paucis tantum diebus vidit S. Franciscum in capitulo vitamque fere totam procul ab eodem transegit — ipse expressis verbis (§ 1.) lectorem quoad conversionem S. Francisci remittit ad « legendam », cui, ut ipse fatetur D. Voigt, sine dubio plenam fidem praestitit; et nihilominus D. Voigt *argumentum a silentio* hac in re contra auctores ex professo vitam S. Francisci scribentes valere opinatur! Si ita *argumentum a silentio*, in se iam satis infirmum, applicatur et amplificatur, nihil nec in historia nec in indiciis remanet stabile et immotum.

Ceteroquin minime dubitamus, quin D. Voigt alia omnino ratione quam tacentis Iordani auctoritate, vel sincera testium ponderatione compulsus sit, ut testimoniis Fr. Thomae a Celano, trium S. Francisci sociorum, S. Bonaventurae et Summorum Pon-

---

[1] Oriundus a Braunschweig.

[2] Dicit enim: « Ein solcher Zeuge steht im Gegensatze zu den Legendenschreibern einzig da ».

tificum deneget fidem. Satis apparet, eum cum multis aliis Protestantibus praeiudicata opinione duci et quasi a priori sententiam pronuntiare, nihil nisi fabulas vel poeticas fictiones esse omnia, quae de miraculis innumerabilibus innumerabilium Sanctorum per decursum tot saeculorum usque ad nostram aetatem a fide dignissimis auctoribus memoriae tradita sunt (quorum acta in immenso opere Bollandiano magna ex parte collecta sunt), ne iis quidem exceptis, quae ipsa Ecclesia post strictissimam et rei et testium iuratorum discussionem approbavit. Haec autem generalissima omnium mirabilium repudiatio manat ex falso principio naturalismi, quod praeter ordinarium rerum cursum nullus esse possit ordo supernaturalis, nulla specialis divina providentia, quae res humanas et ordinaria et extraordinaria gubernatione moderetur. — Alienum est a nostro proposito pluribus refutare hoc falsissimum principium, contra quod reclamat totius fere generis humani persuasio, reclamat omnium populorum religio, reclamat fides christiana, reclamat sana philosophia, reclamat ipsa rerum historicarum fides, quae non potest non labefieri et fluctuare, quando hac praeiudicata et falsissima opinione eludere licet probatissima testimonia humana, scilicet quia non arrident praeconceptis et vanis et sibi invicem repugnantibus auctorum opinionibus. Et non raro increduli iidem, qui fidem denegant factis probatissimis, incredibili credulitate, nullo adducto teste, fingunt et vendunt fabulas risu excipiendas. Exemplum praebet dictus editor. Temeraria enim confidentia asserere non dubitat, quod « nos Fr. Eliam judicare debemus esse eum, qui cadaveri S. Francisci intulerit vel confinxerit stigmata adeo celebrata [1] ». Quo testimonio historico hoc se scire gloriatur iste auctor? Et qua fronte sibi vindicat ius postulandi, ut ipsi improbabilissima suo tantum nomine asserenti quis praestet fidem? — Addit deinde idem auctor : « Sic in se non fuit stultum consilium, pium virum Franciscum ad tempus mittendi in remotas Orientis regiones [2] » — his verbis insinuans, ad impiam fraudem fingendae stigmatisationis praeparandam S. Franciscum missum esse in Orientem. Quae maligna interpretatio iam ipsa temporis ratione eliditur, cum S. Franciscus anno 1219 in Orientem profectus sit, anno vero 1224 in monte Alverniae s. stigmata receperit.

Quantopere mens huius auctoris inanibus opinionibus et suspicionibus praeoccupata sit, ut pessima quaeque de Religiosis catholicis temere credat, iam in principio suae dissertationis satis manifestat. Asserit enim ibi, Ordinem Franciscanum post Waddingum suae historiae parum sollicitum fuisse; cuius rei etiam hanc rationem affert, « *ne forte extraneis sagittas praebeant ad impugnandum* [3] ». Quoad hanc *intentionem*, quam D. Voigt pro neglecta in Ordine ipsi prorsus ignoto historia se invenisse gloriatur, supervacaneum est verbi iacturam facere; quoad *factum* autem sive *ipsam historiae incuriam* provocare possumus ab auctore male informato ad eundem melius informandum. Si auctor Religiosos Franciscanos accusasset, qui *ante* Waddingum vixerunt, quod posteris parum de rebus gestis et praeclaris viris scripto tradidissent, manus dare quoad *factum* non recusaremus. Nam revera, fere in omni-

---

[1] « Wie wir ihn (Elias) denn schliesslich als denjenigen ansehen müssen, der dem Leichnam des h. Franciscus die vielgefeierten Wundmale beigebracht oder angedichtet hat ».

[2] « So war es an sich keine üble Berechnung, den frommen Franciscus eine Zeitlang ins ferne Morgenland zu entrücken ».

[3] « Seit Wadding hat sich der Franciscanerorden um seine Geschichte wenig mehr bekümmert... *um nicht etwa den Draussenstehenden Pfeile zum Angriff darzubieten* ».

bus illius aetatis Ordinibus religiosis, sive propter negligentiam, sive propter quandam modestiam, sive propter inveteratam consuetudinem, silentio neglecta sunt multa, quae memoria digna nobis videntur. Sed quoad aetatem *Waddingo succedentem* dicendum est, hunc auctorem suis laboribus maiorem in hac re curam et diligentiam excitasse multosque alios Patres stimulasse, ut vestigiis ipsius studiose insisterent. Quod satis comprobant libri ab eisdem relicti, quos accusator saltem pro maiore parte ignorasse videtur. Ipsi Annales, a Waddingo anno 1625 incepti et octo tomis magnis usque ad annum 1540 deducti, post eius mortem (✝ 1657) et aucti et continuati sunt. Nam P. Anton. Melissanus de Macro scripsit horum Annalium *Supplementum*, post mortem ipsius a P. Anton. M. de Turre ab Augusta Praetoria anno 1710 Augustae Taurinorum editum. Deinde opera P. Ioseph M. Fonsecae secunda editio Annalium locupletior facta est 16 tomis (Romae 1731-47). Tres alios tomos adiecerunt P. Ioannes de Luca et Ioseph Maria de Ancona. Vigesimum tomum, qui excurrit usque ad annum 1574, edidit P. Caietanus Michelesi Romae 1794, tamen hic raro invenitur, cum maxima pars exemplarium incendio perierit. — In hoc nostro saeculo post tot Ordinis discrimina P. Stanislaus Melchiorri de Cerreta quatuor tomos Annalium edidit, quorum primus prodiit Anconae anno 1844, quartus vero anno 1860; alium quintum reliquit ut opus postumum, qui ab A. R. P. Eusebio Fermendzin M. O., Definitore Generali et Ordinis Chronologo, revisus, nunc typis nostri Collegii imprimitur et iam fere absolutus est. Epitomen Annalium Waddingi edidit Romae 1662, in 2 tomis in folio, discipulus eius P. Franciscus Haroldus, qui et vitam Waddingi scripsit.

Aliud opus ingens, inscriptum *Orbis Seraphicus*, post Waddingum incepit P. Dominicus de Gubernatis, qui secundum longum programma, ab eodem Romae editum, documenta pro explendis 35 voluminibus in folio collegerat. Auctor tamen. morte correptus, non nisi quinque volumina perfecit; quorum primum prodiit Romae anno 1682; in quinto auctor inchoavit historiam Missionum Ordinis Seraphici. Continuatio quaedam historiae de Missionibus Ordinis *posterioribus*, scripta ab alio auctore, nunc typis nostri Collegii prodit, curis A. R. P. Marcellini a Civetia M. O., Definitore Generali, qui clarus est editis multis libris, et praesertim magna et insigni historia Missionum Ordinis nostri [1], cuius tom. I. lucem aspexit Romae anno 1857, et tom. VII. Pratis anno 1882.

Tertio loco recensemus opus magni momenti, a pluribus auctoribus concinnatum sub titulo *Chronologia historico-legalis*, cuius tom. I. editus est Neapoli anno 1650 (in folio) et tom. V. Romae anno 1795; tom. VI. iam scriptus remansit hucusque ineditus. — Alia opera minoris molis, ad historiam Ordinis spectantia, fere innumerabilia post Waddingum scripta sunt, quorum maxima pars remansit inedita. Magnum horum elenchum videre licet in indice ad Opus Sbaraleae, cui titulus: *Supplementum et castigatio ad Scriptores Ordinis Minorum*, sub voce Historia pag. XLVI; praecipue autem in egregio opere laudati P. Marcellini a Civetia (Civezza): *Saggio di bibliografia geografica, storica, etnografica Sanfrancescana*, Prato 1879, in quo recensentur 819 libri vel manuscripta, quorum magna pars ad rem nostram facit. Tacemus de tot libris scriptis de Vitis Sanctorum, de Legendario Franciscano (12 tom. in 4.), de continuatione *Chronicorum Marci Ulyssiponensis*,

[1] Storia Universale delle Missioni Francescane.

edita a Daza. — Quoad historiam Ord. Min. in Germania et Austria, nominari merentur opera P. Vigilii Greiderer, *Germania Franciscana,* 2 tom. fol.; P. Fortunati Hueber, *Menologium Franciscanum*, fol., nec non *Triplex chronica* (Dreifache Chronik des Ordens des h. Franc.); P. Massaei Kresslinger, *Ortus et Progressus Ord. S. Franc.;* P. Placidi Herzog, *Cosmographia Austriaca Franciscana*, (vide infra n. III.), et Belgae P. Petri van den Haute, *Breviarium historiarum Ord. Min.*, Romae 1777. Multa alia minora opuscula videri possunt in utilissimo libro A. R. P. Gaudentii, nunc Definitoris Generalis: *Beiträge zur Kirchengeschichte* des XVI. und XVII. Iahrhunderts, Bozen 1880. Non pauca chronica adhuc latent in bibliothecis.

Respectu historiae S. Francisci bene observat cl. P. Ehrle S. I. [1], quod D. Voigt multa invenisset sibi utilia in pluribus libris in Italia scriptis et ipsi incognitis, qui sunt: Irenaeus Affò, *Vita del B. Giovanni di Parma*, Parma 1777. — *Vita di Fr. Elia,* Parma 1783. — Antonius Azzoguidi, *Animadversiones critico-historicae ad vitam S. Antonii*, impressae ante Sermones (S. Antonii) in Psalmos, Bononiae 1757, 2 vol. 4.° — Benoffi, *Storia Minoritica.* — Nic. Papini, *Notizie sicure della morte, sepoltura, canonizzazione e traslazione di S. Franc.* ed. 2., Fuligno 1824. — *La storia di S. Francesco di Assisi*, Fuligno 1825-27, 2 vol. 4. — Praecipue autem laudandus est liber paulo post editionem primam Iordani editus: *Storia compendiosa di S. Francesco e de' Francescani* per Fr. Pamfilo da Magliano, Roma 1874. — Tandem silentio praeterire nolumus P. Sbaraleae egregios labores, nempe iam citatum *Supplementum* ad Waddingi Scriptores Ord. Min., et *Bullarium Franciscanum,* 4 tom. fol., cui P. Flaminius Annibali de Latera adiecit *Supplementum,* Romae anno 1780. Item memoretur P. Ioannis a S. Antonio *Bibliotheca universa Franciscana,* Matriti anno 1732.

Ipsi autem Ministri Generales et Capitula Generalia iteratis decretis inculcarunt, tum ut omnia documenta historica in archivo uniuscuiusque Conventus diligenter colligerentur, tum ut chronologus Provinciae omnia memorabilia fideliter litteris mandaret, tum (ad maiorem sinceritatem et fidem in scribendis rebus gestis procurandam) ut rerum gestarum narratio in libellis, a chronologo confectis et ad unumquodque Capitulum generale mittendis, totius Definitorii subscriptione confirmaretur sigilloque sanciretur. Magna igitur fide et sinceritate ex parte Ordinis cautum est, ne fabulae fictaeque « legendae », ut placet praedicto editori, depravarent rerum gestarum veritatem. Non inutile esse putamus, inter plurima documenta, quae hanc Superiorum Ordinis sollicitudinem demonstrant, unum exempli causa ad calcem transcribere, quod fortuito prae manu est, et quod praefigitur relationi cuidem ineditae, quae in fine subscriptione et sigillo Provinciae Hispaniae, de qua agitur, munita est [2].

---

[1] Kritische Mittheilungungen über die ältesten Lebensbeschreibungen des h. Franciscus, Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck 1883, Heft 2. pag. 323-352; 389-397. Cfr. etiam Heft 4. p. 767-774.

[2] Fr. Petrus de Torrenueva, in hac Provincia S. Ioannis Baptistae Fratrum Minorum discalceatorum regularis ac strictioris observantiae Seraphici Patris nostri S. Francisci Minister Provincialis et servus, simul cum carissimis F. F. Definitoribus eiusdem Provinciae, scilicet Fr. Michaele Salas, sacrae theolog. Lectore, Custode; Fr. Blasio Palan, sacrae theolog. Lectore; Fr. Bartholomaeo Patrano, Praedicatore; Fr. Isidoro Putierrez, Praedicatore; et Fr. Salvatore Anellan, Praedicatore; Definitoribus: omnibus praesentes litteras inspecturis salutem in eo qui est vera salus. — Cum R.mus Pater noster Fr. Marcus Zarzossa, Lector iubilatus et totius nostrae seraphicae Religionis in

Haec sufficiant, ut aequus lector iudicare possit, utrum bene informatus fuerit D. Voigt, cum scripsit, Ordinem Minorum post Waddingum suam historiam neglexisse.

Neque idem auctor dicere poterit, omnes istos auctores clausis oculis sequi ducem Waddingum, atque ipsos omisisse illum corrigere, ubi errat, vel non supplevisse, ubi eius libri lacunas habent. Sufficit enim evolvere dictos libros, ut perspiciatur, iam dudum non paucos errores, defectus, lacunas Waddingi notatos, correctos vel explicatos esse, inter quos etiam ii recensendi sunt, quos D. Voigt primus detexisse sibi videtur. Insuper, si legisset libros memoratos, idem auctor facile potuisset cavere a pluribus erroribus, in quos ipse incautus incidit, ut videri potest in laudato scripto a cl. P. Ehrle vulgato.

Tunc fortasse D. Voigt etiam supersedisset, nimis acri censura et contemptione insectare Waddingum. Sane quod errare, praesertim in rebus historicis, humanum sit, ipse acerbus Waddingi iudex proprio exemplo in exiguo suo opusculo satis demonstrat. Sed Waddingus, qui primus immensam documentorum molem collegit et indefesso labore et sincera fide digessit, habita illius qua scripsit aetatis ratione, laude et admiratione dignissimus est, licet plura posteris corrigenda et addenda reliquerit et interdum, scriptoribus posterioris aetatis nimis fidens, paulisper bona fide declinaverit in tramitem devium. Non negamus, hoc ei accidisse etiam quoad aliqua facta ad vitam S. Francisci spectantia, praesertim in chronologia. Sed accurata annorum in vita S. Francisci determinatio etiam nunc pluribus difficultatibus et dubiis est obnoxia, cum nec auctores clare tempora indicent, nec eiusdem operis varii codices in numero annorum semper consentiant. Exemplum huius rei sit auctorum differentia de tempore, quo in capitulo, Assisii habito, fratres primo extra Italiam in alias Europae terras missi sunt. De hoc capitulo Iordanus dicit (§ 3.): « Habitum est anno Domini 1219 », et addit: « anno conversionis eius decimo », infra autem (§ 10.) legitur « videlicet anno conversionis eius XIII ». Verba: *anno conversionis eius decimo*, vel errorem continent, vel dicendum esset, hoc loco vocabulum *conversionis* significare *perfectam* illam saeculi abrenuntiationem, quae coincidit cum ipsa institutione Ordinis anno 1209, ut dicit Iordanus § 2. — Idem annus 1219 etiam in aliis antiquis monumentis assignatur ut tempus dictae missionis, v. g. in Codice Vindobonensi n. 3417 fol. 4, teste cl. P. Henr. Denifle O. Praed., qui hoc nobis benigne indicavit. Non autem desunt codices, qui annum, in quo facta sit illa missio, cum Waddingo

---

in hac cismontana familia Commissarius generalis, sub praecepto s. obedientiae et sub poena suspensionis officiorum nostrorum et aliis, arbitrio suae R.mae Paternitatis non obedientibus imponendis, per suas litteras datas in conventu S. Francisci Hispalis die 7. Iulii anno 1684 et ad nos transmissas, nobis praeceperit, quod convocato nostro definitorio idoneum religiosum eligerimus, qui causas Beatorum et Servorum Dei ex triplici Ordine seraphici Patris nostri S. Francisci ad praefatam nostram Provinciam attinentes, tam in ordine ad canonizationem sive ad beatificationem, quam illorum qui cum publica fama sanctitatis obierint, colligat atque de singulis notitias huiusmodi authenticas, et *praevio iuramento a toto definitorio approbatas, subscriptas sigilloque munitas* ad suam R.mam Paternitatem quantocius transmittere teneamur. Quapropter praefato mandato humiliter obedientes, convocato et rite congregato nostro definitorio in conventu S. Ioannis Baptistae civitatis Valentiae, die 2. Decembris anno 1684, ad praefatum mandatum exsequendum Fr. Franciscum a Fuentes, theolog. moral. Lectorem elegimus, ei praecipientes, quod suae R.mae Paternitatis praeceptum, iuxta formulas in eisdem litteris datas, ea vigilantia et brevitate, qua possit, exsecutioni mandaret, qui fecit, et sequitur.

parum probabiliter computant esse 1216. Sic enim legitur in Tractatu Ioan. a Komorowo iam laudato: « 1216, conversionis eius decimo, habito capitulo apud S. Mariam de Portiuncula... misit fratres in Franciam, Theutoniam, Ungariam et Hispaniam ». Item in Chronicis anonymis, in hoc tomo editis (pag. 279), prima missio fratrum in Germaniam attribuitur anno 1217. Hinc patet, Waddingum, etiamsi in illo anno computando erraverit, tamen non ex proprio ingenio, sed ex quadam traditione locutum esse. — Si quis autem vult, quod iam ante missionem anno 1219 factam alia missio praecesserit, provocare poterit ad ipsum Iordanum (§ 7.), qui ibi aliud quoddam capitulum supponere videtur, quod nominato anno 1219 praecesserit.

II. Secundum opusculum hucusque ineditum, scilicet *Missio Seraphica in imperio Sinarum* (pag. 21), nobis communicavit et edidit cl. P. Marcellinus a Civetia Min. O. cum suo socio P. Theophilo Domenichelli, qui etiam aliquas notas opportunas textui addiderunt.

III. *Cosmographia Franciscano-Austriacae Provinciae* (pag. 41), hucusque inedita, continet medullam maioris operis eiusdem tituli et ab eodem auctore, sed posterius elaboratum atque Viennae anno 1740 evulgatum. De auctore huius Cosmographiae, P. Placido Herzog, ipse editor minoris opusculi, A. R. P. Eusebius Fermendzin, Min. O., Ordinis Definitor Gener. et Chronologus, nobis tradidit, quod scripsit *Historiam ecclesiasticam*, etiam hucusque ineditam, cuius manuscriptum asservatur Viennae in bibliotheca Conventus S. Hieronymi. Ab eodem Patre accepimus etiam quasdam notitias, ex praefatione maioris Cosmographiae excerptas, quae et de auctore, qui per 15 annos fuit secretarius suae Provinciae, et de opusculo hic edito non nihil nos docent, et quae hic sequuntur.

« Dum reverendissimus P. Franciscus a S. Severino, utriusque Familiae Commissarius generalis... quatenus nos quoque... Provinciae Austriacae eiusdemque Conventuum initia documenta... daremus, mandatum adiecisset... maiores nostri rerum colligendarum curam mihi (aliunde seu ab exarandis seu archivo aut protocollo inserendis arcanis litteris per quindecim annos Provinciae Ministri ad manus) confidenter imposuere. Quare promptissimum iussis morem gesturus, documenta, quae ad rem facere videbantur, ex abditis archivorum scriniis... laconico charactere conscripsi ac Romam ad nostrum reverendissimum P. Crescentium Krisper, tunc Superiorem et utriusque familiae Commissarium generalem, debita cum submissione direxi »... « Terminata autem a me Romamque synoptice transmissa totius Provinciae descriptione... operi huic (i. e. maiori Cosmographiae Viennae 1740 editae) protinus manum admovi ».

Cum opus maius et impressum raro in ipsa Germania inveniatur et in Italia aliisque terris vix sit cognitum; operae pretium esse videbatur imprimere hoc Compendium, ab ipso auctore ex officio compositum.

In isto manuscripto, ceteroquin bono, sed ab auctore ipso, ut videtur, non confecto, nonnulli loci vel omissione aliqua vel errore scribentis sunt mendosi et vix intelligibiles; quos interdum perfecte corrigere non potuimus, quia illud manuscriptum non in multis immutare, sed tantum edere nobis propositum erat.

IV. *Fratris Thomae Eccleston liber de adventu fratrum Minorum in Angliam* (pag. 215) primo editus est Londini anno 1858 a I. B. Brewer, in libro inscripto *Monumenta Franciscana*, qui est pars magnae collectionis, quae expensis Gubernii Britannici vulgatur et inscribitur: *Rerum Britannicarum medii aevi scriptores*. Vo-

lumen a Brewer editum primo loco continet opusculum Fr. Thomae; deinde epistolas plurimas Fr. Adam de Marisco, et in fine multa minora documenta ad fratres Minores spectantia, quorum ea quae maioris sunt momenti, in appendice adiecimus. In praefatione satis ampla et Anglica lingua scripta editor, licet protestantismo addictus, laudabili iudicat aequitate pluraque in laudem Ordinis profert. Cum autem idem nec institutum nostrum nec plures auctores nostros, historiam Ordinis illustrantes, sufficienter cognoscat, non raro fallitur. — In eadem praefatione (pag. LXII seq.) plura dicuntur de duobus manuscriptis, nempe Eboracensi (a nobis signatur cod. A) et altero, quod asservatur in bibliotheca Cottoniana (Nero A IX, apud nos cod. B) et fragmenta opusculi Fr. Thomae continet. Fragmentum codicis B incipit cum collatione IX. nostrae editionis sive pag. 255. Etiam in ultima collatione plura sumta sunt ex solo cod. B, vel quia in cod. A deerant, vel quia ibi scriptura legi non poterat. Hinc patet, maiorem partem opusculi in editione prima niti auctoritate unici manuscripti.

Cum autem postea in alio codice distinctum a priore fragmentum horum chronicorum inventum sit, D. Richard. Howlett in II. volumine operis *Monumenta Franciscana* (Londini 1882) illud edidit et in notis ad calcem adiectis indicavit lectiones huius codicis, quae ab editione Brewer dissident. Incipit hic cod. (nobis C) in collatione I. ab his verbis: « Id ipsum apud Slopisbyriam », et excurrit usque ad finem collationis VI. (pag. 252). In praefatione (pag. XLIV seqq.) D. Howlett de hoc codice tractat et relinquit incertum, utrum hoc fragmentum primitus pars fuerit codicis Cotton. (B), quo iam usus est Brewer; quae hypothesis valde probabilis esse videtur.

In nostra editione adornanda saepe lectiones huius codicis C (qui in genere praeferendus est codici A) in textum recepimus. — Ex tribus pagellis, quae arte lithographica formam scripturae codicum A et B exprimunt (Fac-simile) quaeque sunt in editione Brewer, intelleximus, primum editorem aliqua verba, notis compendiariis (siglis) scripta, perperam interpretatum esse; unde suspicari licet, etiam in aliis locis hoc accidisse. Haec menda sane accuratiore codicum collatione emendari possent, quod nobis ob locorum distantiam nimiam fecisset difficultatem. — Confidimus autem, fore ut hi qualescumque defectus, quos in emendando textu hinc inde tollere non potuimus, non deterreant lectorem, ne libenti animo fruatur pretioso hoc antiquitatis Franciscanae monumento.

Waddingus pluries quidem commemorat Thomam Eccleston; tamen non nisi quaedam excerpta ex ipsius libro novisse videtur; de quo loquitur Brewer, Praefat. pag. LXIV seqq.

V. *Chronica anonyma* (pag. 277), edita ab A. R. P. Luca Carey, exstant Romae in bibiotheca conventus S. Isidori. Iisdem usus est Waddingus, cui etiam alia duo antiqua chronica, de fratribus Minoribus Germaniae tractantia, ad manus erant, quae nunc desiderantur. Licet haec chronica multa fere ad verbum repetunt, quae leguntur in memorabilibus Fr. Iordani, tamen integra recipienda videbantur.

VI. et VII. Haec duo opuscula (pag. 301 et 369), in quibus studio duorum Patrum, qui munere Provincialis in suis Provinciis functi sunt, multa memorabilia duarum Provinciarum compendiose in uno conspectu ponuntur, satis demonstrant, quanti momenti pro historia totius Ordinis conficienda foret, si unaquaeque Provincia suas res memorabiles saltem simili compendio comprehenderet. — Brevi postquam opusculum priori loco positum typis expressum est, cl. auctor eiusdem P. Antonius

Maria a Vicetia, repentino morbo confectus, de vita migravit die 22 Iunii 1884; de qua immatura egregii Patris morte nos omnesque, qui ipsum noverunt, non parum lugemus. Natus Vicetiae 4 Martii 1834 clarus fuit virtute, indefesso labore, plurimis scriptis, quorum elenchum ipse exhibuit pag. 333, 339, 341 seq. 344, 346, 348, 349. Oratio funebris in laudem defuncti recitata typis Collegii nostri hoc anno impressa est [1].

VIII. Appendix (pag. 413) excerpta ex codice Vaticano continet, de quo in nota ad calcem necessaria dicta sunt.

---

[1] Elogio funebre al M. R. P. Antonio da Vicenza Ex-Ministro Provinciale e attuale Custode della Riformata Provincia Veneta di S. Antonio, letto dal P. Giovanni da Rovigno, Lettore Teologo, nelle solenni Esequie il dì XXII Luglio 1884, trigesimo della sua morte.

CHRONICA

FRATRIS IORDANI A IANO[1]

ORD. FRATRUM MINORUM.

PROLOGUS.

Fratribus Ordinis Minorum per Theutoniam constitutis frater Iordanus de Iano vallis Spoletanae in praesenti in bonis perseverantiam et in futuro cum Christo gloriam sempiternam. Cum, me referente aliquoties aliqua de primitivorum fratrum in Theutoniam missorum et conversatione et vita, fratres plerique audientes aedificarentur, a multis multoties sum rogatus, ut et narrata et alia, quae ad memoriam revocare possem, conscriberem, et annos Domini, quibus fratres in Theutoniam missi sunt, et quibus hoc vel illud accidit, annotarem. Sed quia, ut dicit auctoritas, *crimen ariolandi est nolle acquiescere, et scelus idololatriae nolle obedire*[2], fratrum devoto desiderio statui annuere, maxime fratre Baldawino de Brandenburg me ad hoc instigante, qui et sponte et a fratre Bartholomaeo, tunc Ministro Saxoniae, iussus se obtulit ad scribendum.

Anno ergo Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo post[3]... capitulum Halberstadense in dominica *Iubilate* celebrato (sic) in loco capituli remanentes, me narrante et fratre Baldawino scribente, utcumque desiderio satisfacere. Et siquidem bene hoc et ipse velim, sin[4] autem condescendendum est, quia, ut scitis, ut minus[5]

---

[1] Ianum, italice *Giano*, est oppidulum in dioecesi Spoletana. A tempore S. Francisci habuit parvum Conventum Fratrum Minorum. In cod. scribitur *Yane*.

[2] I. Reg. 15, 23. Vulgata: Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere.

[3] In codice est lacuna. Textus in hac et sequenti propositione manifeste corruptus est, ut iam observavit primus editor G. Voigt. Sed nihil coniectando immutavimus.

[4] Ed. 1. *uni*.

[5] Ed. 1. cum cod. *unus;* sed videtur esse mendum. Fortasse respicitur II. Cor. 11, 23: Ut minus sapiens dico.

sapiens hoc aggrederer, vos me coegistis. Super annorum vero numero sicubi per oblivionem, utpote iam senex et debilis, ut homo erravi[1], veniam postulo a lectore, monens, ut ubicumque me errasse invenerit, caritative corrigat et emendet. Similiter et stilum scriptoris et ruditatem dictaminis qui verbis magis politis ornare voluerit, bene volumus. Sufficit nam materiam dedisse dictatoribus eximiis et dictandi arte politis[2].

Consideranti mihi[3] meam et aliorum, qui mecum sunt missi in Theutoniam, humilitatem et Ordinis nostri, qui nunc est[4], statum et gloriam, in memetipso confusus divinam in corde meo extollo clementiam, et ad vos extollere cogor hanc vocem apostolicam[5]: *Videte, fratres, vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem*, qui Ordinem nostrum sua sapientia confinxerunt[6], *non multi potentes*, qui ipsum violenter servandum indixerunt, *non multi nobiles*, ob quorum favorem observandum susceperunt; *sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: et ignobilia mundi elegit Deus et contemptibilia et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Ad gloriandum ergo in Deo, qui hunc Ordinem sua sapientia adinvenit et per servum suum Franciscum mundo in exemplum posuit, et non in homine, quando et qualiter et per quos ad nos devenerit, in sequentibus manifestius apparebit.

---

1. Anno Domini 1207 Franciscus, vir negotiator officio, compunctus corde, afflatus Spiritu sancto, in habitu eremitico modum poenitentiae est aggressus. Et quia de modo conversionis eius[7] satis in Legenda declaratur, hic supersedemus.

2. Anno Domini 1209, anno conversionis suae tertio, audito in Evangelio[8], quod Christus discipulis suis ad praedicandum missis dixit, statim baculo et pera et calceamentis depositis, habitum mutavit et eum quem fratres nunc portant, assumpsit, imitator evangelicae paupertatis effectus et sedulus Evangelii praedicator.

3. Anno vero Domini 1219 et anno conversionis eius decimo frater[9] Franciscus in capitulo habito apud sanctam Mariam de Portiuncula misit fratres in Franciam, in Theutoniam, in Hungariam, in Hispaniam et ad alias provincias Italiae, ad quas fratres non pervenerant.

---

[1] Ed. I. *errans.*

[2] Ed. I. recte observat, melius legendum *peritis.*

[3] Incongrua est constructio pro: dum considero. Similia menda contra grammaticae regulas pluries infra occurrunt.

[4] Cod. perperam *et.*

[5] I. Cor. 1, 26-29.

[6] Cod. *confinxerint.*

[7] Ed. I. omittit *eius.*

[8] Luc. 10, 4.

[9] D. Voigt probabiliter putat, pro *frater* legendum esse *tertio* (decimo tertio), ut infra n. 10 legitur. Sed alia ratio ab eodem addita, scil. S. P. Francisco non convenire nomen *frater*, sed nomen *pater*, manifeste est falsa, et ab ipso Iordano erroris convincitur infra n. 17.

4. Fratres vero, qui in Franciam venerunt, interrogati, si essent Ambigenses, responderunt, quod, non intelligentes, quid esset Ambigenses, nescientes, tales esse haereticos, et sic quasi[1] haeretici sunt reputati. Episcopus vero et magistri, tandem eorum regulam perlegentes et evangelicam et catholicam videntes, super hoc dominum papam Honorium consuluerunt. Qui eorum regulam authenticam, utpote a Sede firmatam, et fratres speciales[2] filios Romanae Ecclesiae et vere catholicos suis litteris declaravit, et sic eos a suspicione haeresis liberavit.

5. In Theutoniam vero missi sunt fratres Iohannes de Penna cum fratribus fere 60 vel pluribus. Hi cum partes Theutoniae introissent et linguam ignorantes interrogati, si vellent hospitari, comedere vel huiusmodi, responderunt *ia*, et sic a quibusdam benigne sunt recepti. Et videntes, quod per hoc verbum *ia* humane tractarentur, ad quaelibet interrogata *ia* debere respondere decreverunt. Unde accidit, ut interrogati, si essent haeretici et si ad hoc venissent, ut Theutoniam inficerent, sicut et Lombardiam pervertissent, et respondissent *ia*, quidam incarcerati et quidam denudati nudi ad choream sunt ducti et spectaculum ludicre hominibus sunt effecti. Videntes ergo fratres, quod fructum in Theutonia facere non possent, in Italiam sunt reversi. Ex quo facto Theutonia a fratribus tam crudelis est reputata, ut ad ipsam nisi desiderio martyrii inspirati redire non auderent.

6. Fratres vero in Hungariam missi per quendam episcopum Hungariae per mare in Hungariam sunt conducti, et cum derisi per campos incederent, pastores ipsos canibus impetierunt et aversa cuspide sub silentio incessanter eos lanceis percusserunt. Et cum inter se fratres conquirerent, quare sic mactarentur[3], dixit unus: « Forte quia tunicas nostras superiores habere volunt ». Quas cum dedissent, nec sic a verberibus destiterunt. Et adiecit: « Forte etiam et nostras tunicas inferiores habere volunt ». Quas cum dedissent, nec sic percutere desierunt. Et dixit: « Forte et braccas nostras habere volunt ». Quas cum dedissent, a verberibus destiterunt et nudos abire permiserunt. Et mihi retulit unus ex eisdem fratribus, quod XV[4] vicibus ipse sic bracas amiserat. Et cum, pudore et verecundia victus, plus de braccis quam de aliis vestibus doleret, ipsas braccas luto boum et aliis immunditiis polluit, et sic ipsi pastores super eis nauseam habentes ipsi braccas retinere concesserunt. Et hi aliis pluribus contumeliis affecti in Italiam sunt reversi.

7. De fratribus vero, qui in Hispaniam transierunt, quinque sunt[5] martyrio coronati. Utrum autem illi quinque fratres de isto eodem capitulo, vel de praecedenti, et[6] frater Helias cum sociis suis ultra mare missi fuerunt, vel non, dubitamus.

8. Cum autem fratrum praedictorum martyrium, vita et legenda ad beatum Franciscum delata fuisset, audiens se in ea commendari, et videns fratres de eorum passione gloriari, cum esset sui ipsius maximus contemptor et laudis et gloriae aspernator, legendam respuit et eam legi prohibuit dicens: « Unusquisque de sua, et non de aliena passione glorietur ». Et ita tota illa prima missio, quia forte tem-

---

[1] Ita cod., sed ed. 1. *quia*.
[2] Ita cod., sed ed. 1. *spirituales*.
[3] Ed. 1. coniiciendo posuit *tractarentur*.
[4] Infra n. 18 habetur *VI*, sed apparet in cod, ibi aliquid esse erasum.
[5] Cod. et ed. 1. *sub*, sed videtur esse mendum librarii.
[6] Ed. 1. non bene posuit *ut* pro *et*.

pus mittendi adhuc non venerat, cum omnis rei tempus sit sub coelo [1], ad nihilum est deducta.

9. Frater autem Helias minister provincialis est institutus ultra mare a beato Francisco. Ad cuius praedicationem quidam clericus, nomine Caesarius, ad Ordinem est receptus. Iste Caesarius, vir theutonicus de Spira natus et subdiaconus, magistri Conradi de Spira [2], praedicatoris crucis et post Hildesiensis episcopi, in theologia discipulus fuit. Hic adhuc saecularis existens magnus praedicator et evangelicae perfectionis imitator fuit. Ad cuius praedicationem dum in civitate sua matronae quaedam, deposito ornatu, humiliter incederent, viri earum indignati ipsum quasi haereticum incendio tradere voluerunt. Sed per magistrum Conradum ereptus, Parisius est reversus, et post, solemni facto passagio, mare transiens, ad praedicationem fratris Heliae, ut dictum est, ad Ordinem est conversus et vir magnae doctrinae et exempli est effectus.

10. His itaque dispositis, animadvertens Pater beatus, quod filios suos ad passiones miserit et labores, ne, aliis laborantibus propter Christum, ipse quietem suam quaerere videretur, cum esset gloriosus animo et nollet, aliquem [3] se praecellere in via Christi, sed magis prae omnibus praecellens esse, cum filios ad incerta pericula miserit et inter fideles, ipse amore passionis Christi fervens eodem anno, quo alios fratres misit, videlicet anno conversionis XIII, ad certa maris pericula transiens ad infideles, se ad soldanum contulit. Sed antequam perveniret ad ipsum, multis iniuriis et contumeliis est affectus et linguam ipsorum ignorans inter verbera clamabat: «Soldan, soldan»! Et sic ad ipsum perductus, gloriose est ab ipso receptus et in infirmitate humane pertractatus. Et cum apud ipsos fructum facere non posset et redire disponeret, per soldanum armata manu ad christianorum exercitus, qui tunc Damiatam obsedit, est perductus.

11. Beatus autem Franciscus, cum beato Petro Cathaniae [4], iuris perito et Domino [5] legum, mare transiens, reliquit duos vicarios, fratrem Matthaeum de Narnio et fratrem Gregorium de Neapoli. Matthaeum vero instituit ad S. Mariam de Portiuncula, ut ibi manens recipiendos ad Ordinem reciperet, Gregorium autem ut circumeundo Italiam fratres consolaretur. Et quia secundum primam regulam fratres feria quarta et sexta, et per licentiam beati Francisci feria secunda et sabbato ieiunabant et omni carnali feria carnes comedebant, isti vicarii cum quibusdam fratribus senioribus Italiae unum capitulum celebrarunt, in quo statuerunt, ut fratres diebus carnalibus carnibus procuratis non uterentur, sed sponte a fidelibus oblatas manducarent. Et insuper statuerunt, ut feriam secundam ieiunarent cum aliis duobus diebus, et ut feria secunda et sabbato sibi lacticinia non procurarent, sed ab eis abstinerent, nisi forte a devotis fidelibus offerrentur.

12. Super quibus constitutionibus, eo quod praesumpserant aliquid addere regulae sancti Patris, quidam frater laicus indignatus, assumptis secum illis constitutio-

[1] Eccle. 8, 6: Omni negotio tempus est et opportunitas; et multa hominis afflictio.

[2] Cod. constanter *Spira*, et mox *Hyldensemiensis* pro *Hildesiensis* (civitatis *Hildesheim*).

[3] Ed. 1. *aliquid*, sed legendum potius *aliquem*.

[4] Cod. *Cathonie*, sed infra n. 14 *Cathanie*.

[5] Ita vocabantur doctores iuris; cfr. Du Cange, Glossarium, sub voce *Dominus*. Errat Voigt dicens, hoc vocabulum hic sensu carere, et pro eo arbitrarie substituens *divinarum*.

nibus, sine licentia vicariorum transfretavit. Et ad beatum Franciscum veniens inprimis culpam suam coram ipso dixit, veniam petens super eo, quod ad ipsum sine licentia accessisset, hac necessitate inductus, quod vicarii, quos reliquerat, super suam regulam novas leges adiicere praesumpsissent, insuper adiiciens, quod Ordo per totam Italiam turbaretur tam per vicarios quam per alios fratres nova praesumentes. Constitutionibus perlectis, cum beatus Franciscus esset in mensa et carnes appositas ad manducandum coram se haberet, dixit fratri Petro: « Domine Petre, quid faciemus »? Et ille respondit: « Ha [1] domine Francisce, quod vobis placet, quia potestatem habetis vos ». Et quia frater Petrus vir litteratus erat et nobilis, beatus Franciscus propter suam urbanitaten ipsum honorando dominum appellavit. Et haec mutua reverentia fuit inter ipsos tam ultra mare quam in Italia. Et sic tandem beatus Franciscus intulit: « Comedamus ergo secundum Evangelium quae nobis apponuntur ».

13. Eodem tempore fuit ultra mare pythonissa quaedam, quae multa vera praedixit, unde et lingua illa veridica est appellata [2]... « Redite, redite, quia per absentiam fratris Francisci Ordo turbatur et scinditur et dissipatur ». Et hoc verum fuit. Nam frater Philippus, qui erat zelator dominarum pauperum, contra voluntatem beati Francisci, qui omnia per humilitatem maluit vincere quam per iudicii potestatem, impetravit litteras a Sede apostolica, quibus dominas defenderet et turbatores earum excommunicaret. Similiter [3] et frater Iohannes de Conpello, collecta magna multitudine leprosorum et virorum et mulierum, Ordini se subtraxit et fundator novi Ordinis esse voluit. Regulam quandam conscripsit et pro ipsa confirmanda se cum suis Sedi apostolicae praesentavit. Et praeter haec quaedam alia turbationum exordia in beati Francisci absentia, sicut illa veridica praedixerat, sunt exorta.

14. Beatus Franciscus, assumptis secum fratre Helia et fratre Petro Cathaniae et fratre Caesario, quem frater Helias minister Syriae, ut dictum est supra, receperat, et aliis fratribus, rediit in Italiam. Et ibi causis turbationum plenius intellectis, non ad turbatores, sed ad dominum papam Honorium se contulit. Ad fores ergo domini Papae Pater humilis iacens, cubiculum tanti principis perstrependo pulsare non audebat, sed eius spontaneum egressum [4] longanimiter exspectabat. Quo egresso, beatus Franciscus, facta ei reverentia, dixit: « Pater Papa, Deus det tibi pacem ». At ille: « Benedicat te Deus, fili ». Et beatus Franciscus: « Domine, cum sis magnus et magnis saepe praepeditus negotiis, pauperes ad te accessum habere saepe non possunt nec tibi loqui, quoties necesse habent. Multos mihi papas dedisti, da unum, cui, cum necesse habeo, loqui possim, qui vice tua causas meas et Ordinis mei audiat et discutiat ». Ad quem Papa: « Quem vis, ut dem tibi, fili »? Et ille: « Dominum Ostiensem ». Et concessit. Cum ergo beatus Franciscus domino Ostiensi, papae suo, causas turbationis suae retulisset, litteras fratris Philippi in continenti revocavit, et frater Iohannes cum suis cum verecundia a Curia est repulsus.

15. Et sic turbationibus, Domino favente, subito sedatis, Ordinem secundum sua statuta reformavit. Et videns beatus Franciscus fratrem Caesarium sacris litteris

[1] Ita cod.; ed. I. *Ita*. Etiam Glassberger habet *Ha*.

[2] Aliqua verba, ut: quae dixit, excidisse videntur, sicut notavit ed. I.

[3] Ed. I. *Scilicet*, contradicente cod. — Iohannes de Conpello idem est qui vulgo vocatur Iohannes de Capella.

[4] Ed. I. *aggressum*.

eruditum, ipsi commisit, ut regulam, quam ipse simplicibus verbis conceperat, verbis Evangelii adornaret. Quod et fecit. Et quia fratres de diversis rumoribus, quos de beato Francisco audierant, aliis dicentibus ipsum mortuum, aliis occisum, aliis submersum, plurimi turbati fuerant, intelligentes, quod viveret et quod iam rediisset, prae gaudio nova lux eis oriri visa est. Beatus autem Franciscus statim ad Sanctam Mariam de Portiuncula indixit capitulum generale.

16. Anno ergo Domini 1221, decimo kalendas Iunii, indictione 14, in sancto die Pentecostes beatus Franciscus apud Sanctam Mariam de Portiuncula celebravit capitulum generale, ad quod capitulum secundum consuetudinem Ordinis, quae tunc erat, tam professi quam novitii convenerunt. Et aestimati sunt fratres, qui tunc convenerant, ad tria millia fratrum. Isti capitulo interfuit dominus Reynerius, diaconus cardinalis, cum pluribus episcopis et aliis religiosis. Ad cuius mandatum episcopus quidam missam celebravit, et beatus Franciscus creditur tunc evangelium legisse, et frater alius epistolam. Fratres autem, cum pro tot fratribus aedificia non haberent, in campo spatioso et circumsepto sub umbraculis habitabant, comedebant et dormiebant, viginti tribus mensis ordinate et distincte et spatiose compositis. Ad istud capitulum serviebat populus terrae mente promptissima, panem et vinum abunde ministrantes, gavisi super congregatione tantorum fratrum et reditu beati Francisci. In hoc capitulo beatus Franciscus, assumpto themate: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad praelium* [1], fratribus praedicavit, et docens virtutes et monens ad patientiam et ad exempla mundo demonstranda. Similiter fiebat sermo ad populum, et fiebat aedificatio in populo et in clero. Quanta autem tunc temporis inter fratres fuerit caritas, patientia, humilitas et obedientia et fraterna iocunditas, quis valet explicare? Tale enim capitulum tam in fratrum multitudine quam ministrantium solemnitate non vidi in Ordine. Et licet tanta erat fratrum multitudo convenientium [2], tam hilariter populus omnia ministrabat, ut post VII dies capituli fratres sint compulsi portam claudere et nihil recipere, et insuper duos dies remanere, ut expenderent iam oblata et recepta.

17. In fine autem huius capituli, videlicet quando [3] iam capitulum erat terminandum, venit in memoriam beato Francisco, quod Ordinis aedificatio in Theutoniam non venisset. Et quia beatus Franciscus tunc debilis erat, quidquid ex parte sui capitulo dicendum erat, frater Helias loquebatur. Et beatus Franciscus, sedens ad pedes Heliae fratris, traxit eum per tunicam. Qui inclinatus est ad ipsum, quid vellet, auscultavit et se erigens ait: « Fratres, ita dicit Frater » — significans beatum Franciscum, qui quasi per excellentiam a fratribus *frater* dicebatur — « Est quaedam regio Theutonia, in qua sunt homines christiani et devoti, qui, ut scitis, saepe terram nostram cum longis baculis et largis ocreis [4], laudes Deo et Sanctis eius de-

---

[1] Ed. I. omittit verba *docet manus meas ad praelium*, ac pro iis perperam substituit verba *ad plene*.

[2] Cod. *cum*, quod vel omittendum est, vel a librario suppositum est pro verbo *convenientium* abbreviate scripto, ut acute suspicatus est Voigt.

[3] Ita cod.; ed. I. *cum*.

[4] Cod. et ed. I. *cereis*, sed Glassberger et Waddingus habent *ocreis*. Voigt dicit hoc esse verbum inane, cum potius hic praeferendum sit, vel prout significat quoddam genus *calceamentorum*, ut asseritur in Iosephi Laurentii Amalthea onomastica, vel prout significat quoddam *vas* ex pelle hircina pro deferendis liquoribus, ut vult Du Cange, Glossarium.

cantando, in sudore et solis ardore transeunt et limina Sanctorum visitant. Et quia ad eos aliquoties missi fratres male tractati redierunt, nullum ad ipsos ire compellit Frater, sed qui zelo Dei et animarum inspirati ire vellent, eandem eis obedientiam, immo ampliorem dare vult, quam daret euntibus ultra mare; et si qui essent qui ire vellent, surgerent et in partem se traherent ». Et desiderio inflammati surrexerunt circiter 90 fratres, morti se offerentes et seorsum, sicut iussi fuerant, secedentes, exspectabant responsum, qui et quanti et qualiter et quando ire deberent.

18. Erat autem tunc temporis quidam frater in capitulo, qui consuevit in orationibus suis Domino supplicare, ne sua fides corrumperetur ab haereticis Lombardiae, aut a fide mutaretur per ferocitatem Theutonicorum, et ut ab utrisque ipsum dignaretur Dominus misericorditer liberare. Qui videns, multos fratres surgere paratos ad eundum in Theutoniam, aestimans, eos statim a Theutonicis martyrizandos, et dolens, quod fratres missos in Hispaniam et martyrizatos nominetenus non noverat, volens in istis cavere, quod sibi acciderat in illis, surgens de medio omnium ivit ad illos, discurrens per singulos et quaerens: « Quis es et unde es »? aestimans, gloriam magnam esse, si ipsos martyrizari contingeret, quod dicere posset: « Illum novi, et illum novi ». Inter quos fuit quidam frater nomine Palmerius, diaconus, qui postea in Magdeburg guardianus factus est, vir iocundus et hilaris, de finibus Apuliae de Monte Gargano oriundus. Ad quem cum frater ille curiosus venisset et interrogasset: « Quis es et quis vocaris », et ille respondisset: « Palmerius vocor », iniecta ei manu subintulit: « Et tu ipse noster es et nobiscum ibis », volens ipsum secum ducere ad Theutonicos, pro quo Dominum rogaverat iam pluries, ut ipsum mitteret quo vellet, praeter ad ipsos. Et ille nomen Theutonicorum abhorrens respondit: « Non sum de vestris, sed nosse volens vos ad vos veni, non animo vobiscum eundi ». Et ille iocunditate sua praevalens, ipsum detinuit et renitentem et verbis et factis ad terram secum detraxit et inter alios secum sedere coegit. Et interim, cum haec agerentur, et inter alios detineretur ille frater curiosus, adscriptus est alii provinciae et proclamatur: « Talis frater vadat ad talem provinciam »! Interim autem, cum fratres illi 90 exspectarent responsum, datus est minister Theutoniae frater Caesarius Theutonicus, de Spira, ut dictum est, natus, habens potestatem eligendi de illis 90 quos vellet. Et cum fratrem illum curiosum inter alios invenisset, monitus est ab aliis, ut ipsum secum duceret. Et cum ad Theutonicos invitus iret et constanter diceret: « Non sum de vestris, quia animo eundi cum illis non surrexi », ductus est ad fratrem Heliam. Fratres autem provinciae illius, quibus adscriptus fuerat, hoc audientes, eo quod debilis esset, et terra, ad quam ibant, frigida, ipsum retinere contendebant; frater autem Caesarius ipsum secum ducere modis omnibus affectabat. Quam litem frater Helias sic diremit dicens: « Praecipio tibi, frater, per sanctam obedientiam, ut deliberes finaliter, an ire velis, an dimittere ». At ille per obedientiam constrictus, cum dubitaret quid ageret, eligere timuit propter conscientiam, ne, si eligeret, voluntatis suae esse videretur; ire timuit propter Theutonicorum crudelitatem, ne si in passionibus patientiam perderet, in anima periclitaretur. Et ita inter utrumque perplexus et consilia in semetipso non inveniens, accessit ad fratrem multis tribulationibus probatum, qui VI vicibus braccas in Hungaria perdiderat, ut dictum est, et ab eo consilium requisivit dicens: « Frater carissime, sic mihi praeceptum est; et eligere timeo, et quid agam ignoro ». At ille: « Vade ad fratrem Heliam et dic: Frater, nec ire volo nec manere, sed quidquid mihi praeceperis, hoc fa-

ciam: et ita te ab hac perplexitate liberabis ». Quod et fecit. Quo audito frater Helias praecepit ipsi in virtute sanctae obedientiae, ut cum fratre Caesario in Theutoniam properaret. Iste est frater Iordanus de Iano, qui hoc vobis scribit, qui tali eventu in Theutoniam venit, qui furorem Theutonicorum, quem horruit, evasit, qui Ordinem Minorum cum fratre Caesario et aliis fratribus primitus in Theutonia[1] plantavit.

19. Primus minister Theutoniae fuit frater Caesarius, qui, sollicitus de obedientia sibi iniuncta utiliter adimplenda, assumptis secum fratribus Iohanne de Plano Carpinis, praedicatore in latino et lombardico, et Barnaba Theutonico, praedicatore egregio in lombardico et theutonico, et Thoma de Celano[2] qui legendam sancti Francisci et primam et secundam postea conscripsit, et Ioseph de Tarvisio[3], et Abraham Hungaro, et Simone Tusco, filio comitissae de Colazon, et Conrado Theutonico clerico, et Petro sacerdote de Camerino, et Iacobo et Waltero sacerdotibus, et Palmerio diacono, et fratre Iordano de Iano diacono, et quibusdam[4] fratribus laicis, videlicet Benedicto de Solato Theutonico, et Henrico Sweico et pluribus aliis, quorum nomina in memoria non habeo. Fuerunt tamen in universo 12 clerici et 15 laici. His ergo frater Caesarius assumptis, quia ipsemet, utpote homo devotus, beatum Franciscum et alios sanctos fratres invitus deseruit, de licentia beati Francisci socios sibi datos per domos in Lombardia divisit, ut in illis suum verbum exspectarent. Ipse vero in Valle Spoletana moram fecit fere per tres menses. Et cum iter arripere disponeret in Theutoniam, vocatis fratribus suis, fratrem Ioannem de Plano Carpinis et fratrem Barnabam et quosdam alios misit ante faciem suam ad praeparandum sibi et fratribus suis locum in Tridentum, aliis fratribus per ternos et quaternos subsequentibus.

20. Congregatis igitur fratribus successive venientibus ante festum beati Michaelis in Tridento, a domino episcopo Tridentino benigne per dies VI sic successive veniendo sunt recepti. In festo autem sancti Michaelis frater Caesarius sermonem fecit ad clerum et frater Barnabas ad populum. Ad quorum praedicationem quidam civis de Tridento, vir dives, theutonica et lombardica lingua eruditus, nomine Peregrinus, fratribus novis tunicis superioribus et inferioribus vestitis, et reliquis rebus suis omnibus venditis et pauperibus distributis, ad Ordinem est receptus.

21. Frater vero Caesarius, convocatis in Tridento fratribus suis factaque admonitione de humilitate ac patientia custodienda, binos ternosque confoederans, unum temporalibus et alium spiritualibus praeficiens, ante se praemisit in Bulsanum[5]. Et ibidem dominus episcopus Tridentinus fratres successive venientes per dies aliquot sustentavit et dedit eis licentiam in sua dioecesi praedicandi. De Bulsano vero in Brixinium venientes, benigne a loci episcopo sunt recepti. De Brixinio vero montana intrantes post prandium hominum venerunt Sterzingae. Et cum homines panem ad manum non haberent, et fratres mendicare nescirent, sperantes, quod in sero venirent, ubi pietate hominum reficerentur, venerunt Mittenwalde, ubi cum magna pe-

---

[1] Ed. I. *Theutoniam*, refragante cod.

[2] In cod. *de Zelano.*

[3] Cod. *Tervisio* vel cum ed. I. *Trevisio;* italice *Treviso.* Pro *Colazon* cod. *Colaron.*

[4] Ed. I. *quibus,* refragante cod. et contextu.

[5] Cod. *Bozanum,* et deinde *Brixnia* (theutonice *Brixen*, italice *Bressanone*).

nuria de duabus buccellis et septem rapis malum famis misere et sitim gaudio cordis temperabant, immo potius provocabant; et collatione habita inter se, quomodo ventrem vacuum implere possent, ut post laborem septem milliariorum quietem noctis peragerent, decreverunt, ut de aqua puri fluentis praetereuntis biberent, ne venter vacuus murmuraret. Mane autem facto, famelici et vacui surgentes coeptum carpebant iter, et cum ad dimidium milliare processissent, coeperunt oculi deficere, crura tabescere et genua infirmari a ieiunio et toto debilitari corpore; unde et prae angustia famis vellicabant de spinis et de diversis arborum et herbarum speciebus poma, quae reperierunt in via. Et quia sexta feria erat, ieiunium solvere metuebant. Videbantur tamen aliquantulum refocillari eo ipso, quod poma diversarum arborum et ruborum portabant, ut si extrema necessitas urgeret, haberent quod manducarent. Et sic nunc pausando, nunc lente procedendo difficulter Matreium[1] pervenerunt. Et ecce Deus, cui derelictus est pauper, pauperum suorum sollicitus providit, ut cum oppidum intrarent, obviam haberent duos viros hospites, qui ipsis duos denariacos panes emerunt. Sed quid hoc inter tantos? Et quia tempus raparum tunc erat, mendicando rapas, quod pani deerat, rapis suppleverant[2].

22. Facto ergo prandio, magis referti quam refecti, processerunt, et ita per villas et castella et monasteria transeundo Augustam pervenerunt, ubi a domino episcopo Augustensi et a vicedomino nepote suo, maioris ecclesiae canonico, benignissime sunt recepti. Ipse enim dominus Augustensis tanto affectu ad fratres ferebatur, ut singulos ad oscula reciperet et cum osculo dimitteret. Vicedominus vero cum tanto eos affectu recepit, ut a curia sua cederet, et fratres in ipsa collocavit[3]. Insuper et a clero et a populo benigne sunt recepti et reverenter salutati.

23. Anno Domini 1221 circa festum Galli frater Caesarius, minister Theutoniae primus, convocatis fratribus suis numero 31 in Augusta, factoque ingressu Theutoniae, capitulo primo[4] misit inde fratres ad diversas provincias Theutoniae. Praemisit autem fratrem Iohannem de Plano Carpinis et fratrem Barnabam praedicatores in Herbipolim. Qui inde transierunt in Moguntiam et in Wormatiam et in Spiram et in Argentinam et in Coloniam, se hominibus ostendentes et verbum poenitentiae[5] praedicantes et fratribus subsequentibus hospitia praeparantes.

24. Et de eodem capitulo frater Caesarius misit fratrem Iordanum de Iano cum duobus sociis, Abraham et Constantino, in Salzburg. Qui ab eiusdem loci episcopo benigne recepti sunt. Et alios tres fratres cum fratre Iosepho misit Ratisbonam. Frater vero Caesarius, praecedentium vestigia subsecutus, fratres vero verbo et exemplo in bono confirmabat.

25. Eodem anno frater Caesarius veniens Herbipolim recepit ad Ordinem iuvenem habilem et litteratum, nomine Hartmodum, quem Italici nominare nescientes Andream appellabant, eo quod in die beati Andreae ad Ordinem est receptus. Qui in brevi sacerdos et praedicator factus est et custos Saxoniae postmodum[6] est effectus. Simi-

---

[1] Cod. Matrei (Matrey).

[2] Ed. I. *suppleverunt*, refragante cod.

[3] Ita cod.

[4] Ed. I. *prime;* sed codicis lectio ambigua est.

[5] Ed. I. perperam *prime*.

[6] Ita cod.; ed. I hic et paulo inferius *postmodo*.

ter et recepit quendam laicum, nomine Rodegerum[1] qui postmodum in Halberstadt factus est guardianus et magister disciplinae spiritualis beatae Elisabeth, docens eam servare castitatem, humilitatem et patientiam, in orationibus invigilare et operibus misericordiae insudare. Similiter et recepit quendam laicum, nomine Rudolfum.

26. Anno Domini 1222 frater Caesarius tot iam fratres, tam clericos quam laicos, receperat, quod, fratribus de civitatibus vicinis convocatis, capitulum primum provinciale in Wormatia celebraret. Et quia locus, in quo fratres recepti erant, arctus erat nec ad celebrandum et praedicandum propter multitudinem aptus, habito consilio episcopi et canonicorum, quoad celebrandum et praedicandum in maiori ecclesia convenerunt, canonicis in unum chorum sese coarctantibus, alterum chorum fratribus reliquerunt, fratre vero Ordinis missam celebrante et choro contra chorum certatim cantante, divinum officium cum magna solemnitate peregerunt.

27. De hoc capitulo frater Caesarius misit duos cum litteris pro fratribus, qui erant in Salzburg, qui ad capitulum non venerant, ut, si vellent, ad ipsum venirent. Isti vero, qui se totum obedientiae dederant, ita ut nihil suae voluntatis perficere vellent, non modicum turbati super conditione in littera posita, scilicet « si venire vellent », dixerunt: « Eamus et quaeramus, cum nihil velimus, nisi quod ipse vult, cur nobis sic scriptum ». In via vero constituti, cum gustandi gratia ad villam quandam venissent, bini et bini per villam mendicantes, responsum habebant theutonice *God berad*, quod latine dicitur: Deus vos adiuvet, immo potius[2], « Deus vobis provideat ». Unus ex ipsis videns, quod ad illud verbum eis nihil daretur, cogitavit et etiam dixit: « Istud *God berad* hodie nos interficiet ». Et praecurrens fratrem, qui quotidie mendicabat, coepit latina lingua mendicare. Et responderunt Theutonici, « Nos latinum non intelligimus, loquere nobis theutonice ». Et frater corrupte proferens dixit: *nicht iudisch*[3], quia latine dicitur *nihil theutonici*, subaudi *scio*. Et adiecit theutonice: « Brot durch Got ». At illi: « Mirum est, dicendo theutonice dicis, te nescire theutonicum », et adiecerunt: *God berad*. Et frater exultans in spiritu et subridens et simulans, se ignorare, quid dicerent, posuit se in bancum et sedit. Unde vir et mulier, sese mutuo respicientes et subridentes, propter improbitatem eius dabant ei panem, ova et lac. Videns igitur[4], quod tali simulatione utili sibi et fratrum suorum necessitati posset subvenire, per duodecim domos simili modo transiens tantum mendicabat, quod septem fratribus sufficiebat. In eadem via constituti venerunt in sancto die Pentecostes ante missam in quandam villam. Ibi et missam audierunt. Et quidam ex ipsis communicavit. Et populus villae super[5] simplicitate fratrum et humilitate adeo est compunctus, ut coram fratribus genua flecterent et eorum vestigia honorarent. Et inde transeuntes Herbipolim et Moguntiam et Wormatiam venerunt Spiram. Et ibi invenientes fratrem Caesarium et plures fratres congregatos,

---

1 D. Voigt notat, hoc esse verum nomen illius fratris, quem Gonzaga nominat *Rodogerium*, Waddingus *Rodingerum*. Paulo post ed. 1. habet *minime* pro *misericordiae*.

2 Ed. 1. omittit haec quinque verba praecedentia.

3 Ita cod., quod significat *non iudaice*. Hoc iste frater « corrupte » dixit pro *nicht diutisch*, vel *nicht diutsch* (ita in idiomate antiquo Germaniae superioris dicebatur pro *deutsch*).

4 Ed. 1. *ergo*.

5 Ed. 1. *similiter*, refragante cod.

ab eis, sicut moris erat, benignissime sunt recepti et super[1] eorum adventu devotissime iocundati. Frater vero culpatus a fratribus, quare sic scripsisset, se excusando et intentionem suam exponendo ipsis satisfecit.

28. Eodem anno, qui fuit annus secundus, quo fratres venerant in Theutoniam, cum frater Caesarius, minister Theutoniae, in Colonia et in supradictis civitatibus fratres collocasset et paucitatem haberet sacerdotum, ita ut unus novitius sacerdos in Spira et in Wormatia in magnis sollemnitatibus fratribus celebraret et eorum confessiones audiret, eodem anno fecit tres promoveri, videlicet Palmerium, de quo dictum est supra, et Abraham Hungarum et Andream Theutonicum, qui ante Hartmodus vocabatur.

29. Anno Domini 1223, tertio kalendas Decembris confirmata est a domino Honorio III. papa regula fratrum Minorum.

30. Eodem anno, 13[2] kalendas Aprilis, frater Caesarius fecit quartum sacerdotem in ordine promoveri, videlicet fratrem Iordanum de Iano Vallis Spoletanae, qui fere per unam aestatem alternatis vicibus solus fuit in Wormatia et Moguntia et Spira. Et eodem anno fratrem Thomam de Celano custodem instituit in Moguntia, Wormatia et Colonia et Spirea.

31. Eodem anno frater Caesarius, vir totus contemplativus, evangelii et paupertatis zelator[3] maximus — adeo erat acceptus fratribus, ut ipsum post beatum Franciscum quasi sanctissimum venerarentur — ipse tandem frater Caesarius attediatus et habens desiderium videndi beatum Franciscum et fratres vallis Spoletanae, Ordine iam in Theutonia plantato, assumptis secum fratre Simone, qui nunc dicitur Sanctus in Spoleto, et quibusdam aliis honestis fratribus et devotis, fratre Thoma, qui tunc custos unicus erat, vicario instituto, venit ad beatum Franciscum vel fratrem Heliam et benigne ab ipso et ab aliis fratribus est receptus. Et in capitulo, quod eodem anno apud Sanctam Mariam de Portiuncula celebrabatur, frater Caesarius a ministerii officio, cum annis duobus praefuisset, est absolutus, et ibidem eidem frater Albertus de Pisa est substitutus.

32. Cum fratre autem Alberto de Pisa transmissi sunt de Italia viri honesti et litterati, videlicet frater Marcius de Mediolano et frater Iacobus de Tarvisio et frater Anglicus iurisperitus et alii quamplures.

33. Frater ergo Albertus Pisanus, minister secundus Theutoniae, in Theutoniam veniens, convocatis senioribus fratribus Theutoniae, videlicet fratre Iohanne de Plano Carpinis et fratre Thoma, vicario et custode unico, et quibusdam aliis, celebravit capitulum in nativitate beatae Virginis in Spira[4] extra muros apud leprosos. Ibi tunc temporis guardianus fuit frater Iordanus, qui in eodem capitulo missam solemniter decantavit. In quo capitulo, de statu et dilatatione Ordinis sollicitate cogitantes, fratrem Marcium custodem Franconiae, et fratrem Angelum de Wormatia custodem Bavariae et Sueviae, et fratrem Iacobum custodem Alsatiae et fratrem Iohannem de Plano Carpinis custodem Saxoniae statuerunt.

---

[1] Ed. 1. iterum *similiter*.

[2] Hic numerus in cod. est ambiguus.

[3] Ed. 1. perperam et refragante cod. *celator*.

[4] Ed. 1. *Spira*, refragante cod.

54. Cum fratre vero Ioanne de Plano Carpinis Saxoniam intraverunt frater Ioannes, et frater Wilhelmus Anglici, et frater Aegidius Lombardus clericus, et frater Palmerius sacerdos, et frater Reynaldus sacerdos de Spoleto, et frater Rodegerus Theutonicus laicus, et frater Rokkerus laicus, et frater Benedictus Theutonicus laicus et frater Tichmarus laicus, et frater Emmanuel de Verona sartor.

55. Hi omnes venientes Hildesiam a domino Henrico de Tosseym [1] canonico primo sunt recepti et bene recreati. Deinde se praesentantes domino Conrado episcopo, magno praedicatori et theologo, ab ipso gloriose sunt recepti. Qui, inquam, episcopus convocato civitatis suae clero, fratrem Ioannem de Plano Carpinis, primum custodem Saxoniae, fecit clericorum multitudini praedicare. Sermone vero finito, dominus episcopus fratrem Ioannem et fratres Ordinis sui clero et populo recommendans, ipsis et praedicandi et confessiones in sua dioecesi audiendi auctoritatem dedit. Ad fratrum vero praedicationem et exemplum multi ad poenitentiam compuncti se Ordini reddiderunt. Quorum unus fuit Bernardus, filius comitis de Poppenburch, maioris ecclesiae canonicus, et Albertus, magister puerorum, vir litteratus, et quidam Ludolfus et quidam miles. Orta autem ibidem turbatione de recessu quorundam fratrum ab Ordine, gratia populi tepuit erga fratres, ita ut cum indignatione ipsis eleemosynam ministrarent et quasi aversis vultibus respicerent mendicantes. Subito autem, Dei providentia cooperante, gratia amissa refloruit, et populus ad amorem fratrum, ut coeperat, est reversus.

56. Anno Domini 1223 frater Iohannes de Plano Carpinis, Ordinem dilatans, misit plures discretos fratres in Hildesiam et in Brunopolim [2] et in Goslariam et in Magdeburgum et in Halberstadium.

57. Anno Domini 1224 facto provinciali capitulo in Assumptione beatae Virginis in Herbipoli, custodibus, guardianis et praedicatoribus convocatis, fratrem Iohannem absolutum ab officio in Coloniam transmiserunt, et fratrem Iacobum, custodem Alsatiae, virum gratiosum, mansuetum, modestum et pium, custodem Saxoniae secundum ordinaverunt, mittendo secum de senioribus fratribus Ordinis tam clericis quam laicis, qui sua humilitate et exemplo vitae valde [3] apud clerum et populum breviter in gratia profecerunt.

58. Eodem anno frater Albertus de Pisa, minister Theutoniae, videns incrementum Saxoniae, et quod per Thuringiam erat transiturus de Saxonia ad Rhenum, misit fratrem Iordanum guardianum de Moguntia cum septem fratribus, (ut) in Thuringia domos reciperet [4] et fratres in locis competentibus collocaret.

59. Frater vero Iordanus cum fratribus suis de Moguntia iter veniendi in Thuringiam VI° kalend. Novembris arripuit et in die sancti Martini Erfordiae pervenit. Et quia hiems erat (et) tempus aedificandi non erat, de consilio burgensium et aliquorum clericorum collocati sunt fratres in curia sacerdotis leprosorum extra muros, usque dum burgenses de statu fratrum melius ordinarent.

---

[1] D. Voigt notat, quendam canonicum Henr. de Tossem allegari a Lüntzel, Geschichte der Diöcese und Stadt Hildesheim. — Pro *Hildesiam* cod. habet Hildenseym (Hildesheim).

[2] In cod. *Brunswic,* theutonice nunc *Braunschweig.*

[3] Ed. I. *virtutumque,* sed cod. habet vitiose *valle* pro *valde.*

[4] Cod. *reciperent,* sed deinde *collocaret.*

40. Fratres autem, qui (cum) fratre Iordano missi sunt, hi erant: frater Hermannus de Witense[1] sacerdos, novitius et praedicator, et frater Conradus de Herbipoli subdiaconus, novitius, frater Henricus de Herbipoli subdiaconus, novitius, frater Arnoldus clericus, novitius, laici vero frater Henricus de Colonia, frater Gernotus[2] de Wormatia, frater Conradus Sueviae. Et istos subsecuti sunt frater Io.... de Colonia et frater Henricus de Hilden.

41. Anno vero Domini 1225 frater Iordanus misit fratres laicos per Thuringiam ad explorandum statum civitatum. Eos autem subsequebatur et aliquoties praecedebat frater Hermannus sacerdos, novitius et praedicator. Qui veniens in Isenacum[3], ubi olim cappellanus fuerat et unde reddiderat se ad fratres domus theutonicae, cum populo pluries praedicasset, ad praedicationem eius et exemplum conversationis eius, quod de tanto commodo, quod habuerat in domo fratrum theutonicorum, ad tam humilem et austerum Ordinem se humiliaverat; populus non modicum compunctus ad quemcumque locum suam praedicationem indixit, ibi tota civitas confluebat. Unde plebani civitatis timentes, quod si alteri eorum fratres adhaererent, alteri populus detraheretur, unus eorum duas ecclesias obtulit fratribus, et alter unam, ut quam mallent, eligerent ad manendum. Frater autem Hermannus sine consilio fratrum eligere non praesumens, demandavit fratri Iordano, ut, assumpto secum discreto socio, veniret Isenacum et eligeret cum consilio quod placeret. Et veniens cum consilio elegit locum, in quo fratres nunc manent.

42. Eodem anno fratres receperunt locum in Gotha in carnisprivio, in quo manserunt fratres duo et quaevis opera misericordiae et hospitalitatis tam nostris quam fratribus Praedicatoribus et omnibus aliis religiosis, super id quod commode poterant, liberaliter exhibuerunt.

43. Eodem anno de consilio domini Henrici, plebani Sancti Bartholomaei, et domini Guntheri, vicedomini, et aliorum burgensium Erfordiae in Ecclesia Sancti Spiritus tunc deserta, in qua olim feminae religiosae Ordinis beati Augustini habitaverant[4], se fratres transtulerunt et plene VI annis ibidem permanserunt. Ille autem, qui a burgensibus fuerat fratribus procurator datus, interrogans fratrem Iordanum, si ad modum claustri sibi vellet aedificari, ipse, quia nunquam viderat claustra in Ordine, respondit: « Nescio, quid sit claustrum, tantum[5] aedificate nobis domum prope aquam, ut ad lavandum pedes in ipsam descendere possimus ». Et ita factum est.

44. Eodem (anno) missi sunt fratres in Northusam[6] circa festum apostolorum Petri et Pauli. Ibi autem bene a burgensibus sunt recepti et in quodam horticello, de quo pro censu IV solidi singulis annis solvebantur, in quo domus erat competens ad ecclesiam frequentandam, propter eorum commodum sunt locati. Et quia fratres ibi missi tantum laici erant et custos taedium habebat toties pro eorum confes-

---

[1] Nunc Weissensee in Thuringia (Voigt).

[2] Ed. 1. *Gernocus*, sed potius legendum esse *Gernotus*, iam Voigt suspicatus est. In cod. plerumque litterae *t* et *c* eodem modo scribuntur.

[3] Cod. *Ysenake*, nunc *Eisenach*.

[4] Ed. 1. *habitaverunt*, contradicente cod.

[5] Ed. 1. *tamen*, refragante cod.

[6] Cod. *Northusen*, nunc *Nordhausen*.

sionibus audiendis, quoties necesse erat, discurrere, cum annis tribus ibi mansissent, ad eorum consolationem ipsos revocavit et in aliis domibus collocavit. Sed anno Domini 1230, quadam virgine fratribus aream dante, ibidem sunt reversi.

45. Eodem anno ad petitionem comitis Ernesti IV fratres laici in Mulhusam[1] sunt missi. Qui ipsis domum quandam novam, licet non tectam, et horticellum adiacens assignavit, et donec domum illam tegerent et horticellum sepirent, ipsos in castro in quodam cellario collocavit. In quo iam dicti fratres et orabant et comedebant et hospites recipiebant et dormiebant. Et quia illi fratres laici, contenti cellario, domum tegere et horticellum sepire infra annum et dimidium non poterant, videns comes nullum in eis profectum, manum eis abstrahere coepit. Et ita fratres, non habentes unde domum tegerent ac hortum sepirent, necessitate compulsi, recesserunt et in aliis domibus sunt locati. Sed anno Domini 1231 fratres ibidem sunt reversi et, rege Henrico concedente, in hospitali sunt recepti. Magister autem hospitalis credens, quod quidquid dabatur fratribus, sibi subtraheretur hoc, coepit fratribus gravis esse et circa ipsos captiosus. Quod fratres non ferentes, quodam milite quandam aream ipsis dante, in ipsa[2] aedificare coeperunt et usque hodie perseverant.

46. Eodem etiam anno (1231) fratres, qui extra murum sederunt, Erfordiam intraverunt.

47. Eodem anno (1225) missus est a fratre Alberto de Pisa, ministro Theutoniae, fratri Iordano, tunc custodi Thuringiae, in consolationem et subsidium frater Nicolaus de Rheno, sacerdos et iurisperitus, qui dictus est Nicolaus humilis, quae virtus in eo specialiter emicuit, qui obiit Bononiae, copiosum habens testimonium sanctitatis. Cui cum frater Iordanus inter Gotham et Isenacum occurreret, reverenter et fraterne se in osculo salutaverunt et sic consederunt. Frater vero Nicolaus, homo humilis et simplicitatis columbinae, cum sederet reverenter in silentio coram fratre Iordano, frater Petrus de Isenaco, fratris Nicolai socius, homo hilaris et iocundus, sciens fratris Nicolai humilitatem dixit ei: « Frater Nicolae, non agnoscis regem et dominum nostrum »? Et ille, coniunctis manibus, humiliter respondit: « Libenter cognosco et servio domino meo ». Et frater Petrus adiecit: « Ipse enim[3] est custos noster ». Quo audito surrexit et culpam suam dixit cum longa venia[4], quod tam irreverenter ipsum recepisset. Et surgens cum omni humilitate, flexis genibus, fratri Iordano litteras suae obedientiae praesentavit. Frater vero Iordanus misit ipsum in domum Erfordiensem, ut ibi mandatum suum exspectaret. Et post tres hebdomadas frater Iordanus misit ei litteras, ut ibidem esset guardianus. Quas reverenter suscipiens ait: « Et quid mihi fecit pater noster »! Frater vero Iordanus de humilitate fratris Nicolai ita confusus erat, ut ipsum ferre vix posset et infra sex hebdomadas venire Erfordiam non auderet. Frater vero Nicolaus sua praesentia fratres melius in sua disciplina tenebat, quam aliquis alius invectionibus et praeceptis.

48. Eodem etiam anno frater Iacobus, custos Saxoniae, in nova civitate Magdeburg fundavit ecclesiam fratrum minorum et ipsam in Exaltatione sanctae crucis fecit a domino Alberto, eiusdem loci archiepiscopo, consecrari. Qua consecrata,

---

[1] Cod. *Molhusen*, nunc *Mühlhausen*.

[2] Ed. I. *ipsam* contra cod.

[3] Ed. I. *non*, sed cod. recte *enim*.

[4] Venia tunc vocabatur profunda prostratio.

omnem ornatum altaris dominus archiepiscopus liberaliter fratribus dereliquit. Frater vero Iacobus iam dictus, cum quadam die infra octavam Dedicationis in ecclesia fratrum missam diceret, ea finita, in tantum coepit debilitari, ut deportaretur in hospitium fratrum, quod tunc fratres in civitate veteri habebant iuxta Sanctum Petrum — adhuc enim fratres in nova civitate praeter ecclesiam aedificia non habebant — et ibidem 12 kalend. Octobris migravit ad Dominum, quae est in vigilia beati Matthaei. Fratres vero vix habentes locum sepulturae et usum sepeliendi non habentes, habita deliberatione quid facerent, maxime propter concilium, (quod) instabat, in festo Mauritii celebrandum, ad quod iam multi episcopi convenerant, decreverunt, ut ad dominum episcopum Hildesiensem (mitteretur), quia fratrem Iacobum velut patrem venerabatur. Dederat enim mandatum familiae suae, ut sive dormiret sive aliud quid ageret, si fratres sibi loqui vellent, sibi dicerent. Episcopo vero iam domiente excitato, dictum est ei, quod frater Iacobus iam obiisset. Super quo compunctus flevit et dixit: « Ecce hoc est somnium, quod iam vidi », et addidit: « Ego veniam et sepeliam eum ». Viderat enim in somnis quendam mortuum albis indutum sive involutum, et dictum esse sibi: « Vade et solve ipsum »! Et corpore delato ad ecclesiam fratrum, in nova civitate, quam ipsemet frater Iacobus fundaverat et dedicari fecerat, in ipsa honorifice est sepultus. Sed anno Domini 1258 ossa eius et fratris Simonis Anglici, primi lectoris in Magdeburg et tertii ministri, in antiqua civitate, ubi nunc fratres manent, translatis fratribus, sunt translata et ibidem sepulta.

49. Fratre vero Iacobo bonae memoriae defuncto, fratres Saxoniae non modicum turbati (supplicaverunt) fratri Alberto de Pisa, ministro Theutoniae, ut ipsis de custode dignaretur misericorditer providere. Minister autem, cum proponeret eis fratrem Nicolaum, guardianum Erfordiensem, mittere pro custode, sciens eius humilitatem, litteras ei mittere non praesumpsit, timens, quod officium ex humilitate non reciperet, sed potius ad ipsum recurreret. Et ideo decrevit ad ipsum personaliter accedere, si forte ex familiari allocutione ad recipiendum officium eius posset animum inclinare. Minister vero Erfordiam veniens, vocato ad hoc fratre Iordano, coepit loqui cum fratre Nicolao de officio custodiae Saxoniae recipiendo. Ipse vero humiliter se excusavit, et se in officiis omnibus insufficientem affirmante, utpote qui etiam nec numerare nec computare sciret nec dominus esse ac praelatus, minister ipsum cepit in verbo et animo quasi indignanti dixit ei: « Nescis ergo dominus esse, dominus — numquid ergo domini sumus, qui officia Ordinis tenemus? Dic ergo, frater, cito culpam tuam, quod officia Ordinis, quae magis onera et servitutes dici possent, dominia et praelationes reputasti ». Cui humiliter dicenti culpam minister custodiam Saxoniae ei in poenitentiam dedit, et ipse, sicut semper consuevit, flexis genibus humiliter obedivit. Super cuius obedientia[1] fratres admodum gavisi, in ecclesia sancti Spiritus, apud quam tunc manebant, fratres solemnizaverunt, fratre Nicolao missam ferialiter et mente lugubri decantante. Factus ergo custos Saxoniae tertius, humilitatem, quam tenere coepit, in officio constitutus non deseruit, sed ad scutellas et ad pedes fratrum lavandos humillimus semper et primus fuit. Et si fratri pro culpa sua super terram sedere aut disciplinam imponebat, eandem poenitentiam cum ipso humillimus exsolvebat. Et licet humilitatem et obedientiam ipsemet in omnibus servaverit, adeo tamen vindex et ultor pertinacis inobedientiae fuit, ut fratrem

---

[1] Ed. 1. *obedientiam*, sed cod. potius *obedientia*.

pertinaciter inobedientem etiam cum poenitentia difficulter ad gratiam reciperet, tantum malum reputans fratris inobedientiam et tantum bonum obedientiam, ut et facto et exemplo ostenderet, fratres debere in omnibus simpliciter obedire.

50. Anno Domini 1226, quarto nonas Octobris institutor primarius Ordinis fratrum minorum, felix pater Franciscus, ad Dominum migravit ad Sanctam Mariam de Portiuncula. Et licet felix Pater, beatus Franciscus, desideravit in ecclesia sepeliri, populus tamen terrae et cives de Assisio timentes, ne propter signa, quae per ipsum et in vita et post mortem Deus dignatus est operari, a Perusinis violenter tolleretur, ipsum prope muros Assisii in ecclesia Sancti Georgii, in qua primitus litteras didicit [1] et postmodum primo praedicare coepit, transtulerunt et honorifice condiderunt. Defuncto ergo beato Francisco, frater Helias, vicarius beati Francisci, fratribus turbatis super obitu tanti Patris per totum Ordinem litteras consolatorias destinavit, denuntians singulis et universis, quod omnibus, sicut ipsi beatus Franciscus praeceperat, ex parte beati Francisci benediceret et ab omnibus absolveret culpis, insuper declarans de stigmatibus et aliis miraculis, quae post mortem suam ad beatum Franciscum operari dignatus est Altissimus, insuper mandans ministris Ordinis, ut convenirent ad eligendum generalem ministrum.

51. Anno Domini 1227, quarto nonas Februarii post discessum beati Francisci frater Albertus de Pisa, minister Theutoniae, profecturus ad capitulum generale pro eligendo primo ministro generali, convocatis omnibus Theutoniae custodibus et praedicatoribus et guardianis, tenuit capitulum in Moguntia. In quo capitulo frater Iohannes Parens, civis Romanus et Dominus [2] legum, de Civitate Castellana natus, generalis primus in Ordine est electus.

52. Hic de consilio ministri Franciae absolvit fratrem Albertum de Pisa de administratione Theutoniae et ei substituit fratrem Simonem Anglicum, custodem Normandiae, virum scholasticum et magnum theologum.

53. Frater ergo Simon, veniens in Theutoniam cum fratre Iuliano, qui postmodum historiam beati Francisci et beati Antonii nobili stilo et pulcra melodia composuit, indixit in Colonia in festo apostolorum Simonis et Iudae capitulum provinciale celebrandum.

54. Anno Domini 1228 beatus Franciscus canonizatus est. Et eodem anno frater Simon, minister Theutoniae, inter Pascha et Pentecosten provinciale capitulum celebravit in Colonia. Eodem anno frater Iohannes Parens, generalis minister, audiens quod Theutonia lectorem in theologia non haberet, absolvit fratrem Simonem a ministerio Theutoniae et lectorem instituit, et fratrem Iohannem de Plano Carpinis ministrum Theutoniae destinavit. Qui capitulo indicto provinciali in Wormatia, ibi litteras absolutionis fratris Simonis et suae institutionis demonstravit. Et in eodem capitulo beati Francisci canonizatio est fratribus denuntiata. Frater ergo Iohannes de Plano Carpinis Saxoniam honorare volens et exaltare, misit fratrem Simonem primum lectorem in Magdeburg et cum eo viros probos, honestos et litteratos fratrem Marquardum Longum de Aschenburg, et fratrem Marquardum Parvum de Moguntia, et fratrem Conradum de Wormatia et plures alios.

---

[1] Ed. 1. cum cod. *didicerit;* sed deinde cod. recte habet *cepit.*

[2] Ed. 1. omittit hoc vocabulum, quia editor corruptionem suspicatus est. In apographo, quo usus est, fuit scriptum et deinde cancellatum *divini.* Vide supra pag. 4, nota 5.

55. Hic vero, quia vir corpulentus erat, asino vehebatur, et homines tunc temporis propter Ordinis novitatem et equitis humilitatem maiori devotione ad asinum suum, exemplo Christi asinantis potius quam equitantis, movebantur, quam nunc propter assiduum fratrum usum ad personas ministrorum. Hic Ordinis sui dilatator maximus fuit. Minister enim factus, in Bohemiam, in Hungariam, in Poloniam, in Daciam et Norwegiam fratres misit. Domum quoque Methensem recepit et Ordinem in Lotharingia plantavit. Hic Ordinis sui strenuus defensor fuit; nam coram episcopis et principibus pro Ordine suo constanter et personaliter stetit. Hic omnes fratres suos velut mater filios et gallina pullos suos cum pace et caritate et omni consolatione fovebat et regebat.

55. Anno Domini 1229 frater Iohannes Anglicus primus visitator in Theutoniam est missus.

57. Anno vero Domini 1230 frater Iohannes, minister Theutoniae, ultimum provinciale[1] capitulum Theutonorum in Colonia celebravit, in quo fratrem Iohannem Anglicum vicarium instituens, profectus est ad capitulum generale. In quo capitulo frater Iohannes de Plano Carpinis absolutus est et in Hispaniam pro ministro transmissus, et ei frater Simon, primus lector Theutoniae, est substitutus. Sed antequam litterae ad ipsum pervenissent, praeventus est morte in vigilia beati Viti et in Magdeburg est sepultus. In eodem generali (capitulo) ministratio Theutoniae in duas est divisa, una Rheni et altera Saxoniae. Super Rhenum datus est minister frater Otto, iurisperitus et Lombardus, in Saxoniam[2] frater Simon, ut dictum est. In eodem capitulo generali breviaria et antiphonaria secundum Ordinem provinciae sunt transmissa.

58. Mortuo ergo fratre Simone, primo lectore et primo ministro Saxoniae, frater Leonardus, custos Saxoniae, et frater Iordanus, custos Thuringiae, qui duo soli erant custodes provinciae Saxoniae, ad capitulum Rheni in Wormatia accesserunt. In quo capitulo, eo quod una fuerit administratio et recenter divisa, et frater Simon morte praeventus in nullo adhuc se de ministri officio intromiserat, re adhuc quasi integra, ut fratres de corpore capituli sunt admissi. Ibi ergo ministri et vicarii et aliorum fratrum consilio frater Iordanus, sua custodia custodi Saxoniae commissa, cum litteris obedientiae ministri Rhenensis et uno socio, pro ministro postulando et lectore, ad generalem ministrum est profectus. Minister autem generalis habita deliberatione, quis expediret, tandem frater Iordanus petivit fratrem Iohannem Anglicum, quondam[3] visitatorem Theutoniae et obtinuit. Scripsit ergo minister generalis ministro Franciae, ut fratrem Iohannem Anglicum mitteret pro ministro Saxoniae et fratrem Bartholomaeum pro lectore Anglicum.

59. Frater vero Iordanus, in Theutoniam rediens, venit ad fratrem Thomam de Celano[4], qui gavisus dedit ei de reliquiis beati Francisci. Frater vero Iordanus, cum venisset Herbipolim, mandavit fratribus suae custodiae, ut si ei loqui necesse haberent, occurrerent ei in Isenaco, quia inde erat transiturus. Gavisi ergo fratres ad locum designatum venerunt, dantes portario in mandatis, ut fratrem Iordanum ve-

---

[1] In cod. verba: *minister Theutoniae ultimum provinciale,* scripta sunt supra lineam.
[2] Cod. *Theutoniam,* perperam, ut patet (Voigt).
[3] In cod. legitur *quendam.*
[4] In cod. et ed. 1 *Solano.*

nientem non intromitteret, sed prius ipsis denuntiaret. Veniens ergo frater Iordanus ad portam et pulsans non est intromissus, sed portarius ad fratres currens nuntiavit, fratrem Iordanum ad portam stare. Qui remandaverunt ei, quod per portam intrare non posset, sed per ecclesiam. Fratres vero in spiritu exultantes, intrantes chorum, cruces et thuribulum et palmarum ramos et candelas ardentes tollentes in manibus, bini et bini processionaliter ecclesiam extra chorum intraverunt. Et e regione sese ordinantes, valvas ecclesiae aperuerunt et fratrem Iordanum intromittentes, ipsum cum tripudio et gaudio receperunt, cantando responsorium: « Hic est fratrum amator ». Attonito autem fratre Iordano super novo modo recipiendi et manu innuente, ut tacerent, ipsi quod inceperant cum iubilo compleverunt. Super quo cum frater Iordanus stupendus miraretur, venit sibi in memoriam, quod reliquias beati Francisci, quas prae stupore oblivioni tradiderat, apud se haberet. Et exultans in spiritu, completo cantu, dixit: « Gaudete, fratres, quia scio, quod non me ut me, sed in me Patrem nostrum beatum Franciscum, qui me tacente vestrum spiritum in sui praesentia excitavit, cuius reliquias apud me habeo, collaudastis ». Et extractis reliquiis de gremio, eas posuit in altari. Et ex tunc frater Iordanus beatum Franciscum, quem in praesenti viderat et ob hoc quiddam ei humanitatis acciderat[1], in maiori reverentia coepit habere et honore, cum videret, quod Deus, corda fratrum Spiritu sancto inflammando, eius reliquias apud se latere noluerit[2].

60. Anno Domini 1231 frater Iordanus, custos Thuringiae, in Saxoniam rediens, misit fratrem Iohannem de Penna cum fratre Adeodato Parisius pro fratre Anglico ministro et pro fratre Bartholomaeo lectore, ut ipsos honorifice conduceret in Saxoniam.

61. Anno Domini 1232 in generali capitulo Romae celebrato absolutus est frater Iohannes Parens, minister generalis, et ei est frater Helias substitutus. In eodem etiam capitulo frater Iohannes Anglicus de Redingis, minister Saxoniae, est absolutus, et ei frater Iohannes de Plano Carpinis substitutus. Frater vero Leonardus, custos Saxoniae, mortuus est in via, de capitulo redeundo, in Cremona civitate sua, et ei substitutus est frater Bertoldus de Huxoria. Frater vero Helias, factus generalis minister[3], opus ad Sanctum Franciscum, quod in Assisio inceperat, perficere volens, fecit exactiones per totum Ordinem ad inceptum consummandum. Ipse enim habuit totum Ordinem in sua potestate, sicut ipsum habuit beatus Franciscus et frater Iohannes Parens, qui ante ipsum fuerat; unde et pro sua voluntate plurima Ordini non convenientia disponebat. Infra septem enim annos capitulum generale secundum regulam non tenuit et fratres sibi resistentes hinc inde dispersit. Habito ergo consilio, fratres decreverunt communiter Ordini providere. Quibus in consilio praecipui frater Alexander et frater Iohannes de Rupella, magistri Parisienses tunc temporis, affuerunt.

62. Anno Domini 1237 frater Helias ad singulas provincias visitatores suo convenientes[4] proposito destinavit, per quorum visitationes inordinatas fratres amplius quam prius contra ipsum exasperati fuerunt.

---

[1] Voigt in nota coniicit, legendum esse *attribuerat*, sed cod. melius habet *acciderat*.
[2] Ed. I. *noluit*, refragante codice.
[3] Ed. I. *magister*, perperam. — Huxoria (Höxter) est oppidum Westfaliae.
[4] Ed. I. *convenienter*, perperam.

63. Anno Domini 1238 fratres Saxoniae contra visitatorem appellantes ad generalem ministrum, missis nuntiis ad ipsum [1], nil profecerunt omnino. Unde ad dominum papam coacti sunt appellare. Ad quem cum frater Iordanus venisset et, ipso salutato, iuberetur abire, frater Iordanus exire noluit, sed iocunde ad lectum domini papae currens, pedem ipsius nudum extraxit et ipsum deosculans exclamavit et socio suo dixit: « Ecce tales reliquias in Saxonia non habemus ». Et adhuc dominus papa eos volens exire, frater Iordanus ait: « Non, domine, nihil habemus a vobis petere modo, omnibus enim bonis abundamus et gloriosi sumus: vos enim estis pater Ordinis, protector et corrector; sed venimus tantum vos videre ». Et sic tandem dominus papa exhilaratus erexit se et sedit in lecto et interrogans, quare venisset, adiecit: « Scio, quod appellastis; frater autem Helias veniens ad me dixit, vos per saltum appellasse, et nos respondimus ei, quod appellatio ad me facta omnes appellationes absorbet ». Et fratre Iordano expediente papam, super quibus fuerat appellatum, respondit papa, fratres bene appellasse. Convenientibus ergo fratribus diversis ad curiam pro appellatione quam fecerant prosequenda, et longa discussione facta, tandem in hoc maiorum resedit consilium, quod nihil agerent, nisi [2] manum mitterent ad radicem, videlicet directe agendo contra Heliam.

---

[1] In ed. I. omittitur *ad ipsum*, refragante cod.

[2] Ed. I. *nec*, refragante codice. — In fine huius fragmenti in codice deest *Explicit*, quo confirmatur id quod iam ex narratione in media re praecisa apparet, scil. codicem hunc non praebere integram Iordani chronicam.

MISSIO SERAPHICA IN IMPERIO SINARUM

SIVE

BREVIS SINCERAQUE RELATIO

ORTUS PROGRESSUS PRÆSENTISQUE (1762) STATUS MISSIONIS SINENSIS

FRATRUM MINORUM STRICTIORIS OBSERVANTIÆ S. P. N. FRANCISCI DISCALCEATORUM

PROVINCIÆ SANCTI GREGORII MAGNI IN INSULIS PHILIPPINIS

A

PATRE FR. FRANCISCO MIGGENES

Eiusdem Apostolicae Sancti Gregorii Provinciae Filio, Pro-Ministro Provinciali, necnon in Romana Curia pro eadem Provincia Generali Procuratore

CONCINNATA.

EDIDERUNT

PATRES FRATRES

MARCELLINUS DE CIVETIA ET THEOPHILUS DOMENICHELLI

Ex Regulari Observantia.

PRÆFATIUNCULA

PRO

FACILIORI HUIUS RELATIONIS CAPTU.

Cum Insulae Salomonicae, quae ad occidentalem Americani Oceani plagam sitae perhibentur, circa annum Domini 1575 inventae fuissent; pro illarum insularum gentibus in Fide Catholica erudiendis sexdecim Missionarii ex Observanti Discalceatorum Sancti Francisci familia a Philippo Hispaniarum Rege II, annuente benigne Gregorio Papa XIII, destinantur. Sed cum iam omnes Hispali congregati essent, ut ad praedictas Salomonis insulas transfretarent, subito adveniente in Hispanias nuntio de multiplici messe, quae in Philippinarum agro se offerebat, ad cuius collectionem perpauci eousque destinati fuerant operarii; ad praedictas Philippinas Insulas navigationem instituere iubentur. Novis ergo litteris sufficienter muniti, anno 1576 Hispali navim conscendunt, unde appulerunt Manillam anno sequenti 1577. Ibi Custodiam Sancti Gregorii, iuxta instructiones tum Pontificias cum Regias Regularesque, quibus muniti erant, fundaverunt, cuius praecipuum institutum salus animarum in sancti Evangelii publicatione et Fidei dilatatione esset[1].

Hanc Custodiam nono post anno Sixtus Papa V, instante Philippo Hispaniarum Rege II, in Provinciam erexit Litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis, quae incipiunt, *Dum ad uberes fructus*, dat. Romae, 15 Novembris an. 1586, ex quibus aperte constat, tam praecipuum huius Provinciae institutum, quam localis extensio illius districtus; paragrapho enim quarto sic ait: *Decernentes, Custodiam praedictam in Provinciam sic erectam, pro tali haberi, et, ut praefertur, regi et gubernari deinceps debere; necnon pro tempore existenti dictae Provinciae Sancti Gregorii Ministro Provin-*

---

[1] Hanc historiam amplissime pertractant sequentes nostri Patres: IOANNES FRANCISCUS A SANCTO ANTONIO, *Chronicas de la Apostolica Provincia de Sancto Gregorio de Religiosos Descalzos de Nuestro Padre Sancto Francisco en las islas Philippinas, China, Japon*, etc.; *Sampaloc, extra muros de la ciudad de Manilla, ano de 1738;* tria volumina et tres partes, in folio: DOMINICUS MARTINEZ, *Compendio de la historia de la Apostolica Provincia de Sancto Gregorio de Philippinas de Religiosos Menores Descalzos; Madrid, 1756;* unum volumen in folio: FELIX HUERTA, *Estado geografico, topografico, estadistico, historico-religioso de la Sancta y Apostolica Provincia de Sancto Gregorio Magno, de Religiosos Menores Descalzos de la Regular et mas estrecha Observancia de Nuestro Sancto Padre Francisco en las Islas Philippinas*, etc.; *Binondo, imprenta de M. Sanchez y C., 1865.* Praeterea videantur: *Historia de las cosas mas notables, ritos y costumbres del gran Reyno de la China*, etc., *por el Padre* GONZALES DE MENDOZA, Ordinis Sancti Augustini; Romae, 1585; unum volumen in 8°: *Historia general de Philippinas*, etc. *por el Padre Fray* JUAN DE LA CONCEPCION, *Recoleto Agustino*, etc.; *en la imprenta del Seminario Conciliar y Real de San Carlos;* quatuordecim volumina in 8°; et passim *Bibliografia Sanfrancescana;* Prati, 1879.

ciali, ut tam in insulis Philippinis, quam in aliis quibusvis terris et locis Indiarum praedictarum, ac regnorum DE LA CHINA *nuncupatorum, in quibus conversio gentilium ad Fidem Catholicam commode curari et tractari poterit, novas domos et Conventus pro Fratribus dicti Ordinis recipiendis ad Dei laudem et gloriam, nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Ordinariorum locorum, aut cuiusvis alterius licentia minime requisita, fundare et instituere, eosque ad habitandum recipere, et Fratres in illis introducere libere et licite valeant, facultatem auctoritate et tenore praesentium impertimur* (Bullar. Magn. tom. IV, part. 4, pag. 275, novissim. Rom. edition.). Hoc quidem indultum, scilicet in Sinis et aliis regnis evangelizandi, postea confirmatum, immo etiam ampliatum est a Summis Pontificibus Paulo V, Const. *Sedis Apostolicae providentia,* 11 Iun. 1608, et Urbano VIII, Const. *Ex debito Pastoralis,* 22 Febr. 1633, et Clemente X, *Iniuncti nobis,* die 23 Decemb. 1673.

Hac ergo via, non solum Regia, sed etiam Pontificia, Fratres Discalceati strictioris Observantiae Sancti Francisci ingressi sunt ad Sinas, ut ibi velut in agro sibi a Sede Apostolica destinato Fidem disseminarent. Fructus igitur laboresque huius Apostolicae Missionis a prima die usque in praesentiarum omni qua licuit brevitate hic afferuntur, omniaque ex fide dignis documentis sunt fideliter extracta [1].

---

1. Anno Domini 1579 die 19 Iunii, post varios exantlatos labores, in triginta dierum navigatione, a civitate Manilla appulerunt Kuantung (vulgo Canton), Christum annuntiaturi in magno imperio Sinarum quatuor Religiosi Sacerdotes, alumni Provinciae Sancti Gregorii Philippinarum; videlicet Petrus Alfaro, Augustinus de Tordesillas, Ioannes Baptista de Pisauro, et Sebastianus Baeza [2]. Quibus associati sunt duo Tertiarii eius-

[1] Hic animadvertendum, auctorem huius relationis, hoc in opusculo, de Missionariis Franciscanis tantum Provinciae Sancti Gregorii, qui Evangelium in Sinensi imperio disseminarunt, sermonem instituere. Qua de re, omissis celeberrimis Fratribus nostri Ordinis, qui a prima medietate saeculi decimitertii, primi omnium Sinense imperium ingressi, fidem Christi illis gentibus praedicarunt, ab erectione Provinciae Sancti Gregorii, anno 1586 fundatae, narratio incipit. Sed ut fuse in *Storia universale delle Missioni Francescane,* primo, secundo, tertio, quarto, quinto, sexto et sequentibus voluminibus habetur, iam Franciscani, ut diximus, saeculo decimotertio ad Sinense imperium pervenerant, ibique florentissimas ecclesias fundaverant, et heroico proposito in illis regionibus, usque ad initium decimisexti saeculi, magno cum animarum lucru, missionis operam prosecuti sunt; quamvis propter praevalentiam Turcarum in orientalibus regnis iter ad illas remotas plagas deinceps omnino praeclusum fuerit. Initio vero saeculi decimisexti, detecto et superato promontorio Bonae Spei, Franciscani statim cum Lusitanis ex illa parte idem imperium petierunt, et paulo post cum Hispanis; de quibus ultimis summatim auctor noster pertractat. Qui ab insulis Philippinis novam, foecundam gloriosamque missionem aggressi, multa mirabilia, Deo adiuvante, operati sunt. Omittit praeterea auctor noster illos Franciscanos Italos, qui a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, ab anno 1620, in quo fuit instituta, usque nunc illuc missi sunt, et fere totis Sinensibus provinciis peragratis, labores multos, aerumnas, carceres, famem, sitim, verbera perpessi, pluribusque ad Christum conversis, non pauci sanguinem suum pro fidei confirmatione fuderunt.

[2] Cum tres ex his celeberrimis Missionariis Franciscanis relationem suae apostolicae peregrinationis scriptam reliquerint, lectorem remittimus ad opus, cui titulus, *Bibliografia Sanfrancescana,* ubi de hisce documentis lata mentio est. Documenta, quae haec omnia testantur, in promptu ha-

dem Provinciae alumni, scilicet Fratres Franciscus Duenas et Ioannes Diaz Pardo. Hi quidem fuerunt, ex omnibus Missionariis, primi evangelici exploratores, qui in praedictum Sinarum imperium ausi sunt introire [1]. Die 24 eiusdem mensis et anni sacrosanctum Missae sacrificium in festivitate Praecursoris Domini primo ab ipsis celebratum est. Mercatores vero Lusitani, qui iam tunc Macai degebant, ut cognoverunt nostros Missionarios Cantonem adventasse, suaserunt Sinensibus, ut exilio eos quamcitius mulctarent. Fieri enim poterat (dicebant), ut essent exploratores ab Hispanis Philippinarum missi. Quo factum est, ut post diutinam quinquaginta dierum incarcerationem decreto iudicum Sinensium iuberentur Missionarii Manillam remeare. Pater Augustinus cum Tertiariis reversus est Manillam, exiens a Cantone die octava Novembris eiusdem anni. Petrus vero et Ioannes Macaum perrexerunt die decimaoctava eiusdem mensis; Sebastianus enim iam diem extremum finierat in praedicta civitate Canton.

2. Ut praedicti Patres Petrus et Ioannes Macaum pervenerunt, non parum contradictionis experti sunt. Data autem eis potestate, Coenobium Ecclesiamque fundarunt Dominae Angelorum dicatam, ut ab hoc loco facilius possent aperire sibi viam ad imperium Sinarum penetrandum. Eorum exemplo praedicationeque plures infideles commoti, Fidem Catholicam amplexati sunt; inter quos unus idolorum sacerdos annumeratus est. Quinque autem nobiles Lusitani iuvenes, saeculo renuntiantes, se Religioni Seraphicae adscripserunt. Anno autem 1580 Pater Petrus Alfaro Lusitanorum aemulatione compulsus est, Macao relicto, Goam pergere. Quo in itinere naufragio periit ad littora Cauchinensia; cuius corpus in littore inventum est genibus flexis, iunctis manibus, et oculis in altum defixis. Gentiles autem illius regionis tantae rei novitate commoti, honoribus, quibus affici solent defunctorum regum cadavera, corpus eius prosecuti sunt.

3. Igitur Patre Petro a Macao expulso, apposuerunt aemuli, ut etiam Pater Ioannes Baptista de Pisauro exularet. Cumque id minime aperta fronte consequi potuissent, eo quod vitae austeritas innocentiaque illum summopere commendabant, sub larva devotionis honorisque illum a civitate eiicere tentarunt. Suadent ergo illi, ut, quatenus Pater Petrus morte impeditus non potuerat Goam pervenire, Pro-Regem allocuturus, ipse hanc provinciam arripere dignaretur. Ille autem ut cognovit aemulorum astus, illum fraudulenter eiicere cupientium, minime suasionibns acquievit. Illi vero supra modum irati, primo fatuum et insensatum illum autumant. Deinde ut seditiosum accusantes, catena restibusque ligatis manibus, in navim deducunt, Malaccam asportandum una cum Patre Antonio a Sancto Thoma.

4. Ex quo Malaccam Pater Ioannes Baptista appulit, cognita eius innocentia vitaeque probitate, Episcopus illius civitatis induxit eum ad fundationem novi Conventus et

---

bemus, et, si Deo placuerit, aliquando in lucem proferre speramus. Si quis autem plura desideret, consulat *Storia universale delle Missioni Francescane*, Romae et Prati editam, et *Bibliografia Sanfrancescana*, Prati, 1879.

[1] Nullus Missionarius alterius Ordinis ante Franciscanos et Augustinianos ad Sinense imperium pervenit, postquam Lusitani ultra promontorium Bonae Spei progressi sunt, si unum excipias Fratrem ex Dominicana familia, scilicet Gasparem da Cruz, Lusitanum, qui vehementi dilatandae Fidei zelo motus, anno 1548 ex India ad illam remotam regionem adventavit; ut videre est in sua *Relaçao da China et de suas particularidades*, Eborae impressa 1570. Franciscanos et Augustinianos sequuti sunt Patres ex Ordine Sancti Dominici, Patres de Societate Jesu, aliique.

Ecclesiae Sancto Josepho dicatae. Sed non multo post adveniente Malaccam novo civitatis Macai moderatore, eum iterum Macaum secum reducere decrevit. Macaum reversus, seminarium iuvenum ex variis nationibus fundavit, ut facti grandiores evaderent Missionarii, pro suis regionibus proportionati. Hic Pater Ioannes Baptista studio linguae Sinicae vacavit felici eventu, licet non sine magna difficultate. Multoties imperium Sinarum ingredi statuit; sed semper illi restiterunt Lusitani Macaonenses; dicebant enim lucra commercii temporalis in deterius abitura, si ex Macao Missionarii mitterentur ad Sinas.

5. Dum haec Macai contra nostros Missionarios agerentur, mittitur illuc Frater Ioannes Pauper, qui adveniens Macaum, cognitoque Fratrum suorum exilio, Manillam iterum redire decrevit. Sed nactus occasionem cuiusdam navis Iaponiam profecturae, a duceque eiusdemmet navis rogatus, Iaponiam venit, ubi pro Fide Catholica non parum laboravit; immo viam nostris Missionariis (ex quibus sex catalogo Beatorum [1] hodie sunt adscripti) ad Evangelii praedicationem aperuit.

6. Anno 1582 sex alii Religiosi nostrae Provinciae ad Sinas destinantur, videlicet Hieronymus de Burgos, Martinus de Loyola[2], postea Episcopus, Hieronymus Aguilar, Augustinus Tordesillas, unus ex primis fundatoribus, Antonius a Villanova, et Christophorus Gomez. Qui die 27 Iunii in Provinciam Chincheo pervenientes, et ad iudicum provinciae tribunalia adducti, iussi sunt Cantonem deferri. Hic ut latrones et inimicorum exploratores habiti, carceribus mancipantur, ubi diutina custodia macerati satis laborum sustinuerunt. Quorum vi Antonius a Villanova diem extremum clausit anno 1589, mense Septembri. Quinque superstites Macaum sunt reducti.

7. His ferme diebus Philippus Hispaniarum Rex II litteras ad Sinarum Imperatorem direxit, in quibus suadet illi, ut Fidem Catholicam recipiat, commendat illi nostros Religiosos, quos ut Regios Nuntios ad hunc finem in Sinas destinat, et nominatim Patrem Hieronimum de Burgos. Sed occasione mortis Gubernatoris Philippinarum, cui haec a Rege executioni mandanda directa erant, nunquam ad optatum finem pervenerunt.

8. Provincia autem Sancti Gregorii, quae a prima sui institutione Fidei dilatandae studium nunquam omisit, videns expeditiones in Sinas saepe tentatas toties in cassum abiisse, novam provinciam aggredi conatur. Igitur octo Missionarios in Cochinchinam designat. Anno ergo 1583 Patres Didacus de Oropesa, Bartholomaeus Ruiz, Franciscus de Montilia, et Petrus Ortiz sacerdotes, cum quatuor Laicis, videlicet Fratres Christophorus Gomez, Didacus Ximenez, Franciscus Villarino, et Emmanuel a Sancto Jacobo, navim conscendunt in portu Manillensi, inde Cochinchinam navigaturi. Cursu navigationis feliciter expleto, iam portum ingressuros ventus valide adversus compulit ad primum, quod se obtulit, littus confugere. Anchora missa, de navique descendentes, plurimos milites littorum custodes ad bellum paratos invenerunt. Sed illorum Praefectus, ut cognovit non esse inimicos, qui ad littus confugerant, iussit milites arma deponere. Immo, ut notavit modestam nostrorum Missionariorum speciem,

---

[1] Anno tandem 1862 solemniter a Pio IX Pontifice Maximo in Sanctorum albo sunt relati.

[2] Etiam hic percelebris Missionarius relationem suae itinerationis scripsit; qui primus omnium cum suis sociis totius terrae gyrum per circumnavigationem confecit; de quo vide opus citatum, *Bibliografia Sanfrancescana.*

illorum amore captus, indulsit illis omnimodam libertatem, ut quaecumque vellent facerent. Illi occasionem ex ducis benevolentia nacti, ab eo impetrarunt, ut sacrosanctum Missae sacrificium solemniter celebraretur. Disposito ergo ex arborum ramis rurali sacello, erectoque altari, Missam de Spiritu Sancto Pater Didacus de Oropesa cum cantu celebravit. Cui sacrae actioni magna modestia silentioque Gentiles astiterunt.

9. Deinde vocati a Cochinchinae Rege, cui dux praedictus eorum adventum iam nuntiaverat, iterum navim conscendunt, Regiam Cochinchinae profecturi. Sed valida tempestate oborta, ad insulam Haynan vi ventorum adducti, navi ad saxa collisa et in frusta redacta, terram pene nudi perveniunt. Ab incolis ut latrones et exploratores comprehensi, ante Praesidem regionis sistuntur. Qui statim illos inauditos ad alium Mandarinum sibi superiorem mittendos decrevit. Itaque octavo postquam naufragi illuc pervenerant die, catenis et manicis ferreis colligati, et a singulorum collo pendentibus tabellis, quibus nota latronum exploratorumque inurebatur, praecedente praecone idemmet vocitante, innumeraque populi multitudine sequente, e civitate educuntur. Longo quadraginta leucarum itinere pedibus confecto, iterum ante novum iudicem sistuntur, qui, renuens illos audire, ferro onustos carceribus mancipari iubet. Transactis vero aliquibus diebus, idemmet iudex carcerem ingressus, causam adventus eorum in insulam sciscitavit. Ex quo autem comperit, illos esse sacerdotes Christianorum, industria cuiusdam mercatoris Sinensis Macaum ipsos duci permisit.

10. Expeditione in Cochinchinam ita frustrata, ut Macaum nostri Missionarii pervenerunt, audientes regnum Siam esse proportionatam regionem ad disseminandam Fidem, illuc pergere statuunt; sed non omnes ad hoc destinati sunt. Tres enim, videlicet Hieronymus de Aguilar, Franciscus de Montilia, et Didacus Ximenius, ad hoc opus eliguntur. Ceteri vero Macai remanserunt, expectantes nancisci occasionem iterum in Cochinchinam remeandi.

11. Tres ergo praedicti pervenerunt Siam anno 1583, ubi plures invenere mercatores ex variis nationibus oriundos, Christianos, sed nomine tenus, quia a multo iam tempore sacerdotibus destituti, moribusque infidelium, inter quos versabantur, assueti, pene gentilismum redolebant. In horum ergo educatione et in viam salutis revocatione non parum laboris impensum est spatio sex mensium, in quo studio linguae illius regionis, antequam ad infideles se converterent, vacaverunt.

12. Iam in idiomate sufficienter instructi, habitaque competenti notitia de religione et ritibus Siamensium, praedicationem evangelicam publicis concionibus disputationibusque orsi sunt. Iam tunc pseudo-praedicatores Mahometani erant in illa regione, cum quibus etiam publicas disputationes aggrediuntur. Cumque omnimoda libertate Christus a nostris annuntiaretur, Rege non impediente, immo annuente, in dies numerus credentium augebatur. Sed (o altitudo divitiarum!) non multo post tempore bellum inter Regem Pegu et Regem Siam initum omnia penitus turbavit. Quod quidem bellum causa fuit, ut Fides nuper plantata nullatenus posset radices mittere; immo videntes nostri Missionarii in vanum laboraturos, si illic permansissent, Macaum se receperunt. Spatio octoginta septem annorum acriter bellum perseveravit, et cum bello decretum non admittendi exteros. Quo non obstante, anno 1596 Patres Petrus Ortiz et Petrus a Sanctis, habitu dissimulato ingressi, in servos venundari passi sunt, ut si forte hac industria Christum annuntiare possent, animas Siamen-

sium eidem Christo lucrifacerent. Sed re cognita a Rege, illos in Manillam iubet reduci.

13. Rebus autem postea compositis, paceque firmata, iterum exteri admittuntur post annum 1670. Quo tempore Pater Ludovicus a Matre Dei, nostrae Provinciae filius, illuc ingreditur. Cumque aliquos iam ad Fidem convertisset ecclesiamque fundasset, petiit a superioribus Provinciae, ut alios mitterent Missionarios; messis enim erat copiosa. Igitur sex mittuntur de nostratibus, videlicet Patres Antonius a Sancto Dominico, Stephanus Valero, Franciscus de Alcantara, Andreas a Conceptione, et Petrus Zurita, sacerdotes, una cum Fratre Petro Feliciano, laico. Iam studio linguae alacriter vacabant, sperantes se magnam animarum segetem Christo collecturos; et ecce iterum turbatio! Facta enim magna inter Siamenses seditione, Rex occisus est, et quidam idolorum sacerdos in eius locum sufficitur. Qui illico Missionarios exulare coegit post varias illatas molestias. Pater autem Ludovicus, dum adhuc in carcere detineretur, fame, siti aliisque aerumnis confectus, animam reddidit Creatori anno 1687. Ceteri vero in Manillam sunt relegati.

14. Ab anno 1584 plurimum laboravit in Cochinchina Pater Bartholomaeus Ruiz, qui cum alio socio fuerat ad hanc Missionem destinatus. Ibi dono curationum et aliis miris signis singulariter fulgens, plurimos ad Fidem perduxit. Sed nondum biennio in Cochinchina exacto, violenter a Lusitanis Macaonensibus fuit Missione expulsus; et anno 1586 reducitur Manillam cum novem aliis Hispanis nostrae Provinciae Missionariis, similiter a Macao eiectis.

15. Ab hoc ergo tempore ad usque annum 1633, nullus nostratum in Sina evangelizare valuit, Macaonensibus constanter impedientibus iter. Sed anno praedicto iam insula Formosa, quae est vicinior terrae firmae imperii Sinarum, in potestatem Regis Hispaniarum redacta, septem ex nostris ad praedictam insulam destinantur. Quorum nomina sunt Patres Antonius a Sancta Maria, Franciscus a Jesu, Franciscus Escalona, Dominicus a Jesu, Gaspar Alenda, et Marcus a Jesu, sacerdotes, cum Fratre Ioanne a Sancto Marco, laico.

16. Ex his Pater Antonius a Sancta Maria primus ingreditur imperium Sinarum in consortio cuiusdam Patris Ordinis Praedicatorum: quorum adventum in Sinas aegre tulit quidam Missionarius Jesuita, cui nomen Benedictus Matos, residens in civitate Focheu, litterasque direxit ad illos, in quibus dicebat, non posse illos in Sinis evangelizare absque Episcopi Macaonensis consensu, vel saltem Vice-Provincialis Societatis, cuius approbatione et examine opus erat. Itaque Pater Antonius, de consilio Patrum Dominicanorum, ad praesentiam Vice-Provincialis Jesuitae adire decrevit. Ducentarum et quinquaginta leucarum itinere pedibus confecto, Nanchanfu pervenit, ubi dictus Jesuita residebat, ostendensque illi suorum Superiorum patentales litteras, eius patrocinium imploravit. Pater vero Jesuita illum, specie favoris, ad Nanquin perducere iubet, quibusdam munitum litteris ad Christianos illius civitatis directis.

17. Ubi civitatem perventum est, in intrando et exeundo per diversas urbis portas non parum temporis consumpsit. Demum extra moenia civitatis in quamdam Christianorum domum perductus, per mensem et dimidium fuit ibi reclusus et detentus. Quo transacto tempore, domus habitatores, compassione moti, illum e custodia eduxerunt, ad ripasque cuiusdam magni fluminis illum sistentes, indicaverunt illi, quae brevi super illum ventura erant: videlicet, quod die sequenti, ligatis manibus et pedibus, navim conscenderet, extra imperium Sinarum asportandus. Ita factum est:

alteraque die tres Sinenses irruentes in eum, ligaverunt, et ducentes ad navim, statim in navis profundum miserunt, ubi spatio viginti dierum, quibus navigatio duravit, parcissimo cibo potuque refectus fuit, miserrime reclusus, nulloque alio potitus lumine, quam quod per rimulas tabularum interdiu percipi poterat. Quo factum est, ut perveniret ad locum, unde primo exierat, ignorans penitus viam, qua perductus fuerat.

18. Ex duobus Patribus Dominicanis, quos praedicto in loco reliquerat, solum invenit Patrem Ioannem Morales, cui associatus noster Antonius, ambo se tam conversioni infidelium, quam confutationi rituum, qui (aliis Missionariis permittentibus) a neophytis Sinensibus impune practicabantur, totis viribus addixerunt. Quae noster Antonius in puritatis catholicae doctrinae defensione perpessus sit, non facile apparet ad summam reducere. Videns autem omnes illorum conatus pro illis zizaniis de Dominica vinea eradicandis in vanum abiri; immo quod etiam ipsi Christiani odio eos hac de causa prosequebantur, Romam una cum praedicto Patre Morales Dominicano pergere destinavit, Romanum Pontificem hac super re consulturi.

19. Relicto igitur in Missione Patre Francisco a Matre Dei, nuper a Manilla in illas partes misso, navim conscendit, Romam profecturus. Orta autem valida tempestate, navique vi ventorum per viginti continuos dies crudeliter saevientium pene in frusta redacta, destituta gubernaculo, Jacatram, Batavorum praesidium, appulit. Ibi noster Missionarius carceri mancipatus, pane tribulationis et aqua angustiae per fere unius anni spatium sustentatus est. Deinde ad insulas Molucas translatus, similiter per annum in vinculis fuit, quoadusque advenientibus illuc quibusdam Hispanis mercatoribus, illum de haereticorum potestate pretio redimentes, Manillam asportaverunt.

20. Alii autem quinque Missionarii, qui, ut supra dictum est, apud insulam Formosam remanserant, scientes quae acciderant Patri Antonio a Sancta Maria, videntesque parum aut nihil pro tunc profuturos, si apud Sinas remansissent, Iaponiam remeare statuerunt; erat enim eis ad hoc concessa facultas a Provinciae Superioribus. Anno ergo 1636 navim conscendunt, Iaponiam profecturi. Cumque appropinquassent ad insulam Lequiorum, una ex Iaponicis, ventus validus adversusque iterum eos ad insulam Formosam asportavit. Unus autem ex eis, cui nomen Franciscus de Escalona, cum transiret per quoddam eiusdem insulae oppidum, notavit atrocitatem, quae adhuc apud aliquos iam Christianos vigebat, occidendi ultro incolas vicinorum locorum, appendentes occisorum capita ad valvas illius, qui occiderat, ante quae choreas instituebant comessationibus et ebrietatibus permixtas in signum triumphi ab occisore consecuti. Multum insudaverant Ministri evangelici in abolitione tam trucis barbaraeque consuetudinis, sed sine effectu. Franciscus autem, re cognita, Dei zelo armatus, abstulit a locis, quibus affixa erant, omnia illa crudelitatis et barbariei signa. Illi vero, licet primo impetu furore rapti, tamen consiliis Missionariorum ex tunc acquiescentes, praeteritae consuetudini renuntiarunt.

21. Anno 1637 Pater Franciscus a Matre Dei, qui, ut relatum est, solus ex nostratibus in imperio Sinarum remanserat, scripsit petens saltem duos coadiutores ad onus Missionis comportandum. Destinati ergo sunt Patres Gaspar Alenda et Ioannes a Sancto Marco. Qui pervenientes Fogan, invenerunt Patrem Franciscum satis vexatum occasione libri a quodam Gentilium doctore conscripti typisque mandati, in quo innumerae exprimebantur blasphemiae contra sanctam legem, et praecipue adversus praxim in eiusdem promulgatione observatam a Patribus Dominicanis et

Franciscanis. Itemque probare conabatur Doctor; quod casu quo lex Christianorum admitteretur, debebat admitti modo, quo ab aliis Missionariis proponebatur, utpote satis consono superstitionibus et ritibus Gentilium; qui quidem sub larva politicae tolerabiles a praedictis Missionariis videbantur.

22. Ut ergo contra hanc pestem insurgere possent, Regiam Pekini proficiscuntur Patres Gaspar Alenda et Franciscus a Matre Dei, dieque decima quarta Augusti anni 1637 Pekinum perveniunt. Eorum adventu in Regiam cognito, non defuere, qui a suscepto consilio eos revocare conarentur; ideo, spatio quindecim dierum, domo, in qua hospitio recepti sunt, detinentur. Quo transacto tempore, duo Magnates, sive Mandarini, domum accedunt militibus stipati, sedent pro Tribunali, Missionariosque in iudicium venire iubent. Illi imperterriti, Christi crucifixi imaginem manibus gestantes, veniunt ad tyrannorum praesentiam. Qui cum vidissent Missionarios ita paratos, attoniti interrogant: qualiter, et quare in Regiam appulissent? Missionarii vero fiduciam in Domino ponentes, constanter dixerunt, se idcirco in Regiam venisse, ut errores in libris nuper confectis contentos confutarent, Christumque crucifixum, qualem imagines, quas manibus gestabant, repraesentant, annuntiarent, cui ut vero Deo de Deo vero ipsi adorabant, omnesque tenebantur adorare. Qua responsione, validis rationibus firmata, ira commoti Gentiles, impetum fecerunt unanimiter in Missionarios, qui ligatis manibus et pedibus, in carcerem detruduntur. Die autem sequenti educti e carcere, per publicas civitatis vias ignominiose trahuntur, ad navimque iam paratam conscendere iubentur, una cum quatuor Doxicis, seu Catechistis, similiter vexatis. Erat quidem in praecipua navis arbore tabula appensa, in qua characteribus grandioribus haec continebantur: *Hic feruntur sex alienigenae in Provinciam Fokien, ut crucifigantur, quia ausi sunt absque licentia Sinam venire, doctrinis falsis et novitatibus Sinenses seducturi.*

23. Trecentarum leucarum viam in vinculis confecerunt usque ad civitatem Fintio, ubi invenerunt tres alios nuper in Sinas missos operarios, quorum nomina sunt Franciscus Escalona, Onuphrius a Jesu, et Dominicus a Sanctis, qui in illam regionem mense Augusti anni 1637 advenerant. Iam alacres crucis patibulum se subituros sperabant iuxta contenta in tabella arbori navis affixa; sed fraudati sunt a desiderio suo: etenim aliter in litteris ad Gubernatorem civitatis missis fieri iubebatur. Indicta ergo est illis exilii poena, quae quidem, post tres menses in vinculis transactos, executioni mandatur. Omnes igitur Macaum ignominiose perducuntur, demptis tribus ex nostratibus et quinque Dominicanis, qui pro tunc occulti in Sinis remanserunt; sed multis calamitatibus vexati ob Sinarum crudelitatem, qui contra sanctam legem in dies atrocius desaeviebant.

24. Sub idem tempus Pater Onuphrius a Jesu Manillam mittitur, ut a domino Archiepiscopo impetraret publicationem Constitutionis Sanctissimi Domini Urbani Papae VIII, qua conceditur, quod quilibet Religiosus idoneus, a suis superioribus destinatus, evangelizare libere valeat in Sina, Iaponia, aliisque regnis illarum regionum, quacumque via, quae illis illuc accedendi se offerat. Cumque iterum in Sinas transfretasset omniaque plus quam antea turbata invenisset, per bimestre tantum in Fintio mansit, unde ad Insulam Formosam una cum Patre Ioanne a Sancto Marco perrexit: solusque remansit in Sinis Pater Franciscus Escalona ex nostratibus, et ex Dominicanis Pater Ioannes Garcia.

25. Igitur Pater Franciscus cum aliquas regiones semper evangelizando pera-

grasset, occultus autem et latitans in montibus, in speluncis et in cavernis terrae, aliquandoque in sepulcris, in Provinciam Kuausi pervenit, in cuius civitate primaria typis mandari curavit tractatus sinico idiomate a se conscriptos, videlicet: 1. *De Deo Uno et Trino;* 2. *Declaratio principalium mysteriorum Catholicae Fidei;* 3. *Religio Sinica convicta;* 4. *Decreta Imperatorum Sinensium, quibus approbatur et commendatur Religio Christiana*[1]. Quibus scriptis et vivae vocis praedicatione, a qua nunquam cessavit, non parum profecit; ita ut inter plurimos ad Fidem conversos aliqui ex legisperitis Sinarum numerarentur.

26. Postea vero ab ipsismet Doxicis, seu Catechistis, monitus, Macaum se recipere necesse habuit. Dicebant enim imminere periculum Christianitati, si ibi diutius mansisset. Mense ergo Augusti anni 1639 Macaum pervenit; unde mense Decembri eiusdem anni Manillam adire decrevit, rationem suis Superioribus de statu Missionis redditurus.

27. His temporibus, magnis calamitatibus imperium Sinarum agitatum erat. In variis regionibus monstra horribilia, timorem maximum incutientia, apparuerunt. Regia Pekinensis tenebras densissimas per triduum sustinuit. In nonnullis regionibus manavit sanguis e terra tam affluenter, ut in vasis colligeretur. Inundationes magnae et terraemotus non defuerunt. Demum ita crevit fames in terra, ut se invicem Sinenses occiderent, caroque humana publice venalis exponeretur. Quae omnia prophetico spiritu iam praedixerat Pater Rodericus Figueredo Jesuita, in Provincia Iunan degens, ut vidit persecutionem adversus Dominicanos et Franciscanos motam.

28. Hoc ferme tempore Pater Antonius a Sancta Maria e Manilla exivit, Romam profecturus, Macaumque adveniens, ut inde viam in Europam arriperet, etiam nunc fraudatus est a desiderio suo, et Manillam redire cogitur. Die igitur decima Octobris anni 1622 a Macao egressus, vi ventorum Cochinchinam denuo adducitur. Hic a Rege et Proceribus benigne exceptus, quatuor mensium spatio duo millia hominum ad fidem convertit, sacroque fonte lustravit. Ex quibus quinquaginta quatuor ex aula Regis erant, unusque eorum Regis consanguineus propinquus, idolorumque sacerdos, qui nomen Stephani in baptismo assumens, partes sui nominis perfecte adimplevit, fundens postea sanguinem ob Fidei quam professus fuerat, confessionem.

29. Post hanc Christianorum segetem in agro Cochinchinae Christo collectam, reversus est Manillam, ubi litteras ab Urbano Papa VIII accepit, in quibus Vicarius Apostolicus in imperio Sinarum constituitur; dubiaque super ritibus Sinensibus Sacrae Congregationi a se proposita solvuntur. His praesidiis sufficienter munitus, ad Sinas progreditur, secum ferens Patres Bonaventuram Ibanez, et Iosephum Casanova, destinatos a nostra Provincia Missionarios ad Sinas. In horum consortio etiam Sinas profectus est Pater Ioannes Baptista Morales cum tribus Missionariis ex Ordine Praedicatorum. Die igitur decima Iulii anni 1629 navim omnes conscendunt, secundaque die Augusti eiusdem anni Sinas pervenerunt.

30. Cumque civitatem Hanai pervenissent, universam Sinarum regionem bellico furore

---

[1] Quanto cum felici successu Franciscani linguam Sinicam, aliasque illarum regionum coluerint, quaeque monumenta horum studiorum typis ediderint, aut manuscripta relinquerint, Lector videre poterit in citata *Bibliografia Sanfrancescana,* et in opere Patris nostri Huerta, *Estado,* etc.; ubi etiam inveniet sufficientes notitias fere omnium Missionariorum qui in hac relatione commemorantur. Consulendi etiam Patres Ioannes a Sancta Maria et Dominicus Martinez, etc.

eandentem invenerunt occasione irruptionis nuper a Tartaris factae, qua universum imperium Tartaricae ditioni subiugatum fuit. Ab hac civitate missus est Manillam, ut ibi habitum Religiosum indueret, Gregorius Lopez, natione Sinensis, quem noster Pater Antonius Christo regeneraverat primitias praedicationis suae anno 1633, ab ipsoque in latina lingua instructus fuerat. Qui Manillam deveniens, et in sacro Praedicatorum Ordine professione solemni emissa, iterum ad propria mittitur, regnum Dei annuntiaturus. In quo munere ita probe se gessit, ut meruerit fieri Episcopus Basiliensis et Vicarius Apostolicus in Sinis.

31. Cum ergo corda Sinensium, bellicis rumoribus conturbata, minus apta viderentur ad suscipiendam Fidem, in Coream pergere noster Pater Antonius statuit. Confectoque pedibus itinere quingentarum et septuaginta quinque leucarum, pervenit ad portum viciniorem Regno Coreae anno 1650. Viam vero ad Coream interclusam undequaque inveniens, Pekinum perrexit, ubi a Patre Adamo Schall Societatis Jesu Missionario benigne exceptus (mirabatur enim Jesuita praefatus, qualiter Pater Antonius in Regiam Pekini pervenire potuerat absque Imperatoris licentia, qua forte ille erat munitus) certoque credens nostri Missionarii viam a Domino dirigi, illum in provinciam Xantung destinavit, ubi sciebat esse aliquos Christianos operariis evangelicis destitutos. Cumque noster Antonius ante Crucifixi imaginem vehementer orasset, ut (si dignaretur) indicaret illi Dominus voluntatem suam; votis annuens divina Maiestas de eius vocatione in Xantung certiorem voce sensibili reddit[1].

32. Itaque a Domino monitus, quam citius viam arripiens, litteris commendatitiis a Patre Adamo sibi traditis, pervenit in civitatem Cinanfu, provinciae metropolim, mense Novembri eiusdem anni 1650, ubi mediis litteris a Patre Adamo ad Provinciae Praesidem directis, benigne excipitur, obtinetque facultatem erigendi Ecclesiam, quam Dominae Angelorum dicavit anno 1651. De quibus omnibus certiores reddens consocios, quos in civitate Hanai reliquerat, illos in Xantung vocat, licet unus tantum, scilicet Bonaventura, illuc potuerit pervenire. Quo accedente, Ecclesiam Cinanfunensem illi Pater Antonius commendavit, iterum tentans ingressum in Coream; ad quam cum iter faceret, gravi morbo correptus, in Cinanfu iterum redire cogitur anno 1662.

33. Hoc ferme tempore Pater Christophorus a Sancto Didaco in Sinas missus, Hanai pervenit, ubi aliquo post tempore migravit e vita anno 1653. Cuius corpus terrae mandatum, quadragesimo sexto ab eius obitu anno inventum est incorruptum.

34. Ecclesia Cinanfunensi, ut dictum est, fundata, praedicationem evangelicam Patres Antonius et Bonaventura orsi sunt indefesso conatu, sed felici eventu: etenim primo a Missionis plantatione triennio mille quingenta et quinquaginta duae animae Christo per baptismale lavacrum regeneratae numerabantur. Nec defuere miracula, quibus Dominus fidem suam stabilire dignatus est. Aliquando enim neophytis morti proximis Angeli apparebant, immo et ipsa Domina Angelorum. Quandoque etiam animae Fidelium, quae ex hac vita migraverant, gloria et honore coronatae ab aliquibus videbantur, et aliquoties etiam animae defunctorum Gentilium specie horribili a multis visae sunt. Demum in nomine Jesu eiiciebantur daemonia, curabantur languores, et

[1] Quae hic et inferius commemorantur de divinis favoribus, quibus Deus servorum suorum virtutem testatam voluit, intelligi debent quantum humanae auctoritati fides adhibenda est, plenam submissionem praestando praescriptionibus Urbani Papae VIII super hoc argumento.

multa alia mirabilia patrabantur, quibus augebatur in dies credentium numerus, in quorum instructione nostri operarii abunde laborabant.

35. Anno 1661 quaedam Christianorum collectio, quae a nostra Missione viginti leucis distabat, a proprio Missionario (alibi occupato) per septennium derelicta, ad unum apostatavit, et se omnino ad idola convertit. Quo audito, noster Antonius illuc accessit, convocatisque Christianis, eos salutaribus monitis ita ad poenitentiam provocavit, ut iterum, idolis neglectis, viam salutis maiori quam antea fervore arripuerint. Posteaque, adveniente proprio Missionario, qui quidem erat Jesuita, valde miratus est tam subitam dexterae Excelsi mutationem.

36. Anno 1662 Pater Bonaventura Ibanez mittitur Romam, ut Sedem Apostolicam de statu Missionis Sinensis certiorem faceret. Pro huius negotii executione difficillimam viam arripuit; etenim universum Magni Mogolis imperium pedibus peragravit, donec ad sinum Persicum perventum est. Per Tigrim et Euphratem navigationem usque ad Basram instituit. Inde veniens Babylonem, Ninivem proficiscitur. Postea Edessam, hinc Alexandriam Ægypti, unde navim conscendens, Cyprum navigavit. Demum ex Cypro Siciliam, Romamque pervenit.

37. Quis crederet, exantlatos labores in tam prolixo difficilique itinere conficiendo non fore magno praemio dignos? Sed contra factum est. Etenim cum Romam noster apostolicus vir pervenisset, pene omnes illius Sacrae Curiae proceres adversos invenit. Praecurrerant enim ante eum quaedam litterae a nonnullis Sinensibus Missionariis missae, in quibus ut discolus et seditiosus, immo conversionibus adversus commendabatur. Sed constanti animo contumelias et opprobria sustinens, post diuturni temporis exercitam patientiam eius innocentia detegitur benigniusque tractatur. Factaque ei a Sacra Congregatione conducendi Missionarios in Sinas potestate, aliisque favoribus et gratiis a Sede Apostolica munitus, necnon Praefectura Missionis decoratus, Hispaniam profectus est, ubi pervenit anno 1668. Hic octo sociis ad Missionem comparatis (Hispaniarum Rege benigne annuente concedenteque stipendia annua pro Missionariis), post diuturni itineris terra marique labores, Manillam pervenit anno 1671.

38. Dum haec a nostro Bonaventura in Europa actitarentur, nova in Sinis contra Missionarios exoritur persecutio, cui signa horribilia praecesserunt. Imperatore enim vita functo, exiit edictum, quo omnes Missionarii in Regiam Pekinensem deferri iubebantur. Omnes igitur a satellitibus comprehensi, Pekinum ignominiose perducuntur anno 1665. Templa, vasa sacra, imagines, et quidquid Religionem Christianam redolebat, impie profanantur. Denique post varias gravissimasque molestias Missionariis illatas, exilii poena multantur. Omnes erant numero viginti quinque, inter quos noster Antonius a Sancta Maria numerabatur.

39 Die ergo decima tertia Septembris eiusdem anni octingentarum leucarum iter usque ad civitatem Canton, quo relegati erant, instituere iubentur, militibus custodibusque stipati. Demum magnis molestiis in itinere aequo animo perpessis, Cantonem appulerunt die vigesima quinta Martii anni 1666. Hic iussi sunt in custodia detineri, ubi noster Pater Antonius plenus meritis ultimum diem in exilio clausit die decima tertia Maii anni 1669, vigesimo anno in Missionum exercitio expleto, aetatis vero sexagesimo septimo. Qui, ut testatur Pater Ioannes Balat Jesuita, consumptus est, non tam aetate, quam laboribus pro Christi Fidei extensione toleratis. Fuit enim in animabus Christo acquirendis indefessus, in fovendis edocendisque iam

acquisitis continuus, ita ut nullam videbatur pati maiorem iacturam, quam cum ab his sanctis operibus cessare tenebatur. Plura scripsit tam pro defensione catholicae Fidei, quam pro educatione conversorum, Sinico idiomate; praeter alia, quae tam latine quam vernacule ab eo scripta inveniuntur; in quibus eius zelus, charitas et sapientia relucent. Denique in omnibus exhibuit semetipsum sicut Dei ministrum [1].

40. Illico ut Manillam huius Apostolici viri mortis fama pervenit, duo alii destinantur Missionarii in eius locum sufficiendi; videlicet Pater Augustinus a Sancto Paschale et Ioannes de Camara. Qui licet certo scirent adhuc procellam persecutionis non quievisse, quamdam Armenorum navim die decima Ianuarii, anni 1670 conscendunt, ut si forte hac via invenire possent Sinas ingrediendi occasionem, nanciscerentur. In varias illius Archipelagi insulas vi tempestatum asportati, Regnum Dei ubique annuntiabant, non modicos fructus spiritus percipientes. Postremo Bataviam in Insula Jaba pervenientes, persecutionem iam in Sinis cessasse cognoverunt. Decreto enim Imperatoris, vigesima prima Decembris huius anni 1670 edito, Missionarii ab exilio revocari iubebantur. Ceterum stricte in eodemmet decreto praecipiebatur, ne quis de novo Christianus fieret, neve novus quis Missionarius Sinas ingrederetur.

41. Hoc felici nuntio magna laetitia excepto, Macaum Augustinus et Ioannes pergere festinant, mensequc Iulio anni 1671 ad dictam civitatem perveniunt. Sed magnam oppositionis vim in Macaonensibus (uti semper acciderat) invenientes, Ioannes de Camara Manillam redire cogitur. Augustinus vero usque ad annum sequentem inter magnas contradictiones ibi perseverans, mutato proprio assumptoque Antonii a Sancta Maria, iam vita functi, nomine, Cantonem ingreditur die decima sexta Ianuarii anni 1672. Iam lingua Sinica imbutus in Provincia Fokien (ubi Ecclesiam fundavit), in Provinciam Xantung Evangelium annuntiaturus assumitur. Hic Ecclesiam a Patre Antonio fundatam restauravit, aliasque permultas de novo erexit. Plurimos ad Christi fidem convertit. Sex libros doctrina et pietate plenos lingua Sinica vernaculaque scripsit. Denique omnes unanimiter illum simillimum Patri Antonio a Sancta Maria proclamant. Ad Romanam Curiam, ut Sedem Apostolicam super Sinensium ritibus informaret, destinatus, dum pelagum Sinense Americam versus transfretaret, die undecima Octobris anni 1697 vitam finivit.

42. Cum igitur, ut supra dictum est, Pater Bonaventura cum sociis Missionariis Manillam adventasset, audiens magnam segetem in Sinis Christo parari, cessante iam persecutione, illuc proficiscitur cum quatuor, pro tunc, sociis; alii enim infirmitate gravi praepediebantur. Mense autem Maio anni 1672 Macaum perveniunt. Eorum adventu a Lusitanis cognito, coetum Magnatum convocant, initoque consilio, navim, quae Missionarios asportaverat, comburi iubent, ipsosque Missionarios Manillam quam primum reduci.

43. Navi igitur iuxta decretum ignibus consumpta, Missionarii in custodia detineri iubentur, ut prima se offerente occasione asportarentur Manillam. Itaque Guardiano Conventus Fratrum Minorum, praevia cautione, traduntur, ut a Conventu nullatenus eos exire pateretur. Haec omnia a nostris constantissima tolerabantur patientia. Episcopus autem, Gubernator civitatis, eiusdem civitatis Capitulum, Iudices, Patres itidem Dominicani, Augustinianique, cum aliis permultis de numero nobilium, non omiserunt solemnes visitationes, quibus Fratres nostros valde consolari conabantur.

---

[1] Vide opus pluries citatum, *Bibliografia Sanfrancescana.*

Gubernator autem non semel dixit Missionariis: *Patres, quod ad me attinet, vobis consulite opportuniori modo, quo possitis; sed magna adhibita cautione. Si enim illi qui vobis contrariantur, me non urgeant, ego non movebor. Itaque, occasione nacta, Sinas ingredimini securi.* Ex quo clare collegerunt nostri Missionarii, non esse saeculares qui eorum Missioni adversabantur.

44. Cognito igitur Gubernatoris Macaonensis animo, tres ex illis, videlicet Pater Bonaventura, Jacobus Tarin, et Franciscus a Conceptione, e civitate de nocte exeuntes, navim parvam conscendunt, foenoque obvoluti ne viderentur, per fluminum invia navigantes, pervenerunt Fusan, unde in provinciam Yunan asportantur, postremoque Cantonem, magnis superatis difficultatibus, perveniunt. Sed cognito ab aemulis eorum exitu a Macao, statim litteras ad Christianos Cantonenses mittunt, quibus nostri Religiosi diligenter iubentur conquiri et extra Sinarum terras mitti, falso addentes, illos Religiosos apud se ferre magnam pecuniarum copiam, et forte occasio daretur latronibus illos in viis occidendi.

45. Hac pessima suasione, sub pietatis larva, Christiani Cantonenses commoti, arbitrantes obsequium se praestare Deo, ad conquirendos Missionarios ita animum inducunt, ut tot inventi sunt pro hac expeditione satellites quot Christiani. Cum autem per seipsos optatum finem consequi non potuissent, Regulum Cantonis adeunt, eius opem implorantes. Qui stricte edixit, Religiosos conquiri, et coram se adduci. Christianus vero, in cuius domo abscondebantur, timens Reguli potentiam, cum Missionarios prodere non auderet, sub magna strue lignorum, quae domi (sed aperto coelo) habebat, abscondi curavit, ubi die noctuque per non modicum tempus latitantes, satis angustiarum perpessi sunt. Postea a rectore naviculae, quae eos a Macao asportaverat, moniti, palam exire statuunt, Regulique adire praesentiam, omnem spem ex tunc in Domino Deo ponentes.

46. Ut ergo ante faciem Reguli, cui ultro se obtulerant, pervenerunt, graviter de temeritate increpantur. Conversusque Regulus ad Patrem Bonaventuram: *Tu* (inquit), *tu solus reus tanti criminis existis: cum enim leges Sinicas non ignores, cum scias ingressum in Imperium alienigenis esse legibus imperatoriis prohibitum, ausus es ita temere huc pervenire.* Cui Pater Bonaventura forti animo hilarique vultu respondit: *Novi quidem leges; decreta non ignoro; attamen certe etiam scio, plures exteros in Sinas, his legibus et decretis non obstantibus, quotidie intrare. Et tu quidem, Domine, ita esse optime nosti.* Hac efficaci redargutione convictus, non ira exarsit; immo vero erumpens in risum, Regulus eos postea ita benignitate est prosecutus, ut domi suae mansionem pro eis destinans, ibi permanere permisisset, usque dum occasio intus in Imperium ingrediendi se offerret.

47. Hic cum quadam die Pater Bonaventura coram Regulo sermonem instituisset, in quo validis efficacibusque rationibus cultum idolorum improperasset; Regulus de idolorum falsitate convictus, protinus militum cohortem ad se venire praecipit, eisque mandat, ut strictis gladiis bellico more singulas civitatis domos pervadant, idolaque universa vel confringant, vel igne consumant. Duodecim millibus hominum cohors constabat, qui illico morem gerentes Reguli mandatis, domos universas intrant, idolaque subvertunt. Quot fuerint tunc uno die idola comminuta, non facile apparet ad summam reducere. Numerus enim domorum in illa civitate existentium ultra decies centena millia excrescebat; in unaquaque vero domo plura erant idola, quae quidem a militibus eversa sunt.

48. Hoc perillustri triumpho de daemone patrato, permissum est illis Ecclesiam aedificare, quae die vigesima secunda Februarii anni 1678 dedicata est sub titulo Sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula. Et quidem non solum de mandato Reguli aedificata est, sed etiam ipsemet Regulus pro fodiendis fundamentis funicula manu propria tetendit, normamque aedificii dedit. Demum muneribus praedictum templum prosecutus, proprio aere dotavit. Postea autem tam benevolum erga sanctam legem nostri Missionarii reddiderunt, ut aliquando ab ipsis de non suscipiendo quam primum baptismate benigniter increpatus, in haec verba prorumperet: *Patres* (aiebat), *mihi et vobis iam una est Fides, quae quidem intus absconditur in corde meo; nunc non prodit in lucem, quia nondum tempus congruum advenit. Hoc vero adveniente, ego curabo ut multa templa nostro communi Deo aedificentur, ut in universo Sinarum imperio honoretur et colatur.* Sed (proh dolor!) morte praepropera ab invidis falso eum apud Imperatorem accusantibus illata praeventus, suum desiderium implere non potuit.

49. Ita numerus credentium ante huius Reguli mortem augebatur, ut, nedum decennio completo, sexdecim iam Ecclesiae erectae numerarentur. Sed inimicus homo ardens invidia, tam uberes fructus vel eradicare, vel suffocare conatus est. Itaque cum Regulum a proposito nostros Missionarios favendi revocare non posset, ipsummet Regulum, ut supra indicatum est, de medio tollere studet; ut tam potenti auxilio Missionariis deficiente, Missio ipsa periret. Mirabili vero Dei omnipotentis providentia factum est, ut salus ex inimicis, de forti dulcedo, et de comedente cibus exiret. Iudex enim, qui a Pekino Cantonem ad Regulum iussu Imperatoris occidendum venerat, ita Missionariorum nostrorum amore captus est, ut non solum nihil mali adversus eos, vel eorum Ecclesias Christianosque moliretur; immo vero magnis favoribus eos est prosecutus. Indulsit enim, ut ante ianuas Ecclesiarum insignia imperialia appenderentur, ne milites satellitesve quidquam mali in eis patrarent. Alias item Ecclesias de novo erigi permisit. Demum quidquid Pater Franciscus a Conceptione ab eo postulabat, statim concedebatur.

50. Pater vero Franciscus, qui ab omnibus Christum annuntiari totis viribus desiderabat, tam eximii favoris occasione nacta, ut omnibus sine invidia posset hanc gratiam communicare, a praedicto Commissario imperiali obtinuit facultatem, ut Missionarii Dominicani, Augustiniani, Franciscanique, qui Macai detinebantur, in interiora Imperii ad evangelizandum libere ingrederentur. Quod quidem anno 1680 feliciter consecutum est. Quo etiam tempore exiit decretum a regio Sinarum Consilio, *Rituum* nuncupato, quo omnes in Sinis disseminatae sectae confutabantur, tribus tantum approbatis, inter quas annumeratur Religio Christiana.

51. Ergo Sinarum agro ad evangelica grana suscipienda ita disposito, novi destinantur in dies operarii. Carolus enim Hispaniarum Rex II, habita de huiusmodi dispositione notitia, numerum nostrorum Missionariorum usque ad vigesimum adauxit, pro eorum sustentatione annua annona, ut cum primis iam fecerat, de thesauro regio assignata. Postea autem Philippus V, non minori propagandae Fidei zelo succensus, sex, ultra viginti praedictos, Missionarios regia pecunia alendos decrevit.

52. His subsidiis nostrae Provinciae Missionarii sufficienter adiuti, Fidem catholicam indefesso conatu in vastissimi Sinarum imperii variis provinciis disseminabant. Nec defuere contradictiones, eaeque permultae: quibus non obstantibus, per infamiam et bonam famam, ut castigati, non autem mortificati, suo officio functi,

in sex Imperii principalioribus provinciis; nempe, Quantung (alias Canton), Fokien, Kiangsi, Chekian, Nankin, et Xantung, Fidem plantaverunt, Domino cooperante, eorumque sermonem confirmante frequentibus mirabilibusque signis.

53. Anno 1725 sexaginta iam Ecclesiae numerabantur, ultra trecenta Oratoria, in quibus Fideles sacris mysteriis imbuebantur. Numerus Christianorum tunc temporis in nostris Missionibus Fidem Catholicam profitentium, ultra centum millia progrediebatur. Persecutio vero, quae relato anno 1725 exorta est (et quidem ad haec usque tempora durat), pene omnia contrivit. Missionarii enim (demptis perpaucis, qui in abscondito remanserunt) exilio mulctati, et Ecclesiae dirutae sunt. Christiani autem, Pastoribus percussis, ita enormiter fuerunt dispersi, ut anno 1750 quinquaginta millia tantum numerarentur. Nunc vero, persecutione crudelius desaeviente, etiam hic numerus pene ad medietatem redactus est.

54. Sed non idcirco nostrae Provinciae Missionarii a proposito Fidem in Sinis restaurandi augendique vel in minimo deficiunt. His enim diebus Religiosi, qui inferius annotabuntur, apud Sinas degunt. Et quantumvis egentes, angustiati et quamplurimis aerumnis afflicti, Christum annuntiare non cessant. Credunt enim et fiducia magna sperant, persecutionem non in perpetuum duraturam. Deus enim Optimus Maximus, qui neminem vult perire, auferre valet ab Imperatore Sinarum cor lapideum et cor carneum illi dare. Et quoniam in perpetuum irasci non solet, aliquando conversus mortificatos Missionarios vivificabit, ut plebs Sinarum laetetur in eo. Praecipue autem (humanum dico) hoc bonum Ecclesia Sinensis expectare poterat medio vero et sancto zelo Missionariorum Societatis Jesu in Regia Pekinensi degentium. Qui cum Imperatoris gratia (ut notum est) perfruantur, immo et ab Imperatore et Proceribus magni habiti sint, occasionem, quae aliquando se offeret, Imperatorem alloquendi in sanctae legis favorem non praetermittent; immo hanc Dei gloriam totis viribus quaerere conabuntur. Fortasse enim, ut in Regia Assueri Esther, ita in Pekinensi Patres Societatis pro hac persecutione sedanda tali tempore parantur.

55. Ultra Missionarios hic iam relatos, varii variis temporibus ad Sinas missi sunt. Qui omnes pro Fidei dilatatione sedulo laborantes, diem extremum in ministerio apostolico clauserunt. Aliquos autem ex illis specialis notae fas sit in memoriam revocare.

56. Primus igitur se offert Pater Petrus de la Pinuela, unus ex octo sociis Patris Bonaventurae, qui circa annum 1686 librum edidit de veritate nostrae Catholicae Religionis tractantem. Qui idiomate Sinico typis mandatus, trecentisque exemplaribus inter Infideles fidelesque distributis, causa fuit ut paucis ab editione diebus millia gentilium et ultra, idolis neglectis, Fidem amplecterentur.

57. Pater Iacobus Tarin, strenuus honoris Dei zelator; qui cum iudex Hoicheu edicta blasphemiis in sanctam legem scatentia in locis publicis civitatis anno 1686 affigi mandasset, impia decreta apostolico fervore contemnens, tradens se morti et periculis, in plateas exivit, decretaque blasphema propria manu obliterare non est veritus.

58. Pater Ioannes a Sancto Fructo, vir poenitentia et contemplatione pollens, qui charitate flagrans, Ecclesiam aedificavit pro leprosis Christianis, quos omnibus amoris officiis prosequebatur magna cum admiratione infidelium et non modico fructu. Denique febri hectica ex leprosorum commercio contracta consumptus, die mortis praenuntiato, vita migravit die vigesima Iunii anni 1693. Cuius corpus vegetum, flexibile et speciosum forma, cunctis mirantibus, post mortem apparuit.

59. Pater Ioannes Simon, qui cum Cantonem adventasset, Patribus Dominicanis in adiutorem datus, Tunquinum proficiscitur, ubi postquam per biennium magno cum animarum lucro laborare non cessasset; cum per flumen saluti animarum consulturus navigaret, die vigesima septima Ianuarii anni 1704 a Gentilibus impetitus et quinque vulneribus confossus, in profluentem deiicitur. Cuius cadaver septimo ab obitu die inventum est prope Kennam, suae residentiae locum, quo, adverso amne, ab ipsismet undis per duo milliaria mirabiliter asportatum fuerat, incorruptum, molle, suavemque spirans odorem.

60. Pater Antonius Almaden, qui per fere viginti annos huius novissimae persecutionis tempore in Sinis delituit, consolando confovendoque Christianos. Sed postea a satellitibus inventus, flagellis et fustibus usque ad animae deliquium caeditur. Deinde ferreis catenis ligatus, Pekinum adducitur, ubi post diuturni itineris perpessos labores capitis damnatur. Mutata vero sententia, Macaum exul reducitur. Unde ad Cochinchinam translatus, quinque annorum spatio abundantius laboravit. Denique naufragio demersus et aquis praefocatus, occubuit. Eius corpus primo a Christianis iuxta litus sepultum, trigesimo die exhumatur ecclesiasticae sepulturae tradendum; cunctorumque admiratione integrum, molle et corruptionis expers inventum est.

61. Pater Ioannes de Villena, qui per viginti annos et ultra apud Sinas ob persecutionis crudelitatem delitescens, uberes praedicationis fructus Christo collegit. Demum vita functus, quatriduo insepultus mansit, admirantibus cunctis cadaveris eius incorruptionem et vultus hilaritatem.

62. Pater Emmanuel a Sancto Ioanne de Capistrano, strenuus indefessusque verbi Dei praeco: qui inter persecutionis procellas per tredecim annos in Sinis Christum annuntians, plus omnibus laboravit, infirma semper et aegra valetudine. A satellitibus multoties ad necem conquisitus, minime inventus est, cum non semel per medium illorum transiret, quin ab eis videretur. Est autem valde notandum, praedictum Missionarium esse crine et barba rubrum, unde inter Sinasque velut columba inter corvos dignoscebatur. Tandem plenus meritis, vitam pretiosa morte commutavit anno 1756.

63. Eodem tempore obiit Macai Frater Antonius a Conceptione; qui, quamvis laicus et de numero Conversorum, non parum inter infideles fructum fecit quinquaginta duorum annorum spatio, quibus in Sinis vixit. Medicinae enim arte pollens, omnes tam fideles, quam infideles, charitatis officiis prosequebatur, ita ut ab omnibus pater pauperum appellaretur. Quare multi infideles eius exemplis, suasionibus et praecipue charitate commoti, fidem susceperunt. Anno 1725 in Macaum cum ceteris relegatus, vitam magno cum virtutis odore finivit anno 1756. Cuius exequias sua perillustri venerandaque praesentia decorare, honori duxit Excellentissimus Dominus Episcopus Malaceae.

64. Pater Didacus a Sancto Ioseph, animarum indefessus conquisitor, triginta quinque annis in missione consumptis, quampluries in laboris et tribulationibus fuit a Domino mirabiliter adiutus. Demum septuagenarius in pace quievit.

65. Pater Michael Roca, vir nostris temporibus ulli comparabilis. Sexaginta duobus annis inter Sinas Christum annuntiando vixit, pro quo varias aerumnas et exilium passus est. Tandem anno aetatis suae nonagesimo sexto, Sinensisque Missionis sexagesimo secundo, Macai vita functus est anno 1757 [1].

---

[1] Auctor magni Lexicon, *Dicionario Cino Espagnol*, quod in reali Bibliotheca Matritensi asservatur. Vide *Bibliografia Sanfrancescana*.

66. In praesentiarum extant in Sinis Christum annuntiantes, quantum persecutionis turbo patitur, Patres:

Ioseph Sensio,

Ioannes Ortuno,

Ioseph Bornay,

Mathias a Sancta Theresia Alcazar,

Bernardus a Sanctis, quem carceri mancipatum pro Christo, litterae recentiores asserunt,

Franciscus Abbas,

Bernardus de el Corral,

Bonaventura a Corde Iesu,

Thomas a Sanctissimo Sacramento,

Salvator de Valentia,

Fr. Martinus Palau, Laicus, qui curae Missionariorum in infirmitatibus attendit.

67. Omnes Missionarii, qui ex hac Provincia ad Sinas, seu ad alia regna infidelium, missi sunt, semper et pro semper Fidem Catholicam iuxta mentem Sanctae Romanae Ecclesiae, tam in Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Decretis, quam in Pontificiis Constitutionibus declaratam, absque ulla vel minima interpretatione, Infidelibus recipiendam, et Fidelibus tenendam docuerunt, et in praesentiarum docent. Nec mirum. Etenim Regula Seraphici Patris Sancti Francisci, quam profitentur, id omnino faciendum strictissime praecipit. In Constitutionibus autem, quibus eadem Provincia municipaliter regitur, Seraphici Patris vestigiis inhaerendo, iubetur: Quod Missionarii omnem obedientiam, submissionem et reverentiam exhibeant Reverendissimis Dominis Vicariis, seu Visitatoribus Apostolicis; Ordinationesque et Decreta tum Summorum Pontificum, cum Sacrae Congregationis illico reverenter executioni mandentur. Similiter praecipitur Missionariis, quod in concionibus, tam publicis, quam privatis, neophytos erudiant serioque moneant de obedientia, submissione et reverentia praedictis Reverendissimis Dominis Sedis Apostolicae, vel Sacrae Congregationis Commissariis praestanda. Ideo nemini Missionem ordiri permittitur, quin prius in manibus Reverendissimi Vicarii Apostolici iuramentum de Constitutionibus Apostolicis servandis emittat. Ceterum de his nullus circa nostrates fuit unquam ambigendi locus; cum notum sit, ab ipsismet, una cum Patribus Sacri Ordinis Praedicatorum, initium sumpsisse animadversiones contra Sinarum superstitiosos ritus, pro quorum extirpatione forti et invicto animo laboraverunt Patres Antonius a Sancta Maria, Franciscus a Matre Dei, Gaspar Alenda, Augustinus a Sancto Paschale, Bonaventura Ibanez, et alii, qui verbo et scripto Fidei Catholicae puritatem conati sunt stabilire. Utinam Deus O. M. de coelo respicere et videre, et vineam Sinensem visitare dignetur, ut quidquid a Summis Pontificibus institutum est, omnimoda executione perficiatur; ut omnes Missionarii id ipsum sentientes, nulla iam sint schismata, sed in omnibus honorificetur Deus per Dominum nostrum Iesum Christum, in cuius laudem et gloriam scribebam Romae ex Conventu Sanctorum XL Martyrum, die 15 Augusti 1762 [1].

---

[1] Haec omnia Lector confirmata inveniet in operibus superius citatis Patris Ioannis a Sancta Maria, Patris Dominici Martinez, aliisque ecclesiasticis historicis, quorum auctores non fuerint studio partium praeoccupati.

COSMOGRAPHIA

FRANCISCANO-AUSTRIACAE PROVINCIAE

SANCTI BERNARDINI SENENSIS

EIUSDEMQUE CONVENTUUM OMNIUM DESCRIPTIO

FACTA

PER FR. PLACIDUM HERZOG DEF.

ANNO MDCCXXXII.

EDIDIT

Fr. EUSEBIUS FERMENDZIN Min. Observ.

Def. Gener. et Chronologus Ordinis.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Persalubri sanctae obedientiae nutui promptissimum morem gerendo, pro plene continuanda seraphici nostri Ordinis historia vices partis, quae almam nostram Reformatam Franciscano-Austriacam concernit Provinciam, in praesentiarum explere conor, de ea iuxta methodum, mihi ab A. R. P. Sigismundo a Cuneo, reformatae Provinciae D. Thomae apostoli Patre et Ordinis Chronologo, praescriptam, laconico, etsi secundum materiarum exigentiam subin fusiori, charactere singula daturus eaque cum fidelitate, qua vel ex probatis auctoribus, chronicis, locorum urbariis, manuscriptis, Provinciae conventuum archivis eorumque protocollis cuncta recipere licuit, sinceritati magis quam verborum ambagibus aut comptiori Minervae studiosus. Et siquidem haecce Austriaca, D. Bernardino Senensi dicata Provincia nominis etymologiam ex archiducali AUSTRIAE regione sortiatur; de eiusdem praeprimis origine, vocabulo et nuncupatione ordiri et Provinciae Austriae descriptionem inchoari opportunum iudicavi. Sit igitur

CAPUT I.

§ 1.

De origine et antiquitate Austriae.

Austria, priscis Noricorum Ripense, haud ab alio nomen suum derivat, prout plures cum P. Bertio indicant, quam ab ipso mundi orientalis cardine, qui in germano idiomate *Ost* dicitur: ex abundanti Euri seu Aeoli orientalis vehementiori afflatu Germanis Ostreich, dein Osterreich (iuxta tritum illud Austriacum: Austria ventosa, nisi ventosa, venenosa), Latinis autem iam a Caroli Magni temporibus Austria audit. Iacet sub octavo climate, ad orientem Hungariam, ad occidentem Bavariam, ad septentrionem Moraviam et Bohemiam, et ad meridiem Styriam respiciens; numerat in

sua longitudine 12, in latitudine 20 leucas germanicas. Haecce regio ob amoenissimam planitierum iucunditatem, silvarum caeduarum, pratorum, agrorum, vinearum varietatem, aëris salubritatem rerumque omnium opulentiam nulli secunda; undique frondosis montibus etiam celsioribus quasi digna sua corona circumdatur, diversi generis animantibus silvestribus et caeli altilibus copiosissime ditata, suis terrae fructibus adeo opulenta, quod non solum sibi sit sufficientissima, verum et de uberrima sua fecunditate, praecipue tritici, vini nobilissimi, croci etc., conterminis, immo remotioribus etiam provinciis continuo largifluam agat dispensatricem.

Regionem Austriae Otto I. imperator in marchionatum non tam evexit, quam suis posteris sub hoc titulo transcripsit circa annum 946. In ducatum imperator Fridericus Barbarossa, qui primum Henricum II., S. Leopoldi marchionis filium, ducem Austriae appellavit anno 1156. In archiducatum seu ducatum, qui omnes totius imperii ducatus antecelleret, sublimavit Fridericus II. imperator anno 1233.

Pro insigni gentilitio ex una parte tenet quinque alaudas, a romani exercitus legione X., tunc Austriae plagas incolente (ex figura galearum alaudis simillimarum alauda legio dicta), sibi non abs ratione delectas. Ex altera dimidia scuti parte campus accedit rubeus, medio candidus; cuius gloriosus auctor Leopoldus erat dux Austriae VII., dum is anno 1192, Ptolomaidam, Palaestinae urbem, generosissime debellans, plura militum millia heroino prorsus animo trucidaret, in qua caede candida alioquin eius vestis, cum iam per totum sanguine respersa ruberet, lineam dumtaxat candidam ibi reliquit, ubi eam balthei cinctura in medio formaverat.

Austria prae totius Germaniae terris prima fidem orthodoxam complexa est, quando imperii sceptrum Philippus catholicus, munus vero disseminandae evangelicae veritatis et episcopi S. Quirinus, Christi martyr, gerebat anno 256. Hanc penitus collapsam ex immani barbararum nationum frequentiori irruptione post bis centenos circiter annos S. Severinus abbas, vere alter Austriae apostolus, restituit, Roma huc in messem spiritualem missus anno 468. Tandem adscitis Germanorum catholicorum coloniis, ac rursum vocatis viris pietate et fidei zelo clarissimis, Carolus Magnus ad annum 790 universam Austriam a gentilium infidelitate penitus vindicavit et, propulsis errorum tenebris, admirabile fidei christianae lumen incolis omnibus oriri fecit, ad nostra usque tempora pientissime conservatum.

Dividitur Austria in duos tractus: Austriam inferiorem seu infra Onasum, et superiorem seu supra Onasum. Numerat per tractum inferiorem urbes 29, oppida 124, arces 606, praepondituras et abbatias 31, pagos 1510. Per superiorem urbes 12, oppida 81, arces et castra 223, praeposituras et abbatias 14, pagos 643. Ex his iam Austriae magnificentia, urbium, oppidorum etc. numerus facile coniiciendus: si enim ad unum calculum urbes omnes reducantur, invenientur urbes 41, oppida 205, arces et castra 829, abbatiae et praepositurae 45, pagi etc. 2153. Fluvios et amnes habet per utrumque tractum 40 et plures; horum singulorum princeps est Danubius, Bavariam, Austriam, Hungariam secans ac per Rasciam et Bulgariam, postquam multas et memorabiles alluit urbes, sese cum 60 navigabilibus fluviis Ponto Euxino miiciens. Per hunc in Austriam conterminasve ditiones ex Imperio, Italia, Tyroli, Bavaria etc. maxima fit mercium communicatio et peraccommoda victualium quorumcumque translatio. Merito igitur haecce Austriae regio meditullium et cor Germaniae, S. R. Imperii clypeus, archiducum optima haereditatis portio et totius christianitatis praesidium nuncupatur firmissimum.

§ 2.

De metropoli caesarea et urbe Vienna.

Urbs Viennensis[1], olim Vindobona aut Vendobona a legione Venedorum et Vendum, a Vandalis nominata fuit, prout lapidibus inscriptum refert beatus Rhenanus, et Antonini probat Itinerarium, item Aurelius Victor, qui fusius monstrat, Marcum Aurelium imperatorem post famosam contra Bohemos reportatam victoriam Vindobonae vita functum fuisse. Tractu temporis a Tito Fabiano seu legione Fabiana, Fabiana et Faviana, a Germanis vero abiecta prima syllaba, Biana, Biena, Viana, Vienna, Wienn appellari coepit. Persaepe in ea urbe domicilium fixere gentiles caesares, nominatim Octavianus, Tiberius, Claudius, Caius, Galbus, Vespasianus, Traianus, Marcus Aurelius, Pertinax, Septimius Severus, etc.

Primus mitra episcopali hac in urbe claruit Mamertinus nomine, a S. Severino abbate ex romano tribuno episcopus creatus sub Zenone Isauro imperatore et Gelasio summo Pontifice anno 466. Post Avarorum, Hunnorum, Sclavorum, Longobardorum, Marcomannorum, etc. hostiles saepius invasiones et loci devastationes episcopatus desiit; et per plura saecula solum parochi, archidiaconi, praepositi, etc. spiritualia Viennae administrabant, usquedum Fridericus III., Romanorum imperator, anno 1460 dignitatem episcopalem rursum in urbem invexit. Episcopi pontificia auctoritate Sixti IV. exempti esse coeperunt anno 1480, S. R. Imperii principes nominari sub Ferdinando II. imperatore anno 1630, archiepiscopalibus demum insignibus decorari ad instantiam Caroli VI. Romani imperatoris sub Innocentio PP. XIII. anno 1723. Primus archiepiscopali pallio amictus est celsissimus S. R. I. princeps Sigismundus e Comitibus de Kollonitsch, iam purpuratis S. R. E. Patribus adscriptus. Principes ecclesiae Viennae inauguratae fuerunt S. Ioanni praecursori, SS. MM. Gervasio et Protasio, ut Lazzius refert, S. Ruperto episcopo, S. Petro, Apostolorum principi; ex quibus solum S. Ruperti aedes suam primaevam hodiedum retinent formam et vetustatem, reliquis aut aboletis, aut in longe elegantiorem formam et faciem permutatis.

Vindobona seu Vienna, dum Austria per gravissimos eosque continuos barbarorum, Longobardorum praecipue et Hunnorum, insultus plurimum devastaretur, miserrime etiam expoliata et exusta, aedificiis omnibus destituta ac ad acervum lapidum redacta fuit; et quoniam, bellicis terroribus indesinenter concussa, non aedificabatur, per annos quingentos viginti et plures non habitata remansit. Unde succrescentibus arboribus, et urbe in densissimam silvam infausta metamorphosi abeunte, Austriae principes ob ferarum et silvestrium animantium copiam nimis multiplicatam locum hunc, venationis percupidi, in maximis deliciis habuerunt. Primus, ut plures volunt, Austriae marchio ad domum venatoriam (qua unica tunc in nemore specta-

---

[1] Auctor praemittit plurium opiniones de antiquitate urbis Viennae; quae ut manifeste fabulosa omittenda censuimus. Addit tamen haec: « Percelebres tamen historiarum scriptores Cornelius Tacitus, Strabo, Lazzius etc. indicant, hanc urbem olim a Romanis aedificatam fuisse anno mundi 3990, post urbem Romam conditam anno 691 ».

bilis erat) plures pro venantium commoditate aediculas apponi mandavit circa annum post Christum natum millesimum. Tandem Leopoldus VII. et Henricus VI., ambo fratres et ubique contra barbaros victoriosi, ex copiosissimo quem secum reportaverant thesauro post exstirpatam omnem silvam mille domos exstrui et muro eas cingi curaverunt circa annum 1200. Gloriosum suum genitorem Leopoldum in his amplius ampliandis dignissimus tanto parente filius secutus est Leopoldus VIII., adeo quod Romani ob delitiosissimum situm, bene structas aedes, profluentis Danubii utilitatem terraeque contiguae fertilitatem urbem Viennensem palatium principum passim nominare iam coeperint. Fridericus II. imperator, postquam cum Conrado filio, tunc rege Bohemiae, urbem hanc homagii sibi praestandi causa introivisset ac a civibus honorificentissime exceptus fuisset, Viennam urbem imperialem constituit eique pro scuto gentilitio aquilam auream et bicipitem, corona decoratam in campo nigro concessit anno 1236. Hic anno insequente, Rudolphus vero I. imperator anno 1284, in ea sedem figentes, eam sibi residentiam caesaream elegerunt, qua praecellente praerogativa simul et felicissimo imperatorum e linea Habspurgensi a Rudolpho I. descendentium gubernio gaudet in hodiernam usque diem, abs intercapedine gloriosissimis Romanorum imperatorum coronis et sede nobilitata.

Anno Domini 1264 vel, ut vult Lazzius, 1267 auctoritate et iussu Clementis PP. IV. hac in urbe concilium provinciale celebratum fuit sub Guidone S. R. E. presbytero et cardinale ad S. Laurentium in Lucina, convenientibus in unum omnibus totius Germaniae episcopis, quorum praecipui fuere Aquileiensis, Salisburgensis, Pragensis, archiepiscopi; Passaviensis, Olomucensis, Ratisbonensis, Frisingensis, Vratislaviensis, Brixinensis, Tridentinus etc. episcopi.

Universitas hic conspicitur celeberrima, quae in omni scientiarum genere viros complectitur ornatissimos, doctissimos. Huic fundamenta iecit Fridericus II. imperator, rex Siciliae et Ierusalem, anno 1237. Quae amplius adaucta sunt per Albertum II., ducem, et Rudolphum IV., archiducem Austriae, circa annum 1362; subin ab Urbano papa huius nominis VI. anno 1384 confirmata. Denique almam hanc universitatem, apostolicis gratiis caesareisque praerogativis ac privilegiis cumulatam, Fridericus III. anno 1440 caesar electus, artium liberalium et scientiarum fautor singularissimus, vocatis ex celeberrimis museis viris doctissimis, amplius fundavit, gymnasium litteratorum magnificavit, academiam maximis censibus et redditibus ditavit; quatenus, quemadmodum apud Latinos Roma, apud Graecos Athenae, ita per Germaniam Vienna eruditorum copia clareret. Prodiit ex hac litteraria palaestra Franciscus Picolomini de Senis, dein ad summi Pontificis apicem evectus et Pius II. dictus; aliique palaestritae plurimi, tum litteratura et sapientia conspicui, tum sago togaque utrique reipublicae perutiles, illustres.

Urbs ipsa munitissimi fortalitii faciem prae se fert, praeter praegrandia quae eam cingunt moenia. Sex amplas portas, duodecim propugnacula, revellinos decem cum permagnis vallis et fossis superbe enumerans. Ad intra continet fora maiora 15, augustas ex augustis iisque quamplurimis ac nobilissimis palatiis plateas ultra 70, aedes universim 1272. Colossi eximiae maiestatis in hac urbe spectantur tres, unus ex aere fusus immaculatae Virgini anno 1667, alter ex candidissimo lapide caesus, SS. Triadi positus anno 1687; ambo gratitudinis in Deum monumenta sunt Leopoldi I. et Magni; tertius, ex pretioso marmore artificiosissime sectus, S. Iosepho, Christi nutritio virginum Virgini desponsato, maximis impendiis Caroli VI. caesaris

anno 1730 erectus est, in quibus nec quidquam, quod vel ab arte vel pretio desideraretur, praetermissum.

Residentiam hanc caesaream de se numeris omnibus absolutissimam magnificant amplius ipsa suburbia, per planum passuum 600 dissita, vastitate et venustate sua civitatibus merito aequiparanda, et ideo sub propriis nominibus in duodecim distincta civitates. Hae gloriosissimi imperatoris Iosephi I. iussu ac sumptibus anno 1704 lineis seu minoribus vallis munitae sunt, per circuitum in sua dimensuratione et amplitudine habentibus orgyas germanicas plures quam octies mille et centenas. In octo xenodochiis, sicut et duobus intra urbem hospitalibus, ultra sex millia pauperum et invalidorum aluntur. Sacrarum aedium et ecclesiarum notatu dignarum, si eas cum illis intra urbem computes, numerus facile sexagesimo maior est.

Metropolitana ecclesia et prima urbis paroecia S. Stephano protomartyri consecrata est. Ab Henrico I., S. Leopoldi filio, anno 1144 Sanctis omnibus inaugurata fuit; anno 1360 Rudolpho IV. iubente, eandem Reinberg, Passaviensis episcopus, dominica in albis honoribus S. Stephani consecravit; anno 1400 Alberti II, Rudolphi IV, Alberti III. et IV. archiducum maximis impendiis ad eam quam modo spectamus magnificentiam excrevit suumque maiestatis modernae apicem attigit. Machina omnis ex lapidibus mere quadris et sectis assurgit, longitudo eius 57, latitudo 37, altitudo 13 aut plures orgyas germanicas habet. Altaria numerat 36, organa 5, ianuas itidem 5. Statuae sanctorum, ad intra et extra templum per gyrum positae, visuntur innumerae; turris huius basilicae mira arte ex sculpto lapide superba cum altitudine, quae 460 pedum est, sese erigit, artificio, fortitudine, magnificentia, spectabilitate sua ad omnium intuentium admirationem est per Europam celeberrima. Architecti eius fuere Georgius Hauser et Antonius Pilgraben. Altera, quae 34 orgyiis ab ista dissita et quoad amplissima fundamenta huic omnino aequalis est, a Friderico III. imperatore, antequam cum coniuge sua in Italiam ad Nicolaum V. pro coronatione abierat, sumptuosissime coepta, ob praematuram vero et violentam architecti mortem conceptam prioris altitudinem vix mediam attigit; retinet nihilominus aes campanum ducentorum duorum centenariorum. Et licet plures campanae maiores diversis in templi huius turribus minoribus claudantur, omnes tamen superat una in turri maxima, maximo cum sonitu vocalis, suo pondere trecentorum viginti quatuor centenariorum sexaginta librarum gravis; opus posthumum caesaris Iosephi I. Victoriosi, non solum ex magna magni caesaris munificentia, verum et sua gravitate toto orbe facile maximum. Fusa est a Iohanne Achamei die 21 iulii anno 1712.

Urbem et suburbia septingenta millia hominum incolunt, atque, ut magnificus huius loci splendor ne quidem de nocte obumbretur, sed nox ad instar diei illuminetur, lucernae nocturno tempore 273 accenduntur. Splendicantia armorum conditoria hic tria reperiuntur, in defensionem patriae et urbis omnis generis arma Martem quoquomodo secuturis obsequiose exhibentia ac pro centum et pluribus hominum millibus armandis abundantissima. Durissimas obsidiones Vienna terna vice sustinuit: anno 1477 a Mathia Corvino, ubi ob annonae caritatem unicum farinae modium 107 sestertiis, seu 13 florenos et 22 cruciferos $^1/_2$, appretiabatur; anno 1529 a Turcarum suldano Solimanno; et anno 1683 ab eiusdem Turcae vezirio Kara Mustapha, qui eam ultimo cum formidabili exercitu 200000 et plurium militum gratis oppugnavit. Pestifera lues anno 1679 ultra 100000, anno 1713 10000 et plures homines de libro viventium delevit.

§ 3.

De initiis et progressu Provinciae Franciscano-Austriacae.

Seraphicum regularis observantiae institutum in his partibus Germaniae, antequam S. Ioannes a Capistrano eas sua praesentia bearet, iam floruisse, extra omnem videtur esse controversiam, tametsi ob locorum paucitatem necdum Provinciam nominaret. Adduci enim nonnulla valent ex veteri conventus Viennensis cartophylacio testimonia praelatorum, episcoporum, nuntiorum a latere apostolicorum, caesarum et pontificum, quibus abunde innueretur huius veritas, nisi manuscripta, quae subin solum fragmenta sunt, sparsim tantum et superficialem referrent singulorum memoriam, vetustas ac characteris illegibilitas pleniorem transcribere notitiam cohiberet, praeterea diligentiorem antecessorum nostrorum calamum non minus infausti illius aevi in his regionibus successus, quam continuae illorum temporum calamitates ac miserandae vicissitudines rerum sat infelici conamine praepedivissent. Ut interim, relinquendo ambigua, certiora adducamus, primum ponimus archiepiscopi Cozaelensis indulgentiarum breve, cuius virtute tenoris singulis ecclesiam ad S. Theobaldum extra muros Viennenses in fossa argillaria visitantibus et eleemosynam porrigentibus Christi fidelibus quasdam dispensat peccatorum venias; et est tale: Iacobus, Dei gratia archiepiscopus Cozaelensis, dat omnibus Christi fidelibus M. dies indulgentiarum mortalium peccatorum ad S. Tyboldum (sic) Ordinis Fratrum Minorum, quicumque porrexerint ibi eleemosynam ad ecclesiam, quotiens totiens, et Ecclesiam intraverint et dixerint unum Pater noster et Ave Maria confessi et contriti; perpetuis temporibus duraturis (sic!). Anno Domini MCCCXCIII. Sigillum appensum a potiori corrosum est. — Ferdinandus, archidux Austriae, fratribus nostris ad S. Theobaldum anno 1422 gratiosam facultatem concessit, in silva caesarea ligna libere caedendi pro necessitatis exigentia. Facultas, data theutonico calamo, super membrana exarata est.

Ex his non obscure eruitur, fratres nostros iam ante S. Ioannis Capistrani in terras istas adventum, qui primum anno Domini 1451 contigit, ad S. Theobaldum, ubi quoque sorores nostrae tertii Ordinis in contiguo monasterio degebant, quoddam fixisse domicilium; ita etiam conventus noster ad S. Hippolytum quoad episcopi Pataviensis concessionem et cuiusdam fundi donationem, ut proprio loco dicetur, iam sua initia sumpsit anno 1449. Liquido praeterea constat, viventibus adhuc S. P. N. Francisco et S. matre Clara, primis pro utroque sexu fundatoribus, Clarissas Iudenburgi in superiori Styria, extra muros in Valle, monasterium in Paradiso B. Virginis ad caelos assumptae nuncupatum occupasse, earumque ecclesiam anno 1222 consecratam fuisse. Argumentum non leve inde desumi potest, S. Patrem nostrum, quemadmodum S. virgo Clara primae regulae discipulas et filias, ita primae et regularis observantiae filios in has partes, ut verbo et exemplo animarum saluti incumberent, misisse; immo ut sacrae virgines in prolixo adeo itinere spirituali semper potirentur solatio, viros pietate et virtute conspicuos in socios assignasse, qui Dei afflante gratia dein aucti, vel in eodem vel alio loco religiosa sibi construerent habitacula. Haec duntaxat sunt, quae longissima annorum series et con-

tinua nobis nostroque proposito plurimum adversantes temporum iniuriae de veteri ac primo S. Theobaldi loco ex manuscriptis posteritati communicanda reliquere.

Nihilominus strictissimo iure originis, plantationis et initii sui felicitatem omnem, quod seraphicum regularis observantiae institutum in his Germaniae partibus magis innotuerit, hocque per plurimos conventus diffusum fuerit, Austriaca Franciscanorum Provincia debet beatissimo viro, zelantissimo fidei et religionis propugnatori Ioanni Capistrano, seraphici Ordinis et Fratrum de regulari observantia familiae cismontanae vicario generali, haereticae pravitatis inquisitori ac evangelicae veritatis praedicatori celeberrimo, ob eximiarum virtutum et sanctimoniae singularis quamplurima merita merito gloriosis sanctorum fastis adnumerato. Hic siquidem sermone, opere ac prodigiis regularem observantiam copiosissime disseminando plures per Austriam, Bohemiam, Poloniam etc., conventus Fratrum excitando, mirificus Provinciae Franciscano-Austriacae, ut mox fusius dicemus, auctor exstitit ac fundator. Virum hunc vere catholicum et totum apostolicum augustissimus Romanorum imperator Fridericus III., eiusdem sanctitatis fama ubique percrebrescente permotus, instantissime, ut et Austriam suo adventu bearet ab apostolica sede postulavit; annuente pontifice tunc Nicolao V. anno 1451. Idem ad partes Germaniae et quidem 19 mensis Iunii anno eodem ad urbem Viennensem pervenit ad beneplacitum caesaris, apud RR. PP. Conventuales intra civitatem divertens. Vix fatigiosas itineris molestias absolvens ab iisque paululum quiescens, vir beatus per indefessum spiritus desursum ferventis conatum, ardentissimas praedicationes, virtutum splendores et stupende patrata miracula adeo caesaris, regis, principum, ac magnatorum affectum et gratiam sibi reconciliavit, quod omnes strictioris observantiae et Franciscani instituti, hisce in partibus minus cogniti, non solum strenuos in fautores et singulares amatores evaserint, verum et pro erigendis huiusmodi Fratrum domiciliis gratias et privilegia omnemque pro piae causae huius promotione assistentiam ultro obtulerint.

Quae in itinere prodigiosa contigerint, quam beatus et ter faustus fuerit sancti viri ad partes Austriacas accessus, quam gloriosus Neostadii et Viennae ingressus, quam copiosa et efficax verbi divini disseminatio, beneficiorum spiritualium dispensatio, miraculorum patratio, mira regularis observantiae introductio; cum testimonium omni exceptione maius perhibeat ocularis singulorum testis, individuus meritorii huius itineris comes et S. Ioannis a Capistrano secretarius a. r. p. Nicolaus de Fara, qui fidelissima penna quaecumque ipse vidit adnotans, relationem epistolarem idiomate italico conscriptam vicario Provinciae Florentinae transmisit: eiusdem epistolam, cui aliquid demere crimen, aliquid addere temeritas foret, pro omnimodae veritatis supplemento, fidem utique indubitatam apud lectorem sibi reconciliaturam, hic subnectimus sincera latinitate donatam[1].

Frater Nicolaus de Fara Ordinis Minorum, minimus Religionis Franciscanae, dilectis in Christo Patri Ludovico Senensi Vicario, Guardianis ceterisque Patribus et Fratribus Florentinae Provinciae benedictionem divinam et salutem in saecula.

[1] In Annalibus Waddingi ad an. 1451 n. 15 impressa est epistola eiusdem auctoris, de eodem argumento, eodem die et loco scripta. Non commemorat Waddingus, istam epistolam italico ideomate scriptam esse et in latinum translatam. Est autem multo brevior et generalior de iisdem rebus gestis narratio apud Waddingum, quam apud nostrum auctorem.

Non maius, dilectissimi Fratres! nobis percipiendum erit gaudium, quam si vos bona gaudeatis salute, dum et nos, Deo dante, ea perfecte fruimur. Singularis bonitas vestra exigit a me, quatenus vi obligationis et muneris officii mei de omnibus ponderosis praecipuisque rebus iuxta possibile vos certiores reddam ac informare satagam, quid videlicet in prolixiori itinere nostro cum venerabili seniculo et Patre nostro laude atque notatu dignum acciderit; quomodo alienis in terris suscepti ac habiti fuerimus; qualiter commissa nobis negotia perfecerimus, aut quid alias in locis istis ad maiorem Dei gloriam, proximi salutem, seraphicae nostrae religionis incrementum, praecipue vero ad communem totius christianitatis utilitatem pertractatum sit. Quamvis tam in hoc, quam aliis pluribus satisfacere vobis prompte contendam; verum doleo, invidia temporis et negotiorum copiositate plenum desiderium meum praepediri, quin pleniorem vobis notitiam communicem, dum vix breviori calamo ac paucioribus verbis haec vobis transcribere conceditur. Cum vero minus ponderosae res vano verborum ornamento et potissimum fallaci inanium caeremoniarum fuco comi et ornari praetendant, et econtra res substantiales et digniores in seipsis pretiosae, magnificae et laudabiles solum succincte et stylo communi, quasi nudae propria contentae natura et essentia, omnibus et singulis sine ulteriori commendatione praesentari et obiici appetant; hinc me conformare studui hisce posterioribus, prout etiam praesumo sine longiori ambage, praedivitem gratiarum affluxum nostri Ioannis in praeclaris portentis et miraculis, quae per eum altissimi Dei bonitas tam in itinere, quam diversis in locis nostrae peragrationis copiosissime operata est et universo mundo manifestavit, describere. Et quia, dilectissimi Fratres, non ignoro vobis de illis signis et miraculis post discessum nostrum ex Italia usque Venetias factis sat constare, ideo proposui de illis duntaxat, quae abhinc usque ad confinia Germaniae et ulterius contigerunt, brevem exhibere relationem.

Dum ergo magnum flumen nomine Tarvisium nobis transmeandum esset, et nauclerus sine naulo nos transferre nollet, mirabile ac stupendum accidit portentum: vix enim carissimus noster senecio brevem finierat oratiunculam et quasdam de S. Bernardino assumpserat reliquias, ecce! fluminis undae utraque parte divisae extollebantur, ut veluti Israelitae per mare rubrum, sic nos una cum clitellario iumento sicco pede transiremus, collapsis retro nos praefati fluminis undis. Paulo post non absimile quid nobis obvenit rapacem fluvium Poo transfretare volentibus, renitente nimirum nauta nos sine pecunia traducere. Seniculus noster P. Ioannes suum super undas extendit pallium, super quo nos simul cum iumento non tam feliciter quam mirabiliter transvecti sumus. Attingentibus nobis ex tunc supernaturali modo primam Germaniae urbem, Pontebbam dictam, placuit bonitati divinae in eadem magnas suas manifestare gratias. Per sanctam enim benedictionem dilecti Patris nostri puella ex utero matris suae caeca visum, miser ac claudus gressum, surdus simul et mutus loquelam recepere. Idem dein Villaci in urbe accidit, ubi intra duos nostrae ibi commorationis dies ultra triginta similia miracula summa cum incolarum obstupescentia patrata fuerunt. Et erant ista simul ex parte etiam ridiculosa, siquidem quatuordecim ex illis, qui claudi omnique motu privati in gestatoriis ac trochleis antea asportabantur, gressu recepto, cantantes, tripudiantes, Deum in Sanctis suis collaudantes, sibi invicem aggratulantes trochleas et gestatoria, velut miseriarum suarum tropheum, domum propriis manibus detulerunt. Hoc idem, quod de Villaco dicitur, contigit cum aliis duodecim in episcopali villa Gurgg. Supergre-

dior civitatem Frisacensem, S. Vitensem, Iudenburgensem aliosque multos pagos, urbes et oppida, quae in itinere attigimus, et in singulis non pauciora, quinimmo quibusdam in locis plura et maiora patrabantur miracula; de quibus pauciora tantum tum ob populi confluxum, tum ob alia negotia ac brevem moram notare potuimus. Postquam Iudenburgo ad oras Austriae movimus, omnibus in locis verificatum fuit, quod S. Lucas c. 6. de Christo asseruit dicens: *Multitudo copiosa plebis... venerunt, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis... omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes;* quod idem contigit cum dilecto nostro P. Ioanne. De aliis rebus notatu dignis, quae per totum iter nostrum ab inferiori Styria usque Neostadium Austriae contigerunt, impossibile mihi est, distinctam communicare relationem.

Notum tantum facio, nos Neostadium die undecima Iunii anni currentis in bona valetudine appulisse feliciter. Ibidem primitus a tota civium communitate ac magistratu, uti et a toto clero, comitante copioso populo, devotissimis sub amplexibus in civitatem conducebamur. Postmodum pariter a sacra caesarea maiestate Friderico III. et Ladislao Hungariae Bohemiaeque rege cum tota nobilitate et curia peramice suscepti sumus. Postera die habitâ audientia apud sacram caesaream maiestatem, humiliter propositis negotiis nostris a sua sanctitate Nicolao V. nobis commissis, dilectissimus noster P. Ioannes eadem adhuc die in praesentia maiestatum, totius curiae infinitique populi exorsus est concionem; in cuius fine super aegros manus imponens repetiit verba Christi: *Super aegros manus imponent, et bene habebunt,* neque in vanum; quandoquidem adhuc illa et sequentibus diebus quinque, quibus ibi morati sumus, cum stupore totius populi septem caeci, unus ipsorum a nativitate talis, octodecim claudi, sedecim surdi, unus a nativitate surdus et mutus, septem manibus pedibusque contracti, quatuordecim aliis membris aridi, sex podagrici, una vidua a sanguinis fluxu liberati fuere. Similiter quoque vicarius eiusdem civitatis, cui in vigilia praecipuae festivitatis, qua sacra peragere debuisset, spina piscis deglutita collo transversum fixa haesit, ita ut de eius vita desperarent omnes, sola dilecti nostri Patris benedictione super eum facta spina subito eiecta, et sine impedimento sequenti die officio suo functus est.

Hoc tempore oranti Ioanni et crucifixum devote invocanti pro inspiratione, quomodo aut quo iter suum dirigendum esset, divina voce responsum est, ut sine mora, quantum fieri licet, in Bohemiam se conferat. Incunctanter proinde sacris valedixit maiestatibus, praemissa salubri instructione, quibus quoque spiritu prophetico multa praedixit futura, quae temporis successu suam nacta sunt veritatem. Aegre ac ingenti cum dolore eum sacrae maiestates dimisere, tamen tantum a Ioanne impetravere, ut aliquot diebus se Viennae detineret, quem paulo post sacrae secutae sunt maiestates. Neostadiensibus igitur vale faciente Ioanne, observabatur idem, quod antiquitus valedicente S. Paulo accidit tempore Ephesinorum, cum eum planctu comitantium usque ad navim; taliter inquam totus populus cum ingenti eiulatu et planctu uno alterove milliari extra urbis portam nos nostrumque Ioannem comitatus est, denique cum sancta benedictione in pace ab eo dimissus. Nos autem iter nostrum, qua potuimus celeritate aggressi sumus.

Unanimis quidem consensus erat, silentiose ac incognite petere Viennam; propalante tamen proditoria fama facta et prodigia dilectissimi nostri Patris, non in urbe solum Viennensi, verum et in singulis adiacentibus locis, impossibile relatu

est, quantam iam a longe populi copiam conspexerimus, ita ut non modo nos, sed et plures alii sancte opinati sint, a tempore Apostolorum non talem fuisse concursum, qualis nunc conspiciebatur. Et quamvis iam in primo Germaniae ingressu nos inexplicabilem populi concursum experti fuerimus, cuius zelus, caritas et reverentia tanta in nos erat, ut indubie credere coacti simus, omnem sane populum a Spiritu sancto inflatum et instructum, quo modo, quo honore nostrum seniculum Patrem salutare deberet. Nihilominus praerecensitae reverentiae ac honores comparatae praesentibus umbrae videbantur. Siquidem Ioannes noster non amplius homo mortalis, sed quasi angelus a Deo missus honorabatur a singulis; quem maiori cum honore suscipiendi bene ordinatae instituebantur processiones cum crucibus, reliquiis, accensis facibus et candelis, quibus devotus populus nostro Ioanni obviam processit; suavissimus praeterea musicalium instrumentorum resonabat sonus, clangebant campanae in turribus, ludebant organa in ecclesiis, et platearum viae multicoloribus ac odoriferis spargebantur floribus; paucis multa dicendo, nil erat reperibile aut excogitabile, quod non in maiorem cederet Ioannis gloriam, quamvis cum summa eiusdem renitentia iteratisque protestationibus, cum omnia in suam fieri arbitrabatur confusionem. Felicissimum se reputabat, quicumque oram habitus sui attingere posset. Tali modo a devoto zelosoque clero ac sacerdotio cum celeberrima universitate, magistratu, plebeio nobilique populo prorsus infinito obviam venienti nos suscepti talique comitatu per totam urbem usque ad conventum Fratrum Minorum Conventualium ad S. Crucem introducti fuimus. In hac ecclesia solatiose habita concione, primam populo contribuit benedictionem. Sequenti die, supplicante tota civitate, praesertim id desiderante capitulo in ecclesia cathedrali ad S. Stephanum, sermonem habuit, assumpto textu Ieremiae: Puer sum, et nescio loqui, tam celebrem ac sublimem desuper formando discursum, ut caelestis eius eloquentia et fervor ac subsequentia miracula non solum totam Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Moraviam, Bavariam, Poloniam, Moldaviam, verum etiam Turciam plane penetraverint; ita quidem, ut undique confluente populo de illo laudari valeat, quod regius vates de Apostolis Christi vaticinatus est: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines terrae verba eorum.* Maxime vero dum subinde suis concionibus potissimum ultra 50000, aliquando 100000, quandoque 150000 hominum secundum unanimem aliorum coniecturam interfuerint; quapropter ob cathedralis ecclesiae angustiam sub sereno caelo in eiusdem ecclesiae coemeterio, in principalioribus urbis foris, utpote in foro maiori, apud Carmelitas, et saepissime in apertis campis extra urbem praedicare cogebatur; ad quas conciones plerumque sacrae maiestates imperator et rex Hungariae ac Bohemiae quam diligenter comparuere; et quis crederet eius vocem et verba a singulis percipi posse? Quidquid sit, non erat forum, non campus, non pratum tantae magnitudinis, amplitudinis et longitudinis, quin aliqui ab auditione verbi divini populi affluentia arcerentur.

Pro maiori confirmatione testem adduco magnam illam festivitatem Corporis Christi, in qua (sicut ab omnibus firmiter credebatur) ultra 300000 auditorum pomeridiano tempore suae intererant concioni. Et non immerito; siquidem finita concione, ut semper, opere repertum est, quod suis Christus Apostolis adpromisit, mandans, ut praedicent evangelium universae creaturae, se vero confirmaturum sermonem illorum sequentibus signis. Ego enim, dilectissimi Fratres! de illis signis, quae post suas conciones amantissimus Pater noster a 14 Iunii usque ad 19 Iulii

patraverat, nostrae in Austria commorationis tempore 200 adnotavi miracula, centum et plura in viis et diversoriis Germaniae, de quibus pro vestra consolatione adiicio sequentia: centum et quinquaginta surdis sua benedictione reddidit auditum, undecim caecis visum, novemdecim claudis membrorum agilitatem, e duobus obsessis plurima eiecit daemonia, leprosum unum, quinque hydropicos, unum podagricum omni motu destitutum, sex manibus pedibusque saucios in praesentia plurium hominum millium perfecte quasi unico momento sanavit ac pristinae restituit valetudini.

Et quamvis imperscrutabilis Dei bonitas semper sit admirabilis in Sanctis suis, contingit tamen quandoque nos in patientia probari aut per suspensionem gratiae, aut ad magis confirmandam fidelium fidem. Idem contigit B. nostro Ioanni; dum nimirum festis pentecostalibus instantissime rogaretur in ecclesia cathedrali habere sermonem, cum demiratione accidit, quod non obstante laudatissima ac fervida de adventu Spiritus sancti habita in dominica pentecostes concione, nullum attamen in eadem festivitate miraculi cuiusdam signum observaretur, tametsi eadem die omnes ac singuli, praecipue Patres sui ac socii, quaedam sperassent, unde non parum contristati multis importunis agitati suspicionibus ad conventum revertebantur. Ioannes vero iam prius horum in Spiritu praescius sic eos affatus est: Hodie nihil memoria dignum actum est, ipsemet ego totus lassus et fessus sum. Cui ego respondi: Pater! fortassis Deus vestram probare voluit patientiam? nos interim heri a vobis ob tantam festivitatem ingentia expectabamus miracula. Reposuit ille: Et hoc ipsum bene sciebam; nolite vero dubitare, o increduli et tardi corde! Deus crastina die gloriam suam ac maiestatem abunde manifestabit. O auream vocem! O prophetica verba! quae non ab humano intellectu, sed a divino profluxere Spiritu. Postquam enim die sequente non quidem in ecclesia, sed ob nimiam populi affluentiam in coemeterio praedicasset, non solum nos, sed et omnis populus cum ingenti admiratione, uti praedixerat, ultra 20 miracula ac signa propriis perspeximus oculis; mortua quaedam puella quindecim circiter annorum, ea die a moestis parentibus sepelienda, per suam sanctam benedictionem a mortuis suscitata, cum suis parentibus sana ac hilaris domum rediit. Infans quidam, qui paulo ante festa pentecostalia in fontem ceciderat, tribus diebus in eo permanens mortuus, sub eadem hora concionis ad sepulcrum portatus, postquam a longe benedictionem Ioannis acceperat, omnino revixit. Quidam vir, ab alta domo capite deorsum in plateam lapsus, caput ita saxis illisit, quod undequaque dispersum cerebrum lapidibus adhaereret; transit peracta concione B. Pater, miseretur huius mortui, colligit cerebri reliquias concretique sanguinis, reponit ad confracta capitis ossa, una manu conquassatum tenet caput, altera desuper format signum sanctae Crucis; subito vir ille sanus et laetus surrexit, nullo apparente cicatricum vestigio. Mulier quaedam, Margarita nomine, venenatam bibens aquam ita intumuit et misera effecta est, ut ranae et bufones in eius nascerentur utero, ex quo per integrum annum inexplicabiles passa est dolores, mortua magis quam viva; recipiens autem sanctam nostri Ioannis benedictionem ranas et bufones eiecit ac integrae restituta est valetudini. Praedives quidam mercator Viennensis formosum habuit filiolum, qui septimum iam agens aetatis annum voce prorsus omni erat destitutus; hic a desolatis suis parentibus pro accipienda benedictione ad Ioannem ductus, quamprimum is super os pueri crucis signum fecerat, distincte ad instantiam Ioannis sanctissimum nomen IESU

pronuntiavit, deinceps perfecte locutus. Supremus aulae cancellarius ex insperato toto intumuit corpore, atque pectus venenoso adeo apostemate inficiebatur, ut salus a medicis omnino desperaretur; ast benedictio beati viri cum optata sanitate donavit ac e lectulo infirmitatis suae liberum abire permisit. Plura narranda restarent, nolo tamen casus oblivisci, qui inter duos coniuges hic contigit Viennae. Peperit uxor debito tempore prolem; negat maritus hanc esse suam ac obinde uxorem non solum durioribus increpat verbis, sed et illam magistratui ac consistorio adulteram denuntiat, petens ab illa separari. Longiori tempore delationis huiusmodi ventilabatur causa; tandem singulari Dei providentia accidit, hunc casum narrari beato Patri, qui mox petiit, coniugatos vocari coram officiali et civitatis iudice; eo praesente, comparent omnes, etiam cum bimestri prole anxia uxor. Mandat Capistranus in virtute Altissimi infantulo, ut legitimum suum manifestet patrem. O mirum! proles a fasciis solvit manus, indigitat patrem, ac stupentibus singulis, clara voce ait: Hic pater meus est, qui matrem meam adulterii ream accusavit. Mirabundi haesitabant omnes, maritus vero et coniux, mutuo sese amplexantes, pacifice ac in timore Domini residuam transegere vitam.

Sed et invidia, virtutis comes, quae, veluti umbra solem, ubique virtutem sequitur; sic quoque hic reperiebantur, qui tanta Ioannis miracula ex invidia, aut rancore vel annullabant, vel spernebant, vel illa audita non credebant. Inter hos baro quidam fuit, qui nullam prorsus tantis Capistrani operibus adhibuit fidem; is enim aliquando de miraculis inaudiens Ioannis, ait: Ecce! canem meum caecum; tam parum, quam canis meus videt, vera sunt miracula Ioannis, quae spargitis. Stupenda res! vix verbis hisce ore prolatis, canis visum recepit, verum herus lumen oculorum amisit. Alius pertinaciter Ioannis miracula negans ac contemnens repentina morte obiit; alius eadem de causa a rabido cane miserrime discerptus est in frusta; alius, quoniam Ioannem irridebat, ab onusto curru oppressus misere vitam finivit.

Ut vero a fusiori hocce discursu ad magis notabilia transeam et vobis iuxta promissum breviter multa notificem, caesaream residentiam Viennensem pro nunc haud melius repraesentare possum, quam sub similitudine Ierusalem, de qua Scriptura loquitur, quod in ea piscina quaedam fuerit, circa quam centeni iacebant diversis infirmitatibus oppressi, per angelum expectantes aquae motum, ut primus eorum a sua sanaretur infirmitate. Certe maior fuit in hac urbe confluxus ad fontem miraculorum dilectissimi Patris: siquidem non pauci, sed saepius 400 vel 500 miseri, infirmi et saucii a dissitis etiam locis adveniebant, in plateis et foris recumbentes; aliqui supra nudam humum iacebant, aestum et frigus diei ac noctis sufferentes cum maxima patientia, ut curarentur a languoribus suis; ita ut non mirum fuisset, ob similem foetorem tot oppressorum in urbe suboriri pestem, nisi a tanto malo specialis Dei benedictio et ventorum vigor aërem purgatum conservassent. Quae omnia dum zelosus noster Pater ponderaret, praesertim vero perspectam haberet magnam fidem ac fiduciam, qua homines in Deum praesertim, dein in sua merita et intercessionem ferebantur, hisce verbis nos alloqui solebat: « Vere non inveni tantam fidem in Israel, quam in civitate Viennensi et in Germania ». Mox ex christiana compassione lacrymari coepit, et nos eum in lacrymarum excessu moriturum timebamus, qui aliunde mortuo similior quam vivo fuerat. Paterni ergo cordis flammante caritate permotus e conventu ad plateas se contulit et ibidem a languidis illis, cum

veluti angelum de caelo descendentem expectantibus, ita circumdatus erat, ut ei impossibile videretur e tanta se posse extricare hominum copia, usquedum cum apostolo Petro sibi ipsi aperiret viam, et iam hunc claudum, iam illum saucium sanatum propriis manibus in altum levaret dicens: In nomine IESU surge et ambula. Hoc de die non solum cum uno velut in Ierusalem, sed saepius accidit cum decem, cum viginti etc., ut supra dictum.

Multa alia notabilia mihi notificanda occurrerent, quae vero integrum descriptionis librum, non autem unum aut alterum requirunt folium; sincere nihilominus hisce vos certificare possum, quod, sicut a discessu nostro ex Italia Viennam versus nulla dies praeteriit, quin devotus noster Pater sacrificaret simul ac concionaretur, sic quoque nulla dies, qua post sacrificium vel concionem non aliquot patraret miracula. Eius concionum tam potentes fuere effectus et zelosi motus adeo penetrabiles, ut et saxis duriora ac desperatissima peccatorum corda ad poenitentiam emollirentur, scelera illis odiosa, bona vero opera suavia ac dulcia redderentur: vana ac transitoria spernabantur, quae bonos decent christianos diligentissime colebantur. Quapropter omnis superbia, protervus vestium luxus et indecentes dissolutarum feminarum incessus cessabant; larvae, aleae, chartifolia, libri inhonesti, cantilenae non castae in unum portabantur acervum et in publico comburebantur foro. Poenitentia et vitae anteactae ad meliorem conversio in tantum excrevit, quod non tantum communitas plebea, sed et celeberrimae universitatis magistri ac docti studiosi illum sequi contenderint sacroque Ordinis habitu donari avidissime postulaverint, quorum complures consolatus est, ultra quinquaginta in nostrum suscipiens Ordinem, alios aliis relinquendo monasteriis. Obinde regnans Fridericus imperator pro extruendo ampliori Ordinis conventu electionem apti cuiusdam loci obtulit. Arrisit prae ceteris Ioanni nostro S. Theobaldi monasterium sororum nostrarum tertii Ordinis extra civitatem; quare continuo translatae sunt moniales ad civitatem, nobis vero S. Theobaldi illud monasterium caesareis expensis ac privilegiis praeparatum ac traditum est. In eo zelosus noster Ioannes quinquaginta susceptos studiosos sacro religionis habitu induit, ipsisque Patrem nostrum Michaelem de Sicilia vicarium et novitiorum magistrum constituit; Patrem vero Hieronymum de Mediolano guardianum praefecit. Quid ergo plus, quid laudabilius de nostro seniculo dici possit ac referri? Spero igitur vos cum hisce paucis pro nunc contentos fore. Si vero dilectis et notis nostris, qui de Ioannis operibus curiosi sunt, respondere velitis, dicite eis de nostro Ioanne, quod Christus de se ipso per Apostolos Ioanni Baptistae nuntiari curavit, nimirum: Ite, et dicite: Surdi audiunt, caeci vident, muti loquuntur, claudi ambulant, leprosi mundantur, resurgunt mortui, et pauperibus praedicatur evangelium Matth. 8. Cantate ergo dilectissimi! cantate Domino canticum novum, Psalm. 149; invitate ad aeternam et debitam gratiarum actionem caelum et terram; cantate et repetite cum gaudiosis Viennensibus, quod benedictum receperint: Benedictus, qui venit ad nos in nomine Domini; cantate et sonate cum praesentibus Hungaris, Bohemis, Bavaris, Polonis et Moldavis, cum illa amicabili Rebecca illud gloriosum *ingredere:* Ingredere ad nos, benedicte Domini! quia paravimus tibi domum et habitaculum; felicitare cum tua praesentia desolatam patriam nostram, benedic ei cum tua sancta benedictione magnisque miraculis. Cantate et intonate tandem cum omnibus infirmis a suis infirmitatibus liberatis gaudiosum illud: Laudate Dominum in Sanctis eius, quoniam per illos nobiscum fecit misericordiam suam, et nunc et semper et in saecula.

Quandoquidem ex divina revelatione, ut dictum, caelitus instructus fuerit, quantocius in Bohemiam haeresibus et sceleribus repletam se conferre; idcirco iudico, discessum nostrum approximare, et nihilominus ex fiducialibus suis verbis securius arguere possumus, quam quod nos ibidem et alibi maiora adhuc experturi simus miracula. Praeterea se iam resolvit et divinae subiecit voluntati, non amplius revertendi in Italiam, nisi hoc ipsum apostolica auctoritate et obedientia eidem imponeretur. Ego vero, dilectissimi Fratres, fiducialiter vos monitos et rogatos volo, hoc observare, quod nos Spiritus sancti zelo docuit his verbis: Si quis me ex meis confratribus per apostolicas litteras revocare et sic instantem gloriam Dei et multiplicem animarum salutem impedire vellet, talis strictum iudicium et gravem Dei poenam non evadere poterit; nolite ergo hoc ipsum tentare.

Hisce praeterea notifico vobis, multis in locis, sicuti hic, pulcra altaria, sacella et ecclesias in honorem nostri S. Bernardini constructa esse, quem dilectus noster Pater ita veneratur et exaltat, quod omnes supernaturales suas operationes et miracula eius apud Deum merito adscribat, omnia claudorum fulcra et sanatorum signa, ab ipsis in memoriam oblata, eiusdem sacellis appendi iubeat. Nec oblivioni tradendum est, non solos saeculares, verum etiam cuiuscumque Ordinis personas in omnibus suis necessitatibus ab eo benedictionem petere, uti hisce diebus aliquot ex Ordine S. Dominici lethaliter infirmi per eius benedictionem momentanee sanitatem adepti sunt. Idem cum summa reverentia non solum faciunt utriusque sexus nobiles, comites ac principes, verum et imperator Fridericus et Ladislaus Hungariae Bohemiaeque rex. Ut tandem his omnibus imponam finem, amice vos rogatos volo, in omnibus his mihi parcere, in quibus ipsemet has litteras emendare debuissem. Hisce a nostro Patre seniculo et a nobis omnibus millies salutati, et divinis gratiis recommendati estote, ac in vestris precibus nostrum mementote. Valete, dilectissimi Fratres, in dulci osculo pacis et in Christo IESU Domino Salvatore nostro. Amen.

Datum in residentia Viennensi 24 Iulii anno 1451.

Fr. Nicolaus de Fara, Capistrani
secretarius.

Ex praemissa epistola abunde satis eruere licebit, quo modo, quibusve auxiliis gloriosa initia dederit Provinciae Franciscano-Austriacae, qualiterve Fratrum de Observantia amplioris domicilii et primi conventus Viennensis, Domino benedicente, fundatorem egerit S. Ioannes a Capistrano.

§ 4.

De primaeva Provinciae Austriacae amplitudine eiusdemque dein facta in tres Provincias divisione.

Inclytus Provinciae Austriacae fundator S. Capistranus in S. Bernardinum Senensem (abs dubio, ut gratum se exhiberet discipulum, dum in eo quoad litteras et praedicationis munus magistrum, in virtutum exercitio aliquando paedagogum ha-

buit) intenso adeo affectu et cultu ac reverentia ferebatur, quod omnia a se patrata miracula praepotentibus huius apud Deum meritis et precibus ac virtuti cuiusdam constanter secum gestati capitegii, quo sanctus Bernardinus in vivis usus fuerat, palam adscriberet, ac plures in variis Provinciis ecclesias huius sancti nomini vocaret, in eius honorem coenobia erigeret. Quare etiam primam ecclesiam et conventum ad S. Theobaldum in fossa argillaria extra muros, pientissimi caesaris Friderici gratia, ut diximus, traditum et magnifice ampliatum, S. Bernardino Senensi inaugurari, et posthac ad sanctos Theobaldum et Bernardinum nuncupari voluit; tametsi noster R. P. Amandus Herman in suo *Capistranus triumphans* sect. 22. c. 9. arbitretur, duos fuisse conventus, primum S. Theobaldi, S. Bernardini alterum, quibus, ut ibi refert, S. Ioannes Capistranus anno 1455, antequam in Hungariam descenderet, magna cum affectus teneritudine paternum et ultimum vale fecit. Hic itaque locus Provinciae Austriae, ut talis nominaretur et esset, alpha, felix principium, prima sedes copiosiorum fratrum strictioris observantiae fuit, unde non solum plurimi conventus, verum et plures Provinciae auspicatissimum sumpsere exordium. Corruscantibus siquidem quàquaversum S. Capistrani prodigiis, audita in diversis regnis sanctitatis fama, ardentissimo lucrandarum animarum zelo, ac attento regularis observantiae emolumento, quod ex fratrum huiusmodi praesentia fidelibus imminere sperabatur, observantia in virum sanctum, amor et devotio in Fratres, hosque secum habendi aviditas ita in dies apud reges et principes virosque ecclesiasticos est adaucta, quod illorum promptiori voluntate, immo ultronea oblatione per contiguas Austriae provincias, Bohemiam, Carnioliam, Poloniam etc. diversis in locis plura exurgere coeperint fratrum domicilia, lapsu temporis adeo multiplicata, quod sexdecim annorum spatio, anno nimirum ab obitu S. Capistrani nedum integre effluxo, ob copiosum conventuum numerum horumque nimiam vastitatem Austriacam in tres Provincias distinguere necessum fuerit, videlicet in Austriacam, quae Austriam inferiorem et superiorem, Styriam, Carinthiam, et Carnioliam nec non partem Tyrolis; in Bohemicam, quae ipsam Bohemiam, Moraviam, Silesiam; et in Polonicam, quae ipsum tunc ducatum regionesque ducali potestati subiectas complectebatur. Haec dismembratio acta fuit auctoritate apostolica Pauli II. die 15 Octobris anno 1467 et in synodo Cracoviensi per rev.^{mum} P. Petrum de Neapoli, cismontanae Fratrum Minorum observantium familiae vicarium generalem, denuntiata. Post hanc denuntiationem penes Provinciam Austriacam plures remanserunt conventus, pluresve temporis lapsu eidem advenerunt. Igitur sit

§ 5.

De antiquis Provinciae monasteriis, aliis Provinciis iam incorporatis, vel totaliter suppressis aut derelictis.

Provincia Austriaca post sui divisionem, etsi quoad fratres minus numerosa in suis conventibus tamen sat copiosa et quoad amplitudinem vasta remansit numeravitque sequentes conventus:

S. Theobaldi et S. Bernardini Senensis, Viennae in suburbiis.
S. Ioannis Baptistae, in eremo Iudenburgi.
S. Leonardii, Graecii.
S. Iacobi apostoli, Claustroneoburgi.
S. Mariae Magdalenae, in Enzerstorff.
S. Radegundis viduae, Kazlstorffii.
S. Mariae de Paradiso, in nemore prope Viennam.
S. Mariae de Candelariis, Egenburgae.
S. Bernardini Senensis, Langenloysii.
S. Mariae, in Felisboth.
Ss. Trinitatis, ad S. Hippolytum.
S. Wolfgangi episcopi, Puppingae.
S. Erasmi martyris, Leobicii.
S. Michaelis archangeli, Feldspergae.
S. Mariae de Gratiis, Lancovitii.
S. Mariae de Conceptione, Fridaviae.
SS. Primi et Feliciani, in Stain.
S. Mariae, in Windpassing.
S. Mariae in caelos assumptae, Labaci.
S. Leonardi, in Rudolphswerth.
S. P. N. Francisci, Swazii.
S. Francisci, Bulsani.
S. Mariae Virginis de Rosis, Nissae.

Praenominatos conventus et forsan plures olim habuit Provincia Austriaca, uti rev.mus noster P. Franciscus Gonzaga in suo quadripartito opere de Origine Seraphicae Religionis p. 2. tit. Prov. Austriae, Volfagensis et Leubsanici conventus facit memoriam; verum vel a Turcis vel ab haereticis aliquando diruti et solo aequati, aut fratribus expulsis, in saecularium potestatem redacti, plane derelicti sunt, aut superiorum ordinis auctoritate aliis Provinciis subin incorporati. Pauca de his, quae protocollum vetus Provinciae eiusdemque archivum refert, iam dicemus.

Ex *Bulsanensi* conventu in capitulo provinciali, anno 1518 die 16 Aprilis in loco S. Radegundis Kazlstorffii celebrato, in tertium Austriae definitorem electus est r. p. Valerianus de Rust, guardianus Bulsanensis; in quartum definitorem r. p. Gregorius de Drosendorff, guardianus Swazensis. Pro his duobus locis in capitulo Provinciali, Viennae ad SS. Theobaldum et Bernardinum 18 Iulii anno 1522 habito, per a. r. p. Anselmum de Vienna quoad collecturae terminos ordinatum fuit § 9: Locus Bozani solus colligat terminos vini, et p. Guardianus Schwazensis subveniat in Fratribus, si erunt necessarii; et collectum vinum, si fuerit abundans, secundum iudicium r. p. ministri de superfluo subveniatur loco Schwazensi. Ex Austria autem r. p. minister provideat tempore vindemiarum de vinis ad Schwaz tribuendis. In absentia vero ministri hoc faciat custos Austriae, et denuntietur hoc statim guardiano Schwazensi, ut sciat, quantum nautis committi debeat. Ob horum duorum locorum in comitatu Tyroli sitorum nimiam ab Austria distantiam autoritate rev.mi p. Christophori a Forlivio, ministri generalis Romae 29 Maii 1517 electi, deputatae sunt quatuor custodiae cum propriis sigillis pro Provincia Austria, scilicet: custodia

Austriae, Styriae, Carnioliae et Athesis. Anno 1570 die 24 aprilis Swazii provinciale capitulum celebratum fuit, et in Provinciae Austriae ministrum canonice electus a. r. p. Laurentius de Lippa. Ambo hi conventus transiere ad almam Tyrolensem S. Leopoldi Provinciam.

In conventu *Fridaviensi*, immaculatae Conceptioni B. V. M. sacro, die 7 Iulii anno 1525 comitia provincialia habita sunt, in quibus unanimi vocalium consensu in ministrum reassumptus est a. r. p. Casparus de Khrembs. Transiit hic locus ad Provinciam Bosnae Croatiae. Primus huius fundator anno 1495 erat D. Iacobus Szeckel.

Conventus *Steinensis* ob gliscentes undique haereses et eleemosynae penuriam anno 1538 a fratribus desertus est, consentiente in idipsum augusto Romanorum rege Ferdinando.

Locus novae Civitatis seu S. Leonardi in Rudolphswerth a devotissima matrona Elisabetha Chernovalia magnis sumptibus aedificatus fratribus Provinciae Austriae traditus est circa annum Domini 1470. Colligitur hoc ipsum ex facultate celebrandi divina, a Rev.simo domino Andrea episcopo Ferentin., pontificio patriarchatus et dioecesis Aquileiensis gubernatore ac locumtenente, concessa, Utini die 21 Februarii anno 1473 in membrana descripta, sub Paulo PP. II.

Conventus ad B. Virginem in caelos assumptam *Labaci*, in Carnioliae metropoli, a nostris iam ad annum 1496 inhabitatum, cum antefato Rudolphswertensi monasterio ad instantissimas preces r. p. Petri de Klisia, tunc Bosnae Croatiae ministri, eidem Provinciae adscriptus est totius provincialis capituli Austriaci in unum congregati consensu.

Labacensem conventum, a nostris et Croatiae Patribus ob haereticorum religiosis infensissimorum persecutiones desertum, ab anno 1595, indulgente Clemente VIII, per biennium collegii loco inhabitabant RR. PP. Societatis Iesu, actu vero eundem cum Novo-Civitatensi et Steinensi Provinciae Carnioliae Patres incolunt quam religiosissime.

Conventus *Nissensis*, ad B. Virginem de Rosis nuncupatus et in Silesia situatus, olim ab hostibus dirutus, a Patribus Austriacis reparatus ad tempus habitabatur; demum ad almae Provinciae D. Wenceslai patres iterum rediit.

Supranominatis conventibus aliis Provinciis ex praefatis rationibus omnino incorporatis, duo quoque alii a nobis derelicti sunt, nimirum conventus B. Virginis in Paradiso dictus, Viennensi ab urbe tribus horis dissitus, ac, ut non inani cum fundamento arbitrari licet, in nemore Viennensi constructus a r. p. Gabriele Veronensi, S. Ioannis Capistrani socio, dein sacro cardinalium collegio Romae adscripto. Hic peramoenus locus immanibus Turcarum furiis cessit, totaliter incineratus et solo aequatus die 26 Septembris anno 1529.

Monasterium *Windpassingense* ad B. Virginem ill.mi Ruperti liberi baronis de Stozing eiusdemque conthoralis Elisabethae, natae Pichlerin, ac filiarum eius DD. Magdalenae a Stozing et Annae Mariae de Vels munificentia erectum est, lapide primo ad id posito in vigilia pentecostes anno 1587. Structura perfecta fratribus nostris in possessionem traditum die 25 Novembris anno 1590. Pro fratrum victu ac vestitu annuam eleemosynam adporrexit antedictae familiae fundatricis largitas, quae vineas quoque, prata, agros etc. ultro adiecit, ut fratres nostri quoad numerum aucti, copiosius romano-catholicis viciniis parochorum more spiritualia, quoties

necessitas expostularet, sua deferrent obsequia. Hic conventus per Haydones, rebelles Hungaros, ferro et flamma atrociter in Austriae confiniis saevientes, miserrime die 11 Septembris anno 1621 exustus, postquam sacra supellex, libri etc. Viennam a r. p. Baptista Birbach, loci guardiano, translata essent, ob nimis ferocem hostium inquietudinem et victus penuriam superiorum nostrorum voluntate desertus est, post paucum temporis spatium denuo reassumptus. Anno demum 1627, eo quod bona temporalia, redditus annui, munia parochialia etc. ex fundatione monasterio adnexa religiosae fratrum conscientiae ac puritati seraphicae regulae plurimum adversarentur, nec in alium nobis licitum fundationis modum permutare intenderent haeredes, non obstantibus precibus et protestationibus coram ipsis saepius iteratis; illustrissimo ac rev.mo DD. Nicolao Dallos, episcopo Iaurinensi et loci dioecesano, monasterium hoc cum omnibus bonis a. r. p. Elzearius Kugel, Austriae minister, sub dato 5 Novembris efficaciter resignavit. Nos in eundem locum mox anno sequente secuti sunt RR. PP. Minoritae Conventuales, ibi usque in praesentem diem religiose degentes.

Haec iam dicta sufficiant de conventibus a nobis desertis, Provinciis aliis actu incorporatis, aut plane suppressis. De aliis ob gravissimas illorum temporum calamitates et miserias relictis, dein iure postliminii vel alio modo iterum recuperatis, ubi de conventu Hippolytano, Claustroneoburgensi, Loysensi, Kazlstorffensi, Lancovicensi, Puppingano, Enzerstorffensi, Feldspergensi etc. opportuno loco, quando singulorum primordia fusiori calamo perstringemus, ampliora dicemus. — Sequitur nunc omnium tum fratrum, tum sororum Provinciae Austriae conventuum, ex quibus quasi ex partibus integrantibus tota constituitur, elenchus.

§ 6.

Nominatio conventuum omnium totius Provinciae Austriae.

Provincia Austriaco-Franciscana, a S. Ioanne de Capistrano plantata, complectitur Austriam, Styriam et Carinthiam; numerat actu conventus viginti et octo, quorum octodecim in Austria, octo in Styria, duo in Carinthia situantur; 24 ex his domicilia fratrum, 4 vero sanctimonialium Clarissarum sunt parthenones. Series eorum est sequens:

1. Conventus est Viennae, in metropoli Austriae, ad S. Hieronymum dictus.
2. Graecii, in metropoli Styriae, ad B. V. M. in caelos assumptam.
3. Clagenfurti, in metropoli Carinthiae, ad S. Franciscum stigmatizatum.
4. Ad S. Hippolytum in Austria, ad Ss. Trinitatem.
5. Claustroneoburgi in Austria, ad S. Iacobum maiorem.
6. Loysii in Austria, ad S. Bernardinum Senensem.
7. Egenburgi in Austria, ad B. Virginem purificantem.
8. Iudenburgi in Styria, ad S. Ioannem Baptistam in eremo.
9. Kazlstorffii in confinibus Austriae, ad S. Radegundem, reginam et viduam.
10. Lancovitii in Styria, ad B. Virginem de Gratiis.
11. Puppingae in Austria, ad S. Wolfgangum episcopum.
12. Lembaci in Austria ad Ss. Trinitatem.
13. Greinburgi in Austria, ad S. Antonium Paduanum.

14. Zisterstorffii in Austria, ad S. P. N. Franciscum.
15. Enzerstorffii in Austria, ad S. Mariam Magdalenam.
16. Ybbsii in Austria, ad S. Spiritum.
17. Ad S. Vitum in Carinthia, ad B. Virginem annuntiatam.
18. Feldspergae in Austria, ad S. Michaelem archangelum.
19. Stockeravii in Austria, ad S. Colomannum martyrem.
20. Feldbace in Styria, ad B. Virginem natam.
21. Merzuschlagii in Styria, ad S. Crucem.
22. Mautternae in Styria, ad S. Barbaram virg. et mart.
23. Hainburgi in Austria, ad S. Annam, matrem B. V. M.
24. Lanzendorffii in Austria, ad B. Virginem dolorosam.

Monasteria sanctimonialium Clarissarum.

1. Iudenburgi in Styria, ad B. Virginem in Paradiso.
2. Viennam ad S. Nicolaum episcopum.
3. Graecii in Styria, ad omnes Sanctos.
4. Viennae Austriae ad S. Mariam angelorum, exemptum.

Antequam mox dictorum conventuum enucleatam faciamus explanationem, quaedam, quae Provinciam eiusque statum antiquum concernunt, pro pleniori eiusdem intelligentia praeponere voluimus.

§ 7.

De sigillo Provinciae.

Pro digna sibi iniuncti muneris executione Provinciae Austriae minister proprio utitur sigillo, maiori ac minori. Minus, de quo nobis sermo non est, exprimit S. P. Franciscum crucem in dextera, sacram regulam in sinistra gestantem, cum orbiculari inscriptione: SIG. PROV. AUSTRIAE ORD. MIN. STR. OBS., hoc est, sigillum Provinciae Austriae Ordinis Minorum strictioris observantiae. Maius sigillum S. Bernardinum Senensem, qui ex institutione S. Ioannis Capistrani huius Provinciae patronus est, in cathedra stantem, sinistra manu apertum librum, dextera vero crucifixum exhibet. Supra caput S. Bernardini visitur nomen IESUS, radiis collustratum. Ad sinistrum latus numerus appositus est 1452, annus nimirum sequens, quo S. Capistranus huic Provinciae in honorem S. Bernardini beata dederat initia. Sub pedibus eius quidam Frater Minor genuflexus, complicatis ante pectus manibus, subsistit. Sigillum hoc oblongum et biangulare sequentes litteras in circuitum imprimit: SIG. PROVIN. AUSTRIAE FRAT. MINORUM OBSERV., sigillum Provinciae Austriae Fratrum Minorum regularis observantiae. Ex his nemini non constat, Rev.^{mum} nostrum P. Franciscum Gonzagam in suo tomo *de Origine et Progressu Religionis Franciscanae*, beatissimo Patri Sixto V. anno 1587 dedicato, minus rite informatum referre, quod sigillum Provinciae Austriacae S. Ioannis a Capistrano repraesentet effigiem. Clare siquidem liquet, beatum virum S. Capistranum hanc Austriae Provinciam, a se fundatam, non sibi, sed S. Bernardino, in quem pientissimo semper ferebatur affectu

(prout plurima in eius honorem ab ipso ubique posita monumenta testantur), sacrasse. Annus igitur 1452 denotat a se initiatam, non autem sibi aut suo nomini per se vel suos dedicatam Provinciam, sigillove non Capistrani, sed Bernardini impressam esse imaginem in hunc usque diem tutelaris Provinciae. Olim tamen sigillum commissarii nationalis, de quo statim dicemus, S. Ioannem Capistranum stantem cum vexillo, crucifixi imagine signato, expressit eiusdem formae ac figurae, quam supra de sigillo maiori recensuimus. Huius sigilli usus post Provinciae reformationem et commissarii nationalis abrogationem omnino abolitus est.

Forma decreti Provinciam Austriacam a commissario nationali, (qui per centum quasi annos pro Germanica natione cum potestatis plenitudine in Austriaca Provincia existebat) perpetuo eximentis.

Frater Sebastianus a Caeta, Ordinis Minorum reg. observantiae, in cismontana familia observantium et reformatorum commissarius generalis et servus. Cum in iudicio sacrae congregationis EE. et RR. DD. S. R. E. cardinalium super negotiis regularium praepositae productum nuperrime fuerit breve quoddam fel. rec. Urbani VIII. de anno 1632 sub die 11 Decembris emanatum, virtute cuius Provincia nostra Austriaca (ad instar aliarum, Bavariae scilicet et Tyrolis Provinciarum nostrarum similiter reformatarum) eximitur a iurisdictione nationalis sui commissarii generalis et immediate ministro generali totius Ordinis commissarioque itidem generali cismontanae familiae pro tempore existentibus subiicitur, ac propterea eadem sacra congregatio praefato brevi inhaerendo, ad instantiamque dictae Provinciae Austriae (gratioso utpote sacrae caesareae maiestatis favore suffultam et per eminentissimum D. cardinalem Colonna porrectam) benigne condescendendo, eiusdem brevis executionem specialibus litteris suis 15 mensis Novembris proxime elapsi ad nos datis expresse nobis demandare dignata sit: nos idcirco ea qua par est promptitudine sacrae congregationis mandatis parentes, praesentium nostrarum exemplo eandem supramemoratam Austriae Provinciam nostram eiusque omnes et singulos fratres eximimus amplius, et segregamus a iurisdictione et obedientia nationalis commissarii generalis, eamque et eos iuxta citatum Urbani VIII. breve ministro generalis Ordinis et commissario ibidem generali cismontanae familiae nostrae, nobis duntaxat, durante integre ad praesens officio nostro, successoribusque nostris pro tempore in futurum existentibus subdimus immediate atque in perpetuum subiicimus; taliterque exemptam una cum fratribus pariter et subiectam iisdem nostris denuntiamus et declaramus, ita ut post primam praesentis nostrae executionis simul et declarationis promulgationem idem praefatus commissarius nationalis generalis nihil prorsus iurisdictionis, potestatis auctoritatisque (quam hactenus super administratione praedictae nostrae Provinciae Austriae eiusque fratrum exercuit, aut exercere quovis modo potuit) habere censendus sit. Nec fratres eiusdem Provinciae nostrae Austriae in quopiam deinde ipsi obedire aut eum pro tali recognoscere teneantur; utque imposterum idemmet commissarius nationalis generalis, nunc vel alias pro tempore postmodum existens, ne minimum quidpiam de huiusmodi in praefatam Provinciam reformatam Austriae et eius fratres, iurisdictione his nostris executoriis sublata iam penitus et totaliter abolita, attentare seu quomodolibet moliri praesumat, eiusdem sacrae congregationis iussu mandamus ipsi serio et sub poena excommunicationis

maioris latae sententiae ipso facto incurrenda aliisque gravissimis poenis, arbitrio ipsimet sacrae congregationi reservatis, stricte idipsum interdicimus et prohibemus praesentibus nostris valituris semper firmumque ac inviolabile robur quoad integros suos effectus sortituris. Ordinamus insuper ac in virtute s. obedientiae eiusdem Provinciae nostrae reformatae Austriae ad praesens ministro praecipimus, ut pro pleniori praesentium executoriarum litterarum nostrarum (omnibus, quibus interest) innotescentia, postquam has nostras receperit, earum transumptum authenticum per omnes Provinciae suae conventus et nunc, qua potest fieri, celeritate transmittat, fratribus in iis capitulariter congregatis legere et publicare faciat, et tandem eo sic lecto et publicato manuque cuiuslibet guardiani, aut eius in absentia vicarii aut praesidentis conventus (quo die aliquis eorum receperit, illud et publicaverit, ut eo praescribitur, modo subscripto) ipsoque earundem nostrarum originali in archivo Provinciae asservato, exactum quamprimum et fidele de his omnibus exhibere nobis satagat testimonium, quatenus hoc modo ordinationi sacrae congregationis nobisque iniunctae ab ea hac in parte executioni satisfactum sufficienter reddatur, ac demum ipsamet Provincia nostra reformata Austriae securius, gaudens de restituta sibi s. sedis apostolicae gratia libertate, alacrius quoque in tranquillitate et pace Altissimo valeat famulari.

Datum Romae in conventu nostro S. Mariae de Aracaeli die 9 Decembris 1654.

Fr. Sebastianus a Caeta, commissarius generalis.

§ 8.

De reformatione Provinciae Austriacae.

Cum non leve robur pro obtinendo antefatae exemptionis decreto addiderit ratio reformationis Provinciae Austriacae, quae ad supplices nostrorum maiorum preces, praecipue auctoritate et opera rev.mi p. Antonii a Galbiato, commissario nationalis generalis per Germaniam introducta et ad instantiam Ferdinandi II. imperatoris ab Urbano PP. VIII. confirmata fuit, adeoque bullam immediate dicti pontificis anno 1632, sicut et aliam Alexandri VII. anno 1659 editam merito hoc in loco consequenter apponimus.

URBANUS PAPA VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

In apostolicae dignitatis specula meritis licet imparibus a Domino constituti, circa statum religiosorum quorumcumque, praesertim sub strictioris observantiae regularis altissimo famulantium, prospere dirigendum mentis nostrae aciem assidue intendimus, atque haec, quae pro felici eorum statu et directione facta fuisse dicuntur, ut firma perpetuo subsistant et inviolabiliter serventur, apostolicae firmitatis robur adiicimus, prout pia catholicorum principum vota exposcunt, nosque coniicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut carissimus in Christo filius

noster Ferdinandus Romanorum rex, in imperatorem electus, nobis nuper exponi fecit, alias in domibus regularibus dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia nuncupatorum Provinciae Austriae, opera dilecti filii Antonii de Galbiato, tunc dicti Ordinis in illis partibus commissarii generalis reformatio introducta fuerit, dictique fratres uberes in vinea Domini fructus afferant, et propterea, quo uberiores sub huiusmodi reformatione in pacis amoenitate Domino reddere valeant, per nos desuper, ut infra, opportune provideri summopere desideret: nos piis dicti Ferdinandi regis in imperatorem electi vobis huiusmodi, quantum cum Domino possumus, annuere volentes supplicationibus, eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, reformationem in domibus regularibus dictae Provinciae Ordinis huiusmodi, ut praefertur, introductam, cum iisdem privilegiis, gratiis et indultis, modo et forma, quibus similem reformationis introductionem in Provinciis Bavariae et Tyrolis alias apostolica auctoritate confirmavimus, eadem auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes ac singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; decernentes, praemissa ac praesentes litteras valida, firma ac efficacia existere et fore suosque plenarios ac integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari, et ita per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, iudicari et definiri debere ac irritum ac inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus et apostolicis ordinationibus, ac quatenus opus sit, dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis ac litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenore, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Data Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoriis die 11 Decembris anno MDCXXXII. pontificatus nostri decimo.

M. A. Maraldus.

ALEXANDER PAPA VII.

Militantis ecclesiae regimini meritis licet imparibus inscrutabili divinae providentiae arcano praesidentes, ad ea per quae religiosorum virorum, praesertim sub suavi arctioris regulae iugo Altissimi obsequiis mancipatorum, statui et felici directioni opportune consulitur, propensis studiis intendimus ac in illis commissi caelitus officii partes libenter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Alias siquidem fel. rec. Urbano PP. VIII. praedecessori nostro pro parte cl. mem. Romanorum, dum vixit, regis in imperatorem electi exposito, quod in domibus regularibus Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum Provinciae Austriae opera Antonii a Galbiato, tunc dicti Ordinis in illis partibus Commissarii generalis, reformatio introducta fuisset, dictique fratres uberes in vinea Domini fructus afferrent; dein Urbanus praedecessor supplicationibus, dicti Ferdinandi

regis in imperatorem electi nomine sibi super hoc humiliter porrectis, inclinatus, reformationem in domibus regularibus dictae Provinciae Ordinis huiusmodi, ut praefertur, introductam cum iisdem privilegiis, gratiis et indultis, ac modo et forma, quibus similem reformationis introductionem in Provinciis Bavariae prius confirmaverat, auctoritate apostolica approbavit et confirmavit et alias, prout in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili forma brevis die 11 decembris 1632 expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut dilecti filii Franciscus Stattfeld, minister provincialis, et fratres praedictae Provinciae Austriae nobis nuper exponi fecerunt, ipsi gratias et privilegia, quae memoratis Provinciis Bavariae et Tyrolis, a supradicta Provincia Austriae valde remotis, per litteras praedicti Urbani praedecessoris super confirmatione introductionis reformationis in Provinciis huiusmodi expeditas, concessa reperiuntur, eidem Provinciae Austriae per extensum pariter concedi summopere desiderent; dilectusque pariter filius minister generalis Ordinis praefati, visis et consideratis iussu nostro dictis privilegiis et gratiis, eisdem exponentibus opportune in praemissis, ut infra, a nobis provideri expedire censuerit: nos specialem dictis Francisco ministro generali et fratribus exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, attentis narratis, ac audito per eosdem cardinales praedicto ministro generali Ordinis huiusmodi, ut praefata Provincia Austriae sit reformata aliisque fratrum dicti Ordinis reformatorum discalceatorum nuncupatorum Provinciis regnorum Hispaniarum conformis et ad illorum instar, ac sub omnimoda ministri generalis eiusdem Ordinis et italicae nationis et ipso extra Italiam existente, eius vicarii generalis, nec non etiam commissarii generalis iuxta bullam *Unionis* electi, non autem commissariorum generalium eorundem Ordinis et regnorum Hispaniarum, nec superioris vel inferioris Germaniae, ita quod minister ac vicarius et commissarius generalis praefati, iuxta bullam huiusmodi electi, illam nonnisi per se ipsos aut commissarios Ordinis reformatorum praedictorum visitare valeant, iurisdictione, auctoritate et superioritate, ac etiam sub directione procuratoris generalis reformatorum in curia romana quoad negotia occurrentia eiusque fratres iuxta declarationes fel. mem. Nicolai III. et Clementis V. romanorum pontificum praedecessorum pariter nostrorum vivere debeant; et cum hoc etiam, quod minister provincialis Provinciae reformatae Austriae huiusmodi omnem iurisdictionem, facultatem et auctoritatem tam in fratres Ordinis sibi subditos, quam circa novarum domorum eiusdem instituti in eadem Provincia fundationem seu erectionem, aut aedificationem, nec non etiam circa novitios et alia in litteris apostolicis piae mem. Gregorii PP. XIII. etiam praedecessoris nostri constituta, prout alii ministri provinciales aliarum Provinciarum fratrum eiusdem Ordinis reformatorum, discalceatorum nuncupatorum, in omnibus et per omnia habeat, ac tam ipse, quam singularum domorum dictae Provinciae Austriae fratrum Minorum S. Francisci reformatorum, discalceatorum nuncupatorum, superiores et singulares personae uti, frui et

gaudere solent et possunt, ac poterunt quomodolibet in futurum pariter et pariformiter ac aeque principaliter sine ulla differentia uti, frui et gaudere respective possint ac valeant; quodque nunc et pro tempore existens minister generalis praedictus, aut visitatores ab eo etiam pro tempore mittendi statuta, constitutiones et ordinationes Provinciae eiusdem reformatae Austriae illiusque domorum regularium huiusmodi constitutionibus generalibus reformatorum non adversantia, nisi de consensu maioris partis fratrum vocalium dictae Provinciae reformatae Austriae in eorum capitulis provincialibus praestando alterare vel immutare, aut eosdem fratres ab eorum modo vivendi, dummodo iuxta easdem declarationes vivant, disturbare, nec non, quod fratres dicti Ordinis S. Francisci de observantia nuncupati infra limites eiusdem seu alterius Provinciae existentes, collecturas seu quaesturas ad domos regulares eiusdem Provinciae reformatorum discalceatorum Austriae spectantes, exceptis eis a fratribus Provinciae Austriae huiusmodi in dicto eorum capitulo provinciali forsan concedendis, occupare, aut eosdem fratres reformatos discalceatos Provinciae Austriae desuper perturbare, nullo unquam tempore possint, nec valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus; ac insuper eidem ministro generali, ut ministrum provincialem, custodem et definitores dictae Provinciae Austriae creare et eligere, ceteraque omnia et singula in praemissis et circa ea necessaria et quomodolibet opportuna, etiamsi talia sint vel fuerint, quae magis specialem, specificam, individuam et expressam requirerent mentionem, facere, dicere, ordinare et exequi libere ac licite possit et valeat, plenam, liberam et amplam auctoritate et tenore praesentis concedimus et impartimur licentiam et facultatem; ita tamen, ut fratres huiusmodi Provinciae constitutionibus et ordinationibus in capitulo sive congregatione generali factis, quae strictiori observantiae non adversantur, subiaceant ad illarumque observantiam omnino teneantur, decernentes, Provinciam Austriae praedictam decretis et declarationibus a nobis et romanis pontificibus praedecessoribus et successoribus nostris pro reformationibus et custodiis Italiae emanatis, seu emanaturis nullatenus subiectam et comprehensam esse vel fore; ac provincialem, custodem et definitores, aliosque superiores et fratres Provinciae reformatae Austriae huiusmodi a quoquam, quavis etiam archi-episcopali aut episcopali, vel etiam maiori auctoritate fungente, desuper molestari, perturbari, inquietari, aut impediri non posse, sicque per quoscumque iudices et commissarios ordinarios et delegatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis illiusque Provinciarum quarumvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis eisdem Ordini et Provinciis, illiusque et illarum superioribus et personis sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud sanctam Mariam maiorem sub annulo piscatoris die 18 Martii anno MDCLIX. pontificatus nostri anno quarto.

G. Gualterius.

§ 9.

Elenchus superiorum Provinciae ab anno 1516.

Tametsi indubitatum sit, primum Provinciae Austriae vicarium et superiorem extitisse a. r. p. Gabrielem Veronensem, quem ut innuimus coacto capitulo anno 1452 Viennae ipsemet sanctus Ioannes a Capistrano constituit; temporum nilominus sequentium calamitas, continui bellorum maxime turcicorum tumultus, contagiosae lues, haeresum inundationes, fratrum nostrorum de loco in locum transmigrationes, monasteriorum devastationes, etc. nullatenus permittunt Provinciae Austriae vicariorum et ministrorum provincialium nomina omnia ab ipso suae erectionis seu fundationis principio completa serie texere. Nam pervetustius protocollum, quod Provinciae initia ab anno 1452 et acta cum actitatis (sic) referre deberet, turcicae invasionis tempore, dum noster Viennensis suburbanus conventus ad SS. Theobaldum et Bernardinum demolitus subin a Turcis exustus est, incendio periisse, certius non abs ratione tenetur, quoniam de illo, ad quod se alterum ab anno 1516 inchoatum refert, ne quidem vestigium vel modicum invenire licet. Obinde illa duntaxat superiorum nomina, quae a dicto anno post sedulam ac diligentiorem singulorum manuscriptorum magis concordantium perscrutationem certiori ordine reperta fuere, recensentur, additis etiam die, anno, loco electionis, duratione regiminis. Quod vero perpaucos, ab initio praecipue, commissarios generales, seu capitulorum provincialium praesides nominemus, non aliam benevolus lector causam arbitretur, quam quod, uti superius de commissario nationali diximus, superiores generales (prout rev.mus p. Paulus de Sancino anno 1521) Provinciae Austriae gratiose concesserint, ut immediatus ex-minister provincialis simul p. ministri generalis nomine commissarium agat, ac capitulis provincialibus eorumque electionibus cum potestatis plenitudine praesideat. Antequam ministrorum nomina demus, praeadvertendum, Provinciae superiores olim per biennium solum, aliquando per triennium, subinde in quartum etiam annum ministeriatus munere functos fuisse et in superioratus officio confirmatos.

Anno 1516 die 25 Aprilis, in conventu Puppingano ad S. Wolfgangum, praesidente in capitulo a. r. p. Hilarione de Florentia, in vicarium Austriacae Provinciae electus est r. p. Anselmus de Vienna.

1517 die 7 Augusti sub eodem superiore Provinciae congregatio intermedia habita fuit in conventu Graecensi noviter obtento ad B. Virginem in caelos assumptam.

1518 die 16 Aprilis Kazlstorffii ad S. Radegundem, electus r. p. Casparus de Krembs in ministrum provincialem.

1519 die 26 Maii sub eodem congregatio intermedia celebrata est Viennae ad SS. Theobaldum et Bernardinum extra muros.

1520 die 27 Aprilis sub eodem Puppingae ad S. Wolfgangum.

1521 die 18 Aprilis Iudenburgi ad S. Ioannem Baptistam, ubi iterum electus est a. r. p. Anselmus de Vienna.

1522 die 18 Iulii sub eodem Viennae ad SS. Theobaldum et Bernardinum.

1523 sub eodem.

Anno 1524 die 22 Aprilis Hippolyti ad Ss. Trinitatem, in quo conventu reelectus est a. r. p. Casparus de Krembs.

1525 die 7 Iulii sub eodem in Fridaviensi conventu ad B. Virginem conceptam.

1526 sub eodem.

1527 die 13 Februarii ad S. Hippolytum, et assumptus est in ministrum provincialem r p. Christophorus de Thermis.

1528 die 8 Maii sub eodem, Lancovitii ad B. Virginem de Gratiis.

1529 sub eodem.

1530 die 9 Februarii Loysii ad S. Bernardinum, ubi electus est r. p. Dionysius de Rain.

1531 die 27 Aprilis sub eodem ad S. Hyppolytum.

1532 sub eodem.

1533 die 5 Februarii Puppingae provincialis minister electus est tertio a. r. p. Casparus de Krembs.

1534 die 23 Aprilis Egenburgi ad B. Virginem de Candelariis, sub eodem.

1535 die 13 Augusti Graecii sub eodem.

1536 die 5 Maii ad S. Hippolytum, ubi secundo electus est a. r. p. Dionysius de Rain.

1537 sub eodem.

1538 die 7 Februarii Iudenburgi, sub eodem.

1539 die 2 Maii Loysii ad S. Bernardinum minister Austriae electus est r. p. Thomas de Salisburgo.

1540 sub eodem.

1541 die 4 Februarii ad S. Hippolytum in capitulo provinciali electus est r. p. Christophorus de Gräz.

1542 Lancovitii sub eodem.

1543 sub eodem.

1544 ad S. Hippolytum, ubi in ministrum assumptus est r. p. Gabriel a S. Hippolyto.

1545 die 24 Aprilis Iudenburgi sub eodem.

1546 sub eodem.

1547 die 22 Iulii ad S. Hippolytum, ubi in provincialem electus est r. p. Ioannes de Vompp.

1548 sub eodem.

1549 die 14 Maii Egenburgi sub eodem.

1550 die 26 Iulii Claustroneoburgi ad S. Iacobum, reelectus est in ministrum Provinciae a. r. p. Christophorus de Gräz.

1551, 1552 sub eodem.

1553 die 26 Aprilis ad S. Hippolytum iterum electus est a. r. p. Ioannes de Vompp.

1554, 1555 sub eodem.

1556 die 24 Aprilis ad S. Hippolytum in ministrum provincialem assumptus est r. p. Amandus de Stoffen.

Anno 1557 } sub eodem
1558 }

1559 die 21 Aprilis Claustroneoburgi, ubi tertia vice in provincialem electus est a. r. p. Christophorus de Gräz.

1560 } sub eodem.
1561 }

1562 et sequentes non inveniuntur.

1565 die 26 Maii Viennae ad S. Nicolaum in ministrum assumptus fuit r. p. Ambrosius de Herbipoli et qua provincialis obiit Swazii anno 1567.

1566 et reliqui desunt.

1570 die 24 Aprilis Suazii ad S. Franciscum, in Austriae ministrum electus est r. p. Laurentius de Lippa.

1571 } sub eodem.
1562 }

1575 et subsequentes non reperiuntur.

1582 in provincialem reelectus est a. r. p. Laurentius de Lippa.

1583 }
1584 } sub eodem.
1585 }

1586 die 6 Iunii Viennae ad s. Nicolaum, praesidente a. r. p. Bonaventura de Aquila, in provincialem electus est r. p. Valentinus Friccius.

1587 } sub eodem.
1588 }

1589 in ministrum provincialem assumptus est r. p. Bonaventura Daumius.

1590 } sub eodem.
1591 }

1592 in Provinciae ministrum, praesidente a. r. p. Valentino Friccio, electus fuit r. p. Dominicus Hess.

1593 sub eodem.

1594 die 14 Septembris Viennae ad S. Hieronymum, praeside a. r. p. Iacobo Wolffio, provincialis electus est r. p. Samson Leo.

1595 }
1596 } sub eodem.
1597 }

1598 in ministrum Provinciae assumptus est r. p. Antonius Kemerer.

1599 } sub eodem.
1600 }

1601 die 13 Ianuarii Viennae ad S. Hieronymum, praeside a. r. p. Antonio Kemerer, p. provincialis Austriae electus est iterato a. r. p. Bonaventura Daumius.

1602 sub eodem.

1603 die 25 Septembris Viennae, praeside ipsomet totius Ordinis ministro generali rev.mo P. Francisco Sosa, minister provincialis electus est r. p. Dionysius Plau.

1604 } sub eodem.
1605 die 30 Maii }

Anno 1606 die 3 Octobris Graecii, minister Provinciae electus est r. p. Alphonsus Requescens.

1607
1608 } sub eodem.

1609 die 13 Octobris Viennae ad S. Hieronymum, sub praesidio a. r. p. Clementis a Nollano, in Austriae ministrum assumptus fuit r. p. Wilibaldus Lader.

1610 die 14 Octobris Viennae
1611 } sub eodem.

1612 die 3 Martii Wimpassingae ad B. Virginem, praeside a. r. p. Bonaventura Daumio, in provincialem electus est r. p. Didacus Sebastianus.

1613
1614
1615 } sub eodem.

1616 die 28 Novembris Graecii, praeside a. r. p. Bonaventura Daumio, minister electus est r. p. Martinus Glades; verum, hebdomadibus septem vix expletis, pie in domino obiit; adeoque Viennae

1617 in ministrum provincialem electus fuit r. p. Hieronymus Strasser.

1618
1619 } sub eodem.

1620 die 10 Novembris, praeside a. r. p. Hieronymo Strasser, reelectus est in provincialem a. r. p. Didacus Sebastianus.

1621
1622
1623 } sub eodem.

1624 die 16 Ianuarii Viennae, sub praesidio a. r. p. Hieronymi Strasser, in ministrum Provinciae electus est r. p. Ioannes Baptista Klöpfer.

1625
1626 die 29 Maii Viennae } sub eodem.

1627 die 6 Augusti Viennae, praesidente a. r. p. Antonio a Galbiato, electus est provincialis Austriae r. p. Elzearius Kugell.

1628
1629 die 18 Maii Viennae } sub eodem.

1630 die 10 Aprilis Viennae, sub praesidio a. r. p. Ambrosii a Galbiato in ministrum electus est r. p. Prosper a Galbiato.

1631 die 23 Iunii Viennae sub eodem.

1632
1633 } sub eodem.

1634 die 28 Maii Graecii, praeside Michaele Chumar, tertio provincialis est electus a. r. p. Didacus Sebastianus.

1635 sub eodem.

1636 die 29 Septembris Enzerstorffii ad S. Magdalenam, sub praesidio a. r. p. Michaelis Chumar, electionis sors in ipsum cecidit capituli praesidem.

1637 sub eodem.

1638 die 14 Iulii Greinburgi ad S. Antonium Paduanum sub eodem.

1639 sub eodem.

Anno 1640 die 25 Iunii Graecii, praesidente a. r. p. Maxentio ab Arco comissario generali, provincialis electus est a. r. p. Aegidius Schiesel.

1641 die 24 Aprilis Claustroneoburgi } sub eodem.
1642 die 4 Aprilis Enzerstorffii }

1643 die 30 Aprilis Greinburgi, praeside a. r. p. Maxentio ab Arco, in provincialem assumptus est r. p. Paulus de Tauris.

1644 die 20 Maii Kazlstorffii sub eodem.

1645 ob bellorum tumultus et grassantem pestem, non fuit habita congregatio.

1646 die 30 Iulii Graecii, praeside a. r. p. Maxentio ab Arco, electus est in ministrum Provinciae r. p. Seraphinus Bernardi.

1647 die 25 Augusti Claustroneoburgi } sub eodem.
1648 die 23 Iulii ad S. Hippolytum. }

1649 die 2 Iulii ad S. Hippolytum, praeside saepius facto a. r. p. Maxentio ab Arco, ipse electionis praeses in provincialem Austriae electus est.

1650 die 13 Iulii Zisterstorffii ad S. P. N. Fran. } sub eodem.
1651 die 22 Aprilis Loysii ad S. Bernardinum. }

1652 die 25 Aprilis Loysii, sub praesidio a. r. p. Aegidii Schiesel, provincialis electus est r. p. Antonius Stöckler.

1653 die 27 Aprilis Claustroneoburgi } sub eodem.
1654 die 6 Martii Enzerstorffii }

1655 die 6 Maii Claustroneoburgi, praesidente a. r. p. Aegidio Schiesel in provincialem assumptus est r. p. Franciscus Stattfeld.

1656 6 Maii Viennae sub eodem.

1657 die 14 Iulii Kazlstorffii, sub eodem.

1658 ob celebratum Toleti in Hispania capitulum generale, nullum in Provincia celebrari potuit capitulum.

1659 die 25 Maii Enzerstorffii, praesidente a. r. p. Ambrosio de Berno, visitatore comissario generali, iterato in provincialem electus est a. r. p. Antonius Stöckler.

1660 die 17 Maii Graecii } sub eodem.
1661 die 3 Maii Viennae }

1662 die 23 Octobris Graecii, praesidente a. r. p. Andrea ab Arco, visitatore generali, minister provincialis electus r. p. Ludovicus Kriechenhoffer.

1663 die 6 Augusti Merzuschlagii ad S. Crucem.

1664 nulla fuit habita congregatio ob capitulum generale Romae celebratum.

1665 die 28 Aprilis, Lancovitii.

1666 die 13 Februarii Viennae, praeside a. r. p. Mathia a Rheinfelden, Provinciae Tyrolensis patre et visitatore generali, electus est r. p. Masseus Weiskircher.

1667 die 10 Februarii } Kazlstorffii sub eodem.
1668 die 24 Aprilis }

1669 die 29 Ianuarii Viennae, praesidente rev.mo p. Ioanne a Molino Navarrete, augustissimae imperatricis confessario, comissario generali, in Provinciae ministrum electus est r. p. Hilarius Andreae.

1670 die 24 Ianuarii } Viennae sub eodem.
1671 die 6 Aprilis }

Anno 1672 die 24 Aprilis Egenburgae, sub praesidio a. r. p. Antonii Brautscheck, Provinciae Bohemiae patre et visitatore generale, assumptus est in provincialem r. p. Narcissus Hietl.

1673 die 11 Iunii Clagenfurti ad S. Franciscum } sub eodem.
1674 die 6 Maii Claustroneoburgi

1675 die 3 Maii ad S. Hippolytum, praeside a. r. p. Mathia a Rheinfelden, Provinciae Tyrolensis patre et visitatore generali, provincialis electus r. p. Marianus Schmid.

1676 die 23 Februarii Viennae } sub eodem.
1677 die 31 Maii Merzuschlagii

1678 die 1 Maii Loysii, praeside a. r. p. Paulo Sentquinschi, Provinciae Mariano-Hugaricae patre, visitatore generali, in ministrum provincialem reassumptus est a. r. p. Hilarius Andreae.

1679 die 24 Februarii Viennae } sub eodem.
1680 die 8 Maii Kazlstorffii

1681 die 6 Maii ad S. Hippolytum praeside a. r. p. Adriano Hueppher, Provinciae Tyrolensis patre et visitatore generali, minister secundo electus est a. r. p. Narcisus Hietl

1682 die 16 Februarii Kazlstorffii } sub eodem.
1683 die 4 Aprilis Mauttemae ad S. Barbaram

1684 die 23 Aprilis Graecii praeside a. r. p. Remigio Ramschalazasii, Provinciae Mariano-Hungaricae visitatore generali, in ministrum Austriae electus est r. p. Anselmus Fiechter.

1685 die 29 Aprilis Merzuschlagii } sub eodem.
1686 die 7 Maii Iudenburgi

1687 die 24 Maii ad S. Hippolytum, praeside a. r. p. Gregorio a Tridento, S. Vigilii Provinciae patre et visitatore, in provincialem est electus r. p. Wolfgangus Plöckner.

1688 die 11 Martii Enzerstorffii } sub eodem.
1689 die 24 Maii ad S. Hippolytum.

1690 die 8 Iunii Egenburgae, praeside a. r. p. Eustachio Kracker, Provinciae Tyrolensis patre et visitatore generali, provincialis electus est r. p. Benignus Schimaditsch.

1691 die 13 Maii Kazlstorffii } sub eodem.
1692 die 8 Iunii Viennae

1693 die 4 Maii Loysii, praeside a. r. p, Amando Hörmon, Provinciae Bohemiae patre, in ministrum provincialem electus est r. p. Benignus Schmuderer.

1694 die 15 Februarii Viennae } sub eodem.
1695 die 1 Maii Ybbsii ad S. Spiritum

1696 die 9 Maii Enzerstorffii, sub praesidio a. r. p. Dominici Manyai, Provinciae Mariano-Hungaricae patre, electus est provincialis r. p. Franciscus Caccia.

1697 die 23 Aprilis Viennae } sub eodem.
1698 die 13 Iunii Feldspergae ad S. Michaëlem

1699 die 28 Iunii Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Gabriele Maior, Provin-

ciae Mariano-Hungaricae patre, in provincialem reelectus est a. r. p. Wolfgangus Plöckner.

1700 die 14 Martii Viennae sub eodem.

1701 die 8 Maii Viennae, sub a. r. p. Benigno Schmuderer vicario provinciali, cum a. r. p. Wolfgangus Plöckner in commissarium generalem ad Reginam assumptus fuerit.

1702 die 28 Maii Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Ioanne Evangelista Aichperger, Provinciae Tyrolensis patre, electus est provincialis r. p. Emericus Pfendner.

1703 die 20 Maii Viennae
1704 die 3 Iunii Stockeravii ad S. Colomannum } sub eodem.

1705 die 24 Maii Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Christiano Gerber, Provinciae Tyrolensis patre, iterato in provincialem assumptus est a. r. p. Benignus Schmuderer.

1706 die 16 Maii Viennae
1707 die 5 Iunii Lanzendorffii } sub eodem.

1708 die 23 Novembris Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Sigismundo Neudecker, Provinciae Bavaricae patre, in ministrum electus est r. p. Aloysius Hörmon.

1709 die 20 Augusti Enzerstorffii
1710 die 1 Iunii Loysii. } sub eodem.

1711 die 11 Septembris Claustroneoburgi praeside a. r. p. Ludovico Gallenfels, Provinciae Carniolicae patre, iterato in provincialem electus est a. r. p. Emericus Pfendner.

1712 die 17 Iulii Lembaci ad Ss. Trinitatem
1713 die 6 Iulii ad S. Hippolytum } sub eodem.

1714 die 24 Iunii Claustroneoburgi, praesidente a. r. p. Bernardino Gregoritsch, Provinciae Carniolicae patre, provincialis electus est r. p. Hugo Babler.

1715 die 10 Iunii Graecii
1716 die 8 Iunii Viennae } sub eodem.

1717 die 22 Augusti Claustroneoburgi praeside a. r. p. Ambrosio Gästl, Provinciae Salvatoriano-Hungaricae patre, in ministrum electus est r. p. Bruno Prenner.

1718 die 29 Iunii
1719 die 25 Iunii } Viennae sub eodem.

1720 die 2 Iunii Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Wolfgango Forel, Provinciae Bohemiae patre, iterum in provincialem electus a. r. p. Aloysius Hörmon.

1721 die 11 Maii
1722 die 3 Maii } Viennae sub eodem.

1723 die 19 Augusti Claustroneoburgi, praeside a. r, p. Capistrano Seebach, Provinciae Mariano-Hungaricae patre, reelectus est provincialis a. r. p. Hugo Babler.

1724 die 28 Maii
1725 die 27 Maii } Lanzendorffii sub eodem.

1726 die 24 Iunii Claustroneoburgi, praeside a. r. p. Hieronymo Lukaschiz,

Provinciae Mariano-Hungaricae patre, provincialis electus est r. p. Sigibertus Wasner; verum eo post bimestre vita defuncto,

Eodem die 18 Septembris Viennae in Provinciae ministrum assumptus fuit r. p. Crescentius Krisper.

1727 die 8 Iunii Lanzendorffii } sub eodem.
1728 die 6 Iunii Feldspergae }

1729 die 21 Septembris Claustroneoburgi, sub praesidio a. r. p. Martini Wazulich, Provinciae Salvatoriano-Hungaricae patre, provincialis electus est r. p. Emericus Mettschacher.

1730 die 9 Iulii Enzerstorffii } sub eodem.
1731 die 19 Augusti Loysii }

§ 10.

De fratribus huius Provinciae, qui pro Christi nomine sanguinem fuderunt.

Cum Solimanus Turcarum Imperator, occupata potiori Hungariae parte, ipsam urbem Viennensem innumera suorum, ducentorum scilicet millium, Ottomanorum multitudine, etsi incassum, quia felicioribus Philippi comitis Palatini aliorumque caesareorum belli ducum armis ac defensione victoriose repulsus, anno 1529 obsidendam abiret, atrocissima ubique rabie in christianorum praeprimis Austriacorum terras desaeviit, plurima loca, urbes, oppida, arces etc., igne ferroque perdendo. Biduo post suum Viennae adventum, nimirum 25 Septembris, amplissimus noster locus SS. Theobaldi et Bernardini, primus a S. Capistrano susceptus ac miraculis a se confirmatus, igne prius extinctis per caesareum militem omnibus suburbiis, ne infensissimo Christiani nominis hosti in praesidium fierent, totaliter Turcarum furiis cessit; atque ita, quod in bonum totius urbis amicus nostrorum ignis solum exussit, furens barbarorum flamma plene absumpsit, totum devastavit. In dirissima huius conventus invasione plurimi fratres, (pervetustus nostri archivi character quasi numero centum fuisse commemorat), in eodem loco remanentes et martirii palmam sitientes, meruerunt in sanguine agni lavare stolas suas. Mox enim ut Turca barbaro suo milite locum occupaverat, e vestigio fratres truculenta manu barbari aggressi omnes ad unum peremerunt, quorum nomina, cum scripta non inveniantur, soli Deo sint cognita. Durante hac immani Ottomanorum persecutione plures conventus nostri combusti sunt et quidem: die 24 Septembris locus amoenus in Enzerstorff ad S. Mariam Magdalenam; die 26 Septembris conventus B. Mariae Virginis in Paradiso; eodem mense, die vero 27 conventus Claustroneoburgensis, cum ecclesia S. Iacobo maiori sacra, incineratus est. Anno sequente circa festum S. Michaëlis, non obstante Caroli V. Imperatoris copiosissimo exercitu in occursum misso, iterum in Austriam movit saevissimus Turca, et postquam totam pene Styriam miserandum in modum devastasset, conventum quoque Kazlstorffensem ad S. Radegundem invasit et omnino spoliatum flammis donavit. Ex his iam nominatis locis sequentes fratres pro Christi nomine gladiis impiorum occubuere.

Enzerstorffii P. Germanus de Kreitenach, venerabilis senex, aliquando in Terram S. peregrinus, unica per diem refectione contentus, capite truncatus. P. Wolfgangus

de Steinkirchen fervens praedicator, zelo martirii flagrans, fugam, etsi potuisset, arripere noluit, et p. Urbanus Novimburgensis sacerdos, ambo vulneribus graviter sauciati capite plexi sunt. In eodem conventu anno 1530 passus est p. Dionysius de Bamberga loci praesidens, saepius alibi guardianus et zelosus novitiorum magister, dum hic locus secundo exureretur a Turcis igne crematus.

In Paradiso ad B. V. M. fratres octodecim acerbissimum mortis genus, prout noster Gonzaga etiam refert, subierunt, partim ense, partim igne pro Christi fide necati. Non procul a dicto loco penitus a barbaris exusto ac demolito in nemore interfectus repertus est p. Theobaldus de Neostadio, sacerdos singulari pietate conspicuus et sacrista Viennensis. Item in eodem nemore Viennensi barbara itidem manu interempti sunt ff: Alexius de Tambswegg senex et Bernardinus de Follersheimb, ambo laici coqui. Quibus ibidem adauctus est fr. Zachaeus de Zwethel, etiam laicus pius et in oratione frequens, corpus suum panis et aquae ieiunio saepius macerans ac in servitutem redigens.

Claustroneoburgi ad S. Iacobum fr. Leo Piche bonus laicus. In Königstötten, (oppidum est altero milliari Claustroneoburgo dissitum), per capitis abscissionem barbara saevities vita spoliavit pp. Ladislaum de Waidhoffen et Sigismundum de Heilbrun, etsi iuvenem, pietate tamen et doctrina insignem; hi duo in parochiali ecclesia honeste tumulati sunt.

Kazlstorffii ad S. Radegundem anno 1530, p. Antonius de Kirchberge, praeclarus verbi divini praeco, ante summam aram, dum animam suam geneflexus in manus domini commendaret, capite plexus obiit. In eodem martirii palmam obtinuere duo fratres a Turcis in odium Christianae fidei occisi, quorum memoria habetur in martyrologio ordinis die 24 Decembris.

Anno 1683 Turca cum numerosissimo suo milite in Austriam iterum saeviens, dum secundo Viennam obsiderat, vulneribus plurimis misere sauciatum trucidavit fratrem Guttbertum Lenz laicum; eodem anno die 13 Iulii in conventu Enzerstorffensi .... qui soluta urbis Viennensis obsidione, in ambitu inferiore conventus ante minorem ecclesiae ianuam crudeliter occisus inventus, in eodem loco tumulatus est.

Hainburgi ad S. Annam, postquam a Turca et Tartaris universa civitas cum nostro conventu ac ecclesia flammis tradita fuisset, die 12 Iulii p. Illuminatus Hölscher, optimus sacerdos, fr. Liberatus Andre coquus et fr. Albanus Stumpf, laicus et pictor egregius, igne absumpti sunt. Eadem die p. Christophorus Sibenhenner, praeclarus concionator, vir zelosus et exemplaris, ieiunio ac devotioni praeprimis deditus, a barbaris una cum aliis civitatensibus et christianis captivis abductus, sub via multis ludibriis impetitus, verberibus sauciatus, tandem cum suos concaptivos ad constantiam hortaretur in passione, in partes (ut a fide dignis relatum) crudelissime sectus fuit, praeclara martirii palma clarus.

Lembacensi in conventu ad Ss. Trinitatem die 14 Iulii eorundem Tartarorum gladiis occubuit p. Bernardinus de Italia, sacerdos senex; cum claustro tota fuit exusta ecclesia magnusve numerus oppidanorum in captivitatem abductus

Kazlstorffii eodem die et anno capite truncati: p. Franciscus Plazer, maximae probitatis sacerdos, fr. Petronius Pfann clericus et fr. Zachaeus Werl laicus coquus; conventus vero omnino depraedatus ac combustus est.

Praenominatis piis religiosis merito adiungendi veniunt duo eximiae pietatis viri, qui etsi persecutorum gladiis perempti non sint, attamen, ut sanguinem pro Christi

nomine et fide catholica gloriose funderent, digni habiti sunt; nimirum: p. Ioannes de Hungaria, indefessus alias in sacro tribunali poenitentiarius, hic contra haeterodoxos dogmata fidei romano-catholicae liberius defensans a Lutheri sectario graviter vulneratus est; obiit, sanato vulnere, in Rudolphswert anno 1548; alter erat p. Thomas a Salisburgo, praedicator percelebris omnique populo gratissimus, ob strenuam etiam fidei orthodoxae propugnationem a Lutheranis secundo lethaliter sauciatus. Hic zelo amplius defendendae fidei impulsus, post Provinciae ministeriatus officium inter Lutheri asseclas et Anabaptistas disputationis causa se contulit ac plurimos ab erroribus ad viam veritatis reduxit. Demum Labaci in Carniolia a Lutheranis ad mensam invitatus veneno ipsi propinato inficitur, ac paulopost brevi detentus infirmitate beato fine quievit feria secunda palmarum, quae erat secunda Aprilis anno 1548.

Anno 1716 die 3 Martii p. Liberatus Weis, Palatinus Gonnerstreittenus, missionariorum in Aethiopia praefectus apostolicus, cum aliis duobus patribus Michaële Pio a Zerbe et Samuele a Biumo Italis in civitate Gondar, Aethiopiae metropoli, evangelium Christi libera voce praedicans, catenis vinctus extra urbem ducitur ac ab impia eaque copiosissima plebe lapidibus obrutus est, pretiosa martyrum corona gloriose indutus. Ut nobile huius viri pro fide Christi certamen clarius lectori pateat, p. Theodosii Wolf, Provinciae nostrae sacerdotis et missionarii apostolici, datas ad r. p. Brunonem Grenner provincialem de beato martyrio informatorias hic verbo tenus adiicimus.

Adm. rev. p. prov. Filiali devotione ductus ac sancito foedere cum r. p. Liberato piae memoriae obligatus, crudele quidem (nescio funestum nuncupem an magis gloriosum) spectaculum ab Aethiopia, fidei catholicae semper infensissima, hoc anno iterato in tribus seraphicae religionis patribus paternitati suae a. r. propono; notum siquidem arbitror anno 1704 a sanctissimo pontifice nostro Clemente XI. quamplurimos missionarios apostolicos ad praedicandum in Aethiopia IESU Christi evangelium fuisse expeditos. Varie fuit tentatus ingressus, ast ab interiacentibus barbaris semper impeditus, donec r. p. Liberatus Weis, praefectus apostolicus, almae Provinciae Austriae alumnus, adiunctis sibi sociis rr. pp. Michaele Pio a Zerbe et Samuele a Biumo, anno 1711 per mare rubrum iter sit aggressus; tandem anno sequente, superatis maximis terrae marisque periculis, metropolim Gondar feliciter ingressus, statim regem (cui nomen erat Iustus) adivit eique clam causam sui adventus exposuit, quem etiam rex peramanter ac summo favore excepit, securitatem promisit, particularem assistentiam spopondit; attamen publicam catholicae fidei praedicationem illis inhibuit, populum ad rebellionem proclivem metuens, lente eos festinare hortabatur dicens, Deum mundum non unico instanti, ut potuit, sed sex dierum spatio creasse. Interea, dum nostri patres morabantur in Gondar mire in dies crescebat regis affectus; adeo enim eos venerabatur, ut eos regia sua munificentia amplificare quam plurimum studuerit, possessiones ac annuos redditus obtulerit, quos nostri tamen constanter spreverunt asserentes, id militare contra statum nostrum apostolicum ac sanctissimam paupertatem in regula professam. Obstupuit rex animum eorum minime cupidum, in laudem eorum clam et publice dicebat, iureiurando promittebat, non solum regio diademate, sed etiam sanguine eos se defensurum. Hucusque patres nostri incolumes fuerunt, iam aliquos clam ad fidem converterunt, immo emersisse ex profundo regis ope videbantur; ast non respondit eventus, quippe semper inimica virtutibus vitia sunt. Pessimi sane pravique ingenio aliqui invidiae patre commoti

sparsere perfidiae semina, pravis colloquiis et praedicationibus populum pervertentes. Monachis, quorum maxima potestas, regnique magnatibus persuadent, patres nostros esse infensissimos deiparae hostes; panem azymum in sacrificio missae consecrandum ex medulla canis et porci cerebro conficere; brevi tempore totum regnum ab his incircumcisis perverti, habentibus regem illis sequacem; immo fore ut, crescente numero, sibi regnum vendicarent. Haec et alia id genus plurima commenta iactabant ac de eiiciendo rege tractabant; populus alioquin rudis facile figmentum praebuit ac tumultuare incepit. Eo cognito, rex Iustus incolumitati prospicere cupiens, eos ad remotiora loca magno cum comitatu migrare iussit, illos revocaturus, quietata populi dementia. Ast nil pacatior impia turba, immo absentia exasperavit potius malos, quam compressit; unde tumultuose coniuratum et regi, ut ferunt, venenum propinatum, qui subito dira paralysi correptus, ita ut nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur, tanquam inhabilis fuit regno privatus et a domesticis suis ex aula eiectus. Interea iuvenis quidam, nomine David, rex proclamatur, qui metu populi perculsus, facile furori eorum se subscripsit et absentes patres anno 1716 die 27 Februarii ad se accersivit, vinctos catenis incarcerari iussit. Die 2 Martii eos in publico procerum consilio statuit, ac ex illis quaesivit, quinam essent, et cuius rei causa venissent? Responderunt, se esse sacerdotes catholicos a summo pontifice universalis ecclesiae pastore missos, ut illos in vera fide instruerent, animas eorum a tenebris eruerent et ad salutem aeternam perducerent. Itaque nos non sumus christiani? interrogat rex, reposuerunt: Estis christiani solo nomine, facto minime. Super quod rex vehementer commotus, sententiam mortis in eos fulminat, illi econtra promptos se offerunt constanter mori pro fide catholica; attoniti omnes steterunt mirantes patrum magnanimitatem et in profundendo vitam prodigalitatem; unde rex cepit paulisper deliberare, blandius eos aggreditur, in societatem allicit, securitatem vitamque promittit modo velint circumcidi, Dioscorum sanctum venerari, in Christo unam naturam confiteri, eorum sacramentis communicari etc. At illi egregia constantia vitam caducam contemnentes, pro fide mori quam piaculum comittere maluerunt. His peractis iubentur denuo in carcerem trudi; interea habentur conciliabula; rex licet impius, aliquando tamen sacerdotibus mitior, patres e regno eiici sententiam tulit; e contra vero morte eos plectendos monachorum petitio fuit, et ita tertia die Martii, ligatis a tergo manibus, in forum seu campum certaminis ducuntur, vestibus spoliantur, osculando invicem paulisper loquebantur, humilibus ad Deum precibus animas suas recommendantes, tandem in genua sunt provoluti, impetuosos lapidum ictus suscepturi. Statim sub specie religionis iniquitatem tegens sacerdos quidam sacrilegus in medium prosiliit vociferando: maledictus, excommunicatus ac virgineae matris inimicus sit, qui non quinque lapides in illos iecerit. Primus ille lapidem misit, quem turba ferme decem hominum millia secuta, brevi spatio nostros patres sub acervo lapidum sepelivit. Particeps cupiebam esse luctus, qui eram amoris socius, ast superis aliter visum fuit, dum hic interim dubia salute ob aëris inclementiam cum aliis tribus patribus haereo, donec quid agendum, a sacra congregatione responsum fuerit. Pro interim haec pauca vera notificare potui, plura cum tempore.

Datum Mochae in Arabia felici anno 1716 die 20 Iunii.

S. P. A. R.

Humillimus subditus
Fr. Theodosius Wolf a S. Hippolyto
missionarius apostolicus.

§ 11.

De religiosis virtute, pietate et sanctitatis opinione insignibus.

Venerabil. p. Andreas de Leüben, vir pietate et doctrina clarissimus; unus de primis et electis huius Provinciae lapidibus angularibus; spiritui orationis semper intentus, ante Provinciae divisionem vicarius; omnes conventus Austriae, Styriae, Carnioliae, Poloniae etc. pedester invisit, ubique paupertatis et humilitatis vestigia relinquens, post miraculosam decem dierum abstinentiam ab omni alimento etiam in extrema sua infirmitate, in suavi crucifixi amplexu pientissime in Domino obiit Viennae ad SS. Theobaldum et Bernardinum ad annum 1467. Eius memoriam agit martyrologium Ordinis 13 Octobris.

Venerabil. p. Michaël de Septem Castris, eruditione et gratia praedicationis clarissimus, post plurima sibi coram Deo et hominibus comparata merita, mortis suae praesagus, ad recipiendam mercedem aeternam ad caelos evolavit Lancovitii anno 1483.

Venerabil. p. Franciscus de Landshut, ob integerrimam vitam, devotam alacritatem morumque exemplaritatem ab eminentissimo p. Gabriele, cardinali et episcopo Agriensi, quondam S. Capistrani in erigenda Provincia Austriaca adiutore egregio, in confessarium et sacellanum assumptus, aetate et meritis plenus caelo nascitur Agriae anno 1486.

Venerabil. p. Gregorius de Waidhoffen, devotissimus praedicator, perpetuus altissimae paupertatis zelator, vir optimae conscientiae, in omnibus perfectae obedientiae ac exemplarissimae vitae, moritur ad s. Theobaldum Viennae anno 1493.

Venerabil. p. Archangelus de Aspang, vitae innocentia, paupertatis studio, orationis frequentia maxime conspicuus; hunc aliquandó in conventu Paradisiaco orationi vacantem daemon sub specie equi in ipsum prosilientis deterrere ac impedire conatus, verum elevata in Deum mente, ab eo contemptibiliter fugatus est. Probus hic omni enitens virtute sacerdos, nec carnibus nec piscibus vesci solitus, suscepta ad portiunculanas aedes pia peregrinatione, Camerini mortuus est anno 1496; in vita nec unquam aut ridere aut irasci visus; post obitum pulcrior facie quam ante apparens; recolit eius memoriam martyrologium Ordinis die 24 Novembris.

Venerabil. p. Ambrosius de Tulna, unus ex sociis primis S. Ioannis a Capistrano, cuius sanctitatem et magna apud Deum merita indigitant miracula ad eius sepulcrum mire patrata anno 1508; martyrologium Ordinis die 24 Martii eius meminit.

Venerabil. p. Christophorus de Monachio, magnificus verbi Dei praeco et doctor egregius, in asceseos perfectione facile primus; hic tanta contemplationis gratia pollebat, quod, ut ob dulcedinis fructum, quem ad intra sentiebat, omnes utriusque sexus homines meditandi methodum edoceat, indefessum semper impenderit conatum. Sancto fine quievit Perusii qua commissarius anno 1514. Hic suscepit locum Schwazensem et reformator fuit conventus Bozoniensis.

R. fr. Archangelus de Braunecken, optimae spei clericus, sanctae innocentiae speculum, donis gratiae et naturae mire ditatus, Bononiam studiorum causa missus, ibidem ridendo, dum alii ipsi assistentes lachrymarentur, expiravit anno 1519.

Venerabil. p. Prosper de Mysna, de primis a S. Capistrano susceptis fratribus, sacerdos religiosissimus, aetatem physicam coram Deo et hominibus meritis plenam ultra centum protrahens annos; qua non obstante, nunquam chorum neglexit, nec unquam officium in stallis, sed extra illa, sine ulla appodiatione in choro dicere solitus ad maximam omnium exemplaritatem. Quiescit Feldspergae, ubi beatissime obiit anno 1518.

Venerabil. p. Bernardinus de Enzerstorffii, pater omni virtutis zelo, pietate, doctrina, eloquentia praeditus; etsi aliis omnibus bonus, sibi tamen suoque corpori rigidissimus, quoniam in omnibus membris suis mortificationem IESU circumferebat, ut suo exemplo vita IESU in omnium hominum manifestaretur corporibus. Piissime obiit Loysii anno 1520.

R. fr. Bartholomaeus de Nümberga, laicus morum gravitate et exemplaritate insignis, nunquam ridere visus est ac rarissime loqui, omnibus fratribus, praecipue valetudinariis et graviter infirmis, quorum curam plurimis annis Viennae gesserat, apprime charitativus, anno 1520 mortuus est.

Venerabil. p. Ioannes Baptista de Franconia, vir simplex et rectus, omni gratus homini, strictioris regulae observantia et vitae austeritate singularissimus, non absque specialis probitatis indiciis diem clausit ultimum Viennae 1525.

Venerabil. p. Bernardinus de Öringen, in spiritu devotionis et orationis perfectissime exercitatus; caelitum venerator praecipuus; pro animabus purgantibus orator ad Deum diu noctuque indefessus; per unicum necdum effluxum annum, uti ei revelatum, plura millia liberans e piacularibus flammis; pervetustus character, nisi calami error sit, 53000 exprimit. Quiescit Viennae ad SS. Theobaldum et Bernardinum anno 1525.

Venerabil. p. Victorinus de Nova Civitate, praedicator et confessor gratissimus, gratiam inter alias specialem sibi petiit a Domino, ut nimirum laudes Deo decantare possit usque in finem vitae suae; qua minime est frustratus, nam postquam matutino cantando et psallendo cum reliquis fratribus interesset, absolutis in choro laudibus, ad cellulam redux, mox mori incepit et sine suorum confratrum multo gravamine, prout petiit, vita beate functus est anno 1527 Graecii.

Venerabil. p. Casparus de Krembs, quondam Freystadii nobilis decanus, divitiis affluens, propter Deum omnia relinquens, humile seraphici S. Francisci institutum amplexus est. In eo ob doctrinae excellentiam, ingenii perspicacitatem, vitae integritatem ter in ministrum Austriae assumptus. Plurimis pro Dei gratia, animarum salute et Provinciae emolumento exantlatis laboribus, in sancta pace quievit Puppingae anno 1533.

R. fr. Bonaventura, veneranda senecta laicus, non obstante crurifragio, quod in rupto ponticulo passus est, exemplaris eleemosynarum collector; quod munus sat arduum pro amore confratrum suorum usque ad ultimos vitae annos protrahere non desiit; et quia senio confectus (nonagenario siquidem proximus erat) ambulare nequivit, paupercula traha vectus per homunculum ostiatim mendicabat. Ob eximiam hanc in fratres charitatem, morum vitaeque innocentiam adeo gratus omnibus, quod non solum saeculares et laici, sed sacerdotes etiam humeris suis eum portare minime dubitaverint. Moritur plenus dierum et meritis Graecii 19 Septembris anno 1635.

Venerabil. p. Antonius Stephanus, sacerdos in omni opere bono versatissimus,

quasi Enoch in omnibus viis suis cum Deo ambulavit et non apparuit; seu clam cum Deo conversatus talis ab aliis videri noluit. In oratione enim continuus, in amore erga Deum et proximum assiduus, beatissima demum morte potitur Viennae 18 Augusti anno 1638.

R. fr. Romanus Burchard, clericus sub anno probationis contagiosa lue infectus, flexo poplite, levatis in caelum oculis et manibus, spiritum innocentem in manus sui creatoris commendans expiravit Claustroneoburgi 5 Octobris anno 1645.

R. fr. Donulus Rosenfelder, laicus, olim rev.^{mi} d. episcopi in Valle Lavantina secretarius, virtutibus omnibus deditus religiosus, nunquam laethaliter peccasse dicitur. Diem mortis praesciens morte iustorum moritur Viennae 9 Ianuarii anno 1646. Facies eius post obitum pulcherrima apparuit; corpus vero suavissimum spiravit odorem, quem tum fratrum tum saecularium magna copia non abs spiritus exultatione mirabiliter persensere.

Venerabil. p. Martinus Schubhard, plurimorum meritorum ac dierum plenus; per omne vitae tempus ob morum integritatem et singularem in superos pietatem fama sanctitatis clarus, a fratribus saepius per integram horam expansis brachiis orare visus. Fuit per viginti et plures annos sanctimonialium ad Caeli Portam confessarius gratissimus, obiit Viennae die 19 Septembris anno 1647.

Venerabil. p. Mauritius Mitterhoffer, ob religiosissimos mores et mirae pietatis specimina, innocentiae decus et religiositatis splendor nuncupatus, comparatis sibi per 40 annos religiosae suae vitae copiosissimis meritis, ut confessarius sanctimonialium Iudenburgensium e terrestri illius loci Paradiso ad caelestem patriam evocatur 12 Decembris anno 1648.

Venerabil. p. Seraphinus Prallinger, maximae pietatis sacerdos, aetate iuvenis, moribus et virtutibus senex, corporis mortificationi singulariter studiosus; hinc post felicem eius obitum 1 Maii anno 1651 inventum est corpus cingulo ferreo cinctum.

Venerabil. p. Stephanus Heimbl, Viennae ut poenitentiarius et sacrista plurimis annis Deo servivit nulli parcens labori, sollicitudini nulli; toleratis per tres menses acerbissimis cum summa patientia aegritudinis molestiis, mortis horam praevidit, praedixit, adeoque frequentius repetens sacram exomologesim, piissime in Domino obdormivit die 1 Aprilis anno 1656.

R. fr. Felix Seemüller laicus, sanctae paupertatis strenuus amator et omnis virtutis eximius cultor. Ante obitum per octo annos carne non vescens, sabbato sancto suae per tot annos meritorie protractae quadragesimae simul ac vitae intemeratae finem imposuit, resurrectionem cum Christo in caelis aeternam habiturus. Lembaci 16 Aprilis anno 1656.

Venerabil. p. Innocentius Galleron, secundum Christi redemptoris exemplum animam ponens pro amicis suis seu proximorum salute, pro pestiferis sese in lazaretho Viennensi lubens exposuit. Morbo contagioso et ipse infectus, eodem ut martyr charitatis 17 Septembris anno 1656 extinctus est.

Venerabil. p. Franciscus Eckstein, actualis Provinciae custos, variis infirmitatibus longiori tempore pressus, velut aurum in igne probatus fuit; tandem illis, cum mira patientia toleratis, oppressus, naturae debitum solvit die 25 Septembris anno 1657. Hic vir vitae franciscanae erat eximius zelotes, in choro assiduus, erga fratres indiscriminatim summe charitativus, in spiritu devotionis et contemplationis continuus, in omni denique suo munere fervens et strenuus.

Venerabil. p. Franciscus Stattfeld, Austriae quondam provincialis, lucerna lucens et ardens; ob praeclara sua merita in comitiis generalibus Toleti in Hispania celebratis definitor totius Ordinis electus, evangelicam habens serpentis prudentiam et simplicitatem columbae, in religiositate merus anachoreta, in strenua regulae observantia verus S. P. N. filius, omnis denique virtutis religiosae compendium. P. ministri generalis obedientia in Poloniam minorem missus ut visitator Vielicii prope Cracoviam 20 Augusti anno 1661, postquam pridie comitia provincialia iam valedicturus absolverat, in suavissimo crucifixi amplexu spiritum caelo reddidit ad ingens utriusque Provinciae lamentum.

Venerabil. p. Ludovicus Rheinthaller, guardianatus ac definitoriatus munere cum laude functus, maximus seraphicae regulae et paupertatis zelator fuit. Tantus psalmodiae et diurni officii amator, quod, dum horas canonicas recitandi tempus adesset, nunquam tam divino quam nocturno tempore extra chorum visus sit; moritur plenus meritis in senectute bona septuagenarius Viennae 7 Septembris anno 1661.

Religiosus fr. Wolfgangus Leo, per 40 annos clericus diaconus, cultui B. Virginis deditissimus, vitae constanter illibatae; ad agonem suum laete perveniens, in frequentioribus crucis amplexibus spiritum suum Deo, Immaculatae Virgini et s. M. Magdalenae, quam sororem suam nominabat, obnixe commendabat earumque patrocinium devotissimis suspiriis implorabat; demum alta, qua potuit, voce intonato: *Magnificat* ad secundum versum: *Et exultavit spiritus meus* etc. spiritum creatori reddidit Loysii 30 Maii 1662.

Venerabil. p. Lambertus Lambrecht, iterato Provinciae definitor, eximius theologus, apud omnes Styriae proceres ob religiosum conversandi modum acceptissimus. Intemeratae Deiparae cultor singularissimus, eius promovendi honoris studiosissimus. Lancovitii in loco B. Virginis de Gratiis bis per triennium etiam alibi guardianus; plurima ibidem ac praeclara in gloriam eiusdem Virginis reliquit suae devotionis monumenta. Moritur, ut aeternum viveret, morte beatorum Graecii anno 1662.

Venerabil. p. Caesareus Deonistus integerrimae vitae et in suis superioratus officiis maximae exemplaritatis, intemeratae Virginis honori ubique ampliando devotus; ultimis infirmitatis suae miseriis patientissime toleratis, antequam moreretur, per duodecim continuas horas extaticus decubuit; demum ad se reversus, plurima de potenti B. Virginis patrocinio disserens et dulcissimae matris suae consortium suspirans, expiravit Clagenfurti 11 Novembris anno 1662.

Venerabil. p. Athanasius Knörr, pientissimae vitae speculum, ultra viginti annos in urbe Viennensi poenitentiarius ac in convertendis haereticis continuo indefessus. Aegrotis ac moribundis, quibus ad supremum solatium diu noctuque cum maxima caritate assistebat, desideratissimus; percelebris denique animarum zelator, quarum curam ac vigilantiam constanter corde gerebat; obinde apud omnes ob tantum zelum et morum innocentiam sanctitatis opinione clarus. Post tot labores ad requiem sempiternam per suavissimam mortem vocatur Viennae die 16 Novembris anno 1663.

Venerabil. p. Emmanuel Vogt, ob suam exemplaritatem ad succurrendum infirmis ac moribundis saecularibus Viennae deputatus, promptissime hanc sibi iniunctam obedientiam diebus ac noctibus non solum executus ad extra plurimis annis, verum et in claustro in sacro poenitentiae tribunali a summo mane ad extremum usque quadrantem indefessus fuit cum poenitentium fructu confessarius. Tandem, quia in

animarum salute promovenda insatiabilis, pro infectis lue pestifera fratribus et saecularibus sese ultro exponens, eadem ipse invasus et beate mortuus hostia voluntaria apud Deum efficitur 3 Octobris Viennae anno 1679.

Venerabil. p. Honorius Scherff, vir mirae pietatis, chori magister et vicarius Viennae, alibi saepius guardianus; lucrandarum animarum zelo ac charitate praecipue flagrans in lazaretho Viennensi, saeviente lue contagiosa, obsequiis peste infectorum, quorum numerum iam ad 1900 excreverat, animam ponens pro amicis suis, se sponte dicavit. His tanta charitate, tanta cum animi alacritate, nullis neque diurnis neque nocturnis parcens laboribus, spiritualia praestitit officia, ut a cunctis velut amantissimus parens amaretur, passim nominaretur; immo eiusdem zelo ac opera illectus magistratus Viennensis omnem lazarethanae domus inspectionem ipsi concredere prorsus non dubitavit. Plurimis pro amore proximi exantlatis laboribus superatisque frequentioribus vitae periculis, ad omnium summum maerorem in eadem domo, non peste, quod maxime mirum, sed hydrope extinguitur 20 Novembris anno 1679 qua verus charitatis martyr, ut pro laboribus et meritis suis immarcescibilem in caelis reciperet coronam, per sanctam mortem e terris sublatus. Eius corpus, lugentibus universo lazaretho et pestiferis ob deperditum amabilem adeo patrem et consolatorem optimum, honorifice ibi terrae conditum est.

Venerabil. p. Antonius Stöckler, pater patriae et Provinciae Austriae columna, ob maximam morum integritatem, regendi dexteritatem, doctrinam, regularis disciplinae zelum ac eximiam in superos pietatem bis in ministrum assumptus; dein per viginti et plures annos comissarius generalis monasterii regii Ordinis s. Clarae Viennae; laboribus optimis exhaustus plenus dierum obiit 5 Novembris Viennae anno 1681.

Venerabil. p. Aurelius Rettl, religiosus vere pius, vere devotus, ieiunio, orationi, meditationi studiosissimus, in stricta monasticae disciplinae observantia vivum confratrum suorum exemplar; tam in vita quam in ipso mortis conflictu intensissimos patiens corporis dolores, nullum prorsus impatientiae edidit signum; in vigilia Portiunculae beatissimo fine quiescens, portionem cum beatis sumpsit in terra viventium anno 1682 Viennae.

Venerabil. p. Fridericus Löger, sacerdos tum pietate tum innocentia vitae commendatus, orationi tum vocali tum mentali, ieiuniis aliisque corporis macerationibus iugiter intentus, vitae denique religiosissimae ac austerae coronidem imposuit per piissimam mortem ad eximiam omnium assistentium aedificationem ac solatium die 13 Augusti anno 1682 Viennae.

Religiosus fr. Mathias Müllner, laicus singularis religiositatis, simplicitatis et humilitatis, ieiuniis et devotioni constanter deditus; multis ante obitum annis a carnibus abstinuit. Tempore Viennensis obsidionis multis repletus corporis miseriis patientissime toleratis, non absque sanctitatis opinione e vita discessit Viennae 25 Augusti anno 1683.

Venerabil. p. Angelus Donn, festivus et zelosus Viennae ad s. Hieronymum concionator, qui per ferventissimas suas conciones plurimas Deo animas lucrifecit; enituit in eo singularis in proximum charitas, nec eandem eiusque animarum lucrandarum zelum satiabat continua confessionalis frequentia, nec indefessa omni tempore moribundis praestita assistentia; sed ut merita meritis cumularet, Viennensis obsidionis tempore anno 1683 vulneratorum militum regiminis Mansfeldii principis ad nostrum conventum

collocatorum capellanum egit maxime consolatorium et operosum, quamplures ad fidem convertendo, plurimos sacramentaliter absolvendo, sacro pabulo reficiendo, mortuos propriis manibus in horto terrae mandando, sane affectu et zelo suo excellens charitatis victima. Triennio post meritorios sacrosque hos labores infirmitate, medicis incognita, moritur piissime, charitatis eximiae praemium a Deo, qui charitas est, aeternum consecutus. Corpore eius ad physicorum instantiam aperto, in suo cordis intimo duo ossula quasi crucis signum exprimentia ad omnium demirationem inventa sunt. Viennae 3 Aprilis anno 1686.

Venerabil. p. Hugo Stadii, vir venerandae senectae, veri religiosi vivum exemplar, non tam laboribus quam assiduis ieiuniis ac vigiliis exhaustus, sancte mortuus est, quia sancte vixit. In devotione erga Deiparam Virginem erat singularissimus, hanc per omnem vitae cursum fiducialissime matrem suam appellabat, omnia virtutum opera post Deum eiusdem honoribus consecrando; unde virtutis stadium et hanc vitam egressus, per sanctissimae matris interventum caelum copiosis cum meritis ingressus est Graecii 20 Iulii anno 1687.

Venerabil. p. Bartholomaeus Kemeter, definitor habitualis, omnibus amabilis, quia vitae exemplaris ac laudatissimae; magnus humilitatis sectator suique ipsius perfectus contemptor, per 32 annos sacristiae Viennensi qua operosus poenitentiarius cum omni sedulitate praefuit; in visitandis et solandis aegrotis indefessus, eximius denique animarum zelotes, placidissime obdormivit Viennae 29 Octobris anno 1688.

Venerabil. p. Narcissus Hietl, bis Provinciae custos et toties minister Austriae, aliisque Ordinis et Provinciae altioribus muniis functus, magnatibus Viennae non raro a consiliis, confratribus suis omnibus raro exemplo omnia factus; saeviente lue Viennensi anno 1679, ut guardianus civitatensibus et magistratui in rebus gravioribus consuetissimus arbiter. Pietatis operibus omnino deditus, meritis plenus ac laboribus, mortis horae praescius, integris sensibus pientissime se ad eandem disposuit et dum illud Simeonis senis canticum: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*, magnis suspiriis ingeminaret, in pacem introivit sempiternam die 10 Februarii anno 1690.

Venerabil. p. Benignus Schimaditsch, pietate, virtute et doctrina clarus, suscepto provincialatus munere, pro conservanda regulari observantia omnem impendit conatum; conventus Mautternensis erector; proximus morti, ad quam pientissime se disposuit, magna saepiusve repetita poenitentia doluit, quod ut praesidens dicti loci structuram paupertati minus conformem ill.mi d. fundatoris liberrimae voluntati reliquerit. Laboribus exhaustus, beato fine quievit Kazlstorffii anno 1693.

Venerabil. p. Bonifacius Scheps, quia semper sanctimoniae et pietatis operibus mire intentus, verbo ac exemplo omnibus praeluxit, saepius novitiorum magister constitutus est. Vigebat in eo admirandae patientiae, profundae humilitatis, regularis observantiae ac divini honoris zelus. Victu ac corporis mortificatione asperam, sed caelestibus contemplationibus suavem vitam duxit. Ciborum quasi omnium saporem, affundendo illis acetum, penitus destruxit; post beatae vitae consumationem in eius lectulo crux lignea reperta est, super qua vir Dei. perfectus crucis Christi amator, quietem capere solitus erat. Iudenburgi in Paradiso obiit 19 Ianuarii anno 1695.

Venerabil. p. Gabriel Schmid, eximius verbi Dei praeco, potens opere et sermone, plures haereticos ad fidem, peccatores ad poenitentiam et dissidentes ad pacem et concordiam revocavit. Devotionis operibus praeprimis deditus, hinc ut alios quoque

ad ea stimularet, indulgentiarum catalogum conscripsit et edidit. Tempore obsidionis Viennensis summa in fratres charitate et cura enituit, dum in summa illius temporis penuria conventum mirabiliter aluit. Animam suo auctori reddidit Viennae 6 Novembris anno 1695.

Venerabil. p. Bonagratia Knaupp, sui ipsius ac regularis observantiae severissimus exactor, universis vitae integritate, morum suavitate ac modestia religiosa exemplo fuit. Virtute et meritis cumulatus obdormivit in Domino ut praesidens Iudenburgi in Paradiso 14 Februarii anno 1696.

Venerabil. p. Magnus Hoffstötter, charitate, patientia, humilitate, mansuetudine, corporis castigatione aliisque virtutibus mirabiliter enituit. Per triginta annos diu noctuque vigilantissimus magister chori; Beatissimae caeli Reginae devotissimus, in cuius honorem singulis diebus sabbatinis cibum panem, potum aquam sumpsit. Iisdem diebus abiectiora semper conventus munia obire cupiens, frequentissime absque coadiutore scutellas in culina lavabat. Complexus crucifixi imaginem mortem hilari animo aspexit Viennae 31 Februarii anno 1696.

Venerabil. p. Carolus Bosini, ob religiosissimum conversationis modum et praestandi cuivis obsequia, praesertim quae animarum salutem concernebant, ac hilarem promptitudinem nemini non gratissimus. In perfectioris vitae studio continuus, hinc quae ad eam capessendam faciebant, sive lectiones, sive scriptiones flexo poplite peregit. Post nimis paenosas corporis indispositiones, exemplari cum patientia constanter toleratas, devotissime susceptis ecclesiae sacramentis, pie in Domino obiit Viennae 6 Ianuarii anno 1699.

Venerabil. p. Athanasius Geii, sacerdos in pietate, devotione praecipue erga pientissimam Dei matrem, monasticae disciplinae observantia totus verum verae religiositatis exemplar; monialibus Graecensibus s. Clarae ut confessarius cum plurimo animarum fructu praefuit. Currente tunc universalis iubilaei tempore indulgentiarum lucrandarum causa pro suae devotionis coronide montem Calvariae prope urbem Graecensem ascendit, redux in via exanimis factus est, pridie peracta, quasi mortis praescius, totius vitae anteactae exomologesi. Post obitum reperta fuit apud eum scheda proprio sanguine exarata, qua se immaculatae Virgini in mancipium perpetuo dedicavit. Graecii die 15 Martii anno 1700.

Venerabil. p. Paschalis Puecher, doctrina, vitae integritate, morum religiositate et seraphicae regulae observantiae zelo singulariter praeditus, monialium Clarissarum regii monasterii Viennae per quindecim annos comissarius generalis. Ut post meritorum et laborum fatigia pro ampliori animae solatio se quieti donaret, omnique negotio absolutus facilius per iuges meditationes Deo uniret, liberrime se comissariatus munere abdicavit atque ita anno vix expleto, piissime ad mortem dispositus beatissimo fine quievit 2 Iulii anno 1701.

Venerabil. p. Benedictus Stattfeld, vitae religiosae vivum exemplar in exercendis virtutibus ac augendis coram Deo et hominibus meritis indefessus; septuagenario maior vivere desiit felicissima morte beatus Viennae 9 Augusti anno 1701.

Venerabil. p. Angelus Krenmayr, praeter alia superioratus munera laudabiliter gesta tertio magister novitiorum zelantissimus; omnia, quae illos cum ingenti fructu edocuit, rigide et ipse fecit, quia omnis religiositatis, vitae contemplativae, aedificatoriae conversationis, franciscanae paupertatis et regulae strenuus observator. Annis 55 meritorie in religione emensuratis, lectulo infirmitatis patientissime affixus

propria sponte ss. Sacramentis muniri rogavit ac paulo post in Domino obdormivit Lancovitii die 30 Iulii anno 1704.

Venerabil. p. Franciscus Stibich, natus baro, strictus regularis observantiae zelator, eximius et celebris verbi Dei praeco fuit ubique cum ingenti animarum emolumento et copiosissime confluentis populi solatio. Iudaeorum perfidiam in tantum arguebat, quod commotus Leopoldus I. imperator omnes hebraeos Vienna abire ocius demandaverit. In suis muniis omnique operatione ac sermone gravis et auctoritativus; maximae nihilominus discretionis et caritatis, singulariter erga confratres valetudinarios, quos diu noctuque qua consolator optimus invisebat ac verbis dulcissimis consolabatur. Viribus ac laboribus exhaustus, meritis plurimis plenus septuagenarius migravit ad Dominum Viennae 6 Aprilis anno 1704.

Venerabil. p. Vitalis Wolgang, per continuos 33 annos vigilantissimus in conventu Clagenfurtensi vicarius, vir maximae religiositatis, non obstantibus iubilarii sacerdotii sui annis, in frequentando choro tam diurno quam nocturno et confessionali usque ad obitus sui diem ad omnium demirationem indefessus. Nobilitati omnique homini acceptissimus, utpote vitae exemplaritate, sancta conversatione aliarumque virtutum varietate mire decorus; dicta pro religionis more feria VI. coram superiore conventus culpa communi peractaque poenitentia, apoplexia tangitur et post paucas horas, cum Christo obediente usque ad mortem mortem iustorum oppetiit magna cum vultus hilaritate. Ad corpus eius expositum magnus planctus factus est omnium amabilem patrem sese perdidisse flentium. Clagenfurti 24 Aprilis anno 1704.

Venerabil. p. Ladislaus Schmuderer, ob religiosissimum conversandi modum omni gratus homini, in intensissimis doloribus magnisve corporis miseriis admirabilis patientiae. Sacerdos iubilatus, senio confectus, omnibus sacramentis sancte munitus, inter manus assistentium fratrum leniter, quasi dormiens, exhalavit animam Ybbsii 15 Octobris 1706.

Religiosus fr. Uldericus Pressler, laicus, plurimis annis sedulus in Viennensi conventu infirmarius. Enituit in eo permagna morum integritas et specialis in B. Virginem pietas; caritate erga omnes, praesertim infirmos, afficiebatur maxima; nil vitabat, nil praetermittebat, quin omnes fraternis obsequiis foveret sublevaretque. Graviores corporis indispositiones ex sputo sanguinis perpessas per 14 annos forti ac invicto animo toleravit. Ultra annum lectulo dolorum misere affixus mirandum praebuit patientiae exemplum. Denique lente consumptus, meritis ac virtutibus plenus ad caelestem patriam migravit Viennae 4 Novembris anno 1710.

Venerabil. p. Vitus Prosperger, sacerdos iubilatus, vir religiosa mansuetudine, fraterna caritate ac eximia in Deum pietate coram omnibus commendatus. Provecta sua aetate non obstante, ad ultimas usque mortis dies officiatoris et diaconi munus in ecclesia, tum sacra cantando, tum ad aram ministrum agendo, rite decenterque obiit sine reluctatione. Per hebdomadam certa ieiunia certasque peregit devotiones. Extra cellulam, praeterquam ad altare et mensam, quoniam sacrarum rerum lectionibus in sua solitudine semper occupabatur, rarissime visus. Mortem beatam subiit senio debilitatus Iudenburgi in Paradiso die 24 Maii anno 1712.

Venerabil. p. Honorius Pufer, optimae ac perfectae religiositatis vir; regularis observantiae, humilitatis, obedientiae virtutumque aliarum specimina praebuit aliis pie imitanda. Ob religiosissimum cum omnibus status cuiusvis conversandi modum affabilemque agendi dexteritatem nobilium Viennae matronarum visitator constitutus,

apud omnes etiam viros in multo honore fuit. Egenorum et languentium aerumnis miro caritatis ardore subveniebat; in sacro poenitentiae tribunali et infirmis diu noctuque assistendis indefessus; Deiparae Virginis cultor amabilis, unde singularis pietatis affectu plurimisque privatis devotionibus eandem non solum venerabatur ipse, verum ut et alii eam specialius venerarentur, pro viribus conatus est. Thesaurarius gratiosae Virginis Mariae ad s. Hieronymum Viennae existens, pro ea nobilius adornanda omnem impendit laborem. In intensissimis ultimae infirmitatis suae cruciatibus ac viscerum tormentis incredibile est, quantos dolores quave cum patientia eos perpessus sit. Veritatem huius mors ipsa probavit, nam cum mortem sibi certo imminere praedixisset, aliis omnino contrarium sentientibus, insperato mortuus inventus est. Post obitum vultus eius placidus quasi obdormientis erat, mortuus vivere et vivens mortuus credebatur; eadem enim vultus vivacitas, serenitas eadem, qualis apparet in dormiente. Ab omnibus et vel maxime saecularibus obitus eius plangebatur; ipse vero relicta hac lacrymarum valle transiit ad gaudia angelorum Viennae 15 Martii anno 1713.

Venerabil. p. Martinus Boog, munere chori, novitiorum, iuniorum magistri, vicarii, guardiani, confessarii monialium, definitoris laudatissime functus; in omni officio verbo non solum sed et exemplo, vitae integritate ac morum gravitate iter ad religiosae perfectionis statum planum demonstravit. Evangelico-franciscanae paupertatis mirificus amator et custos; orationis studio et corporis afflictationibus iugiter deditus. Promovendo honori et amori erga virgineam Dei Matrem totus incubuit, quare opera eius omnia mariana esse voluit. Lavacro baptismalis regeneratus in sabbato B. Virgini sacro, assumptio eius ad ordinem seraphicum in octava Assumptionis contigit sabbato; professio quoque erat in templo Graecensi B. Virgini in caelos assumptae dedicato; in festo Dolorum B. Virginis primam et immaculatam D. O. M. hostiam obtulit. Et ut finis corresponderet mediis ac principio, in festo Dolorum B. Virginis decumbere coepit in mariano conventu Lancovitii, paulo post finibilem hanc vitam sub patrocinio B. Virginis deserendo in terris, sempiternam inchoaturus in caelis 7 Aprilis anno 1713.

Venerabil. pp. Hugo Runcke et Matthias Schmid, ambo exemplares sacerdotes ac in procuranda animarum salute fervidi; caritate erga proximum flagrantes, tempore luis contagiosae per Austriam grassantis sese ultro in infectorum obsequium exposuere; prior quidem ex conventu Zisterstorffensi in Ebenthall, alter ex conventu Greinburgensi in praepositura Ardacensi. Ambo post plures sacros labores eadem lue oppressi caritatis martyres efficiuntur anno 1713.

Venerabil. p. Bertrandus Paur, organista celebris, vivum perfecti religiosi exemplar; humilitas ei tanta inerat, ut viliora semper et lacera indumenta peteret, abiectiora munia obiret. Crucis mortificationem iugiter in suo corpore portabat, ieiuniis, ciliciis, flagellis aliisque poenarum generibus sese macerans. A summo mane plerumque in choro, in oratione mentali ac vocali assiduus, erecta adeo in Deum mente, ut extra se rapi videretur; erga omnes benignus, erga seipsum maxime austerus; quadragesimas praescriptas cum ieiunio benedicto rigorose servavit; rerum mundanarum et saeculi vanitatum singularis contemptor, in gravioribus ultimae suae aegritudinis molestiis patientissimus. Paulo ante obitum extaticus et visione B. Virginis recreatus, ad se reversus plura de potenti eius patrocinio disserens in suavissimo crucis amplexu expiravit 2 Iunii Graecii anno 1714. De hoc pientissimo viro quae-

dam monialis ordinis s. Benedicti sanctissimae vitae, a. r. p. priori Admontensi eiusdem ordinis professo epistolariter significavit, se eadem die et hora, qua nimirum obiit, animam cuiusdam franciscani Graecii defuncti vidisse, impertransito purgatorio recto tramite caelos ascendisse. Quod is dein, tum personam tum mortem ignorans, explorandae veritatis causa Graecium transcripsit non sine pia omnium admiratione.

Religiosus fr. Iordanus Kapper laicus, in saeculo bene habens agricola; uxorem filiosque pro Dei amore reliquit et dispositione circa illos praevie facta, franciscanum institutum magna cum spiritus fervore amplexus est; omni tempore in sancta vivens simplicitate, religiositate, humilitate, patientia ac caeca obedientia, quam in ardua lignorum quaestuatione ad aliorum maximam exemplaritatem mire exercuit. Meritis et laboribus cumulatus, piissime dispositus, moritur Viennae 5 Novembris anno 1714.

Religiosus fr. Leopoldus Mayr, laicus singularissimae devotionis, integerrimae vitae ac religiosae exemplaritatis; in chori frequentia, matutino praesertim, etiam in provecta sua aetate continuus, nunquam otiosus, sed in laboritio suo, bibliopega erat, indefessus, aliis in exemplum, superioribus in solatium. Senio tandem confectus in morbum incidit sanctisque refectus sacramentis spiritum Deo reddidit Viennae 27 Ianuarii 1715.

Venerabil. p. Simon Bernier, sollicitae per plures annos Marthae officium exercuit, multa cum industria ac labore variis in obedientiae lineis procuratorem agendo, non tamen ea cum cura, quae curam excluderet animarum. Deinceps totus mutatus a Deo, officio Marthae penitus relicto, sibi optimam partem cum Magdalena elegit ac post varia religionis etiam definitoriatus munia, praeter animarum lucrandarum indefessam sollicitudinem, se totum pietatis officiis tradidit. Neoprofessorum tyronum constitutus magister, in spiritu et virtute ac arte sese Deo uniendi omnes praeclare edocuit; binos tractatus, quibus titulus: *Recessus a se et Accessus ad Deum*, publice vulgavit; alias corporis mortificationibus iugiter intentus inedia ac precibus se incessanter affligens, virtutibus pluribus enituit eaque erat humilitate, ut viliora conventus munia obire, scutellas lavare, ambitus purgare, ligna portare etc. in deliciis habuerit. Assiduis tandem laboribus ac voluntaria carnis maceratione confectus, sanctissimis sacramentis piissime susceptis, beate ad caelestia regna migravit Viennae 5 Octobris anno 1715.

Venerabil. p. Georgius Iuri, venerandae senectae pater, humilis, pauper, pius, vitae contemplativae, religiosae modestiae ac regularis disciplinae praeprimis deditus; per 19 annos consolatorium sanctimonialium caeliportanarum egit confessarium extraordinarium; quoad exemplarem suam religiositatem singularemve in omnibus operibus pietatem sui plurimum desiderium relinquens, mortem, quam sibi imminere iam aliquo tempore praeadverterat, pientissime subiit Viennae 25 Iunii anno 1716.

Venerabil. p. Eusebius Hörth, virtutibus plurimis ornatus sacerdos, omnem ornatum et affectum saeculi contemnens pro amore d. n. Iesu Christi, vir sanctae simplicitatis, eximiae devotionis, ac pietatis; emissa secunda professione senio debilitatus, meritorum ac dierum plenus, qua fidelis DEI famulus moritur Greinburgi 9 Februarii anno 1717.

Religiosus fr. Gulielmus Mahler laicus, rigidus disciplinae monasticae ac franciscanae paupertatis observator; corpus suum ieiuniis ac vigiliis constanter castigans, divinis contemplationibus ferventer incumbebat. Viribus, annis et laboribus con-

sumptus, ad beatam patriam et aeternam requiem aspirans migravit ad Dominum Viennae 19 Augustii anno 1717.

Religiosus fr. Adiutus Unger laicus, in saeculo opulentioribus nuptiis saepius oblatis heroice renuntians, ut Christum lucrifaceret, seraphicam regulam professus est. Hanc omni tempore, neque ad dexteram neque ad sinistram devians, sancte servavit. In obedientia etiam magis ardua promptissimus, otii supremus osor constanter labore manuali occupatus, in choro praecipue nocturno maxime sedulus, sacerdotum singularis venerator, in omni denique boni operis exemplaritate ac speciali in proximum caritate permagnus incitator. In suis extremis doloribus summe patiens non sine sanctitatis indiciis expirat Lembaci 23 Iunii anno 1718.

Venerabil. p. Tiburtius Posch, sacerdos in omni operatione gravis et serius, eximius seraphicae paupertatis cultor ac zelosus franciscanae regulae zelator atque ideo novitiis pro magistro, fratribus pro superiore, monialibus pro confessario deputatus, omnes arctam et sublimem perfectionis viam edocens verbo et exemplo. Aliquibus annis, antequam e vita migraret, per sanctas meditationes, vigilias, orationes aliasque tum diurnas tum nocturnas sine intermissione continuatas devotiones, praesertim erga immaculatam Dei matrem, se beatissime ad mortem disposuit, de gloria aeternae retributionis hilarescens. Laetus de sua spe et operatione securus, supremum iudicem suscepit Viennae calendas Martii anno 1719.

Venerabil. p. Tobias Kämeringer, saepius etsi reluctans superior localis; in religione castitatis virgineae strictissimus custos; orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, caritatem, mansuetudinem, humilitatem, paupertatem perpetuo coluit, perfectum religiosi franciscani exemplar. Constanter cum veteris testamenti Tobia monita salutis dedit verbo, plus tamen firmavit exemplo. Plagatus multis privatis corporis miseriis, nunquam est contristatus contra Dominum, sed immobilis in Dei timore, iustitia, et pietate permanens, gratias egit Altissimo omnibus diebus religiosissimae vitae suae. Quinquaginta quinque annis in religione enumeratis, meritis cumulatus, optime ad mortem dispositus, quia omni hora pulsanti Domino aperire paratus, repente obdormire coepit; non tamen improvise, quoniam eodem adhuc mane confessione generali (quasi de morte secutura securus) iterum deposita, sacrum viaticum sibi dari intimis affectibus postulavit; ingeminato subin sanctissimo nomine IESU ac extrema unctione suscepta, ad beatam patriam aspirans, placidissime expiravit Enzerstorffii die 7 Novembris anno 1719.

Venerabil. p. Paschalis Hileprand, morum gravitate, vitae integritate, perfecta religiositate pollens in adhortando mansuetudinem, in reprehendendo severitatem perpetuo adhibuit; nilominus nemini gravis, omnibus suavis. Mentem divinis continuo contemplationibus exercebat, in B. Virginis honorem totus, in procuranda salute animarum assiduus, in regularis observantiae zelo rigidus, in omni denique virtutum religiosarum genere probatus. Postquam Dei voluntate per gravem corporis debilitatem ad incumbendum proximi saluti inutilis effectus esset, iam sibi soli ferventius vivere coepit, sese per iuges meditationes, orationes aliaque pietatis opera ita ad mortem beatius obeundam praeparavit, ut cum Paulo quotidie mori putaretur. Per biennium et ultra hisce piissimis exercitiis constanter immorans, praelectis sibi, uti rogavit, precibus pro animae egressu a seipso compositis, tandem meritis plenus migravit ad Dominum Viennae 27 Ianuarii anno 1720.

Religiosus fr. Bernardus Bonagger, laicus octuagenario maior, Deo et hominibus

dilectus fuit. Siquidem ob religiosarum virtutum specimina in eo singulariter elucentia, vitae exemplaritatem, sanctam hilaritatem, perpetuam vultus serenitatem piamque humilitatem singularem, ut longiori tempore conventus quaestor, apud omnes status cuiuscumque saeculares sibi amorem reconciliavit et aestimationem. Pietatis operibus, vigiliis ac ieiuniis constanter intentus, caritatis fraternae officia ardentius colebat; igitur in omni maxime etiam ardua obedientia patientiae dono desursum specialiter donatus. Senio plurimum enervatus, intervenientibus sine intermissione pietatum exercitiis, devotissimis ad Deum, Dei matrem sanctosve suspiriis, spirituali domui suae provide disponebat, quia sciebat se moriturum. Multiplicatis itaque bonorum operum fructibus, meritis plenus (post gravius per novemdecim horas cum maligno hoste in extremis luctamen) ad caelestis beatitudinis coronam avolavit Viennae 4 Februarii anno 1720.

Venerabil. p. Columbanus Babé, per 65 annos pientissimus sacerdos, omni tempore religiosissimae vitae suae in lucrandarum animarum zelo solertissimus. Hinc saeviente Graecii anno 1680 pestifera lue, maxima cum caritate infectis adstitit; alias per 40 annos, quibus Graecii exstitit, diu noctuque apud infirmos ac moribundos adeo indefessus, quod in tota urbe Graecensi vix una domus reperiatur, ex qua non unum vel plures morientes ad bene moriendum disposuisset; sacrum poenitentiae tribunal ad eximium poenitentium solamen copiose ad eum confugientium constanter frequentabat; chorum etiam qua senex cum omnium exemplaritate accedebat sine intermissione, officiatoris in choro et ecclesia, munus item concionatoris, infirmorum visitatoris, etc. continuo exercebat. Saepius dum cubabat humo, in rerum caelestium contemplatione ita defixus, quod non semel orationibus ac meditationibus per quatuor et plures horas immoratus fuerit, non absque spectatae sanctimoniae indiciis. Corpus aspero domabat cilicio, flagellis etiam ferreis caedebat ac assiduis extenuabat ieiuniis. Semel dum moribundus, cui assistebat, sacrum viaticum ex stomachi indispositione eiiceret, egregius sui ipsius victor species sacramentales ad praesentium stuporem lambebat, devote sumebat. Denique virtutibus omnibus ornatus, qua perfectae religiositatis exemplar omnibus etiam perfectioris vitae religiosis spectaculum factus est. Postquam in vitae austeritate et indefessa erga proximum caritate ac eximia in caelites pietate Deo 68 annis in religione serviisset, prope nonagenarius in morbum incidit, devotissimeque munitus sacramentis hilari facie crucifixi imaginem complexus et osculatus vivere desiit, suorum meritorum coronam in caelis recepturus. Antequam obiret, tanquam perfectus altissimae paupertatis amator ad seraphici Patris exemplum se tunica spoliari rogavit, et facta minimarum etiam recularum resignatione, ipsemet brachium dexterum denudare coepit, ut nudus cum nudo luctaret, nec quidquam, unde a maligno spiritu teneretur, in hoc mundo haberet. Mortuus est Graecii 16 Septembris anno 1720.

Religiosus fr. Daniel Habich, laicus per 14 annos apud rr. pp. Minoritas Conventuales professus, ut strictius sui s. Patris institutum sequeretur, maxima cum devotione strictioris observantiae habitum Graecii coram summa ara suscepit. Plurimas annuae probationis tempore daemonis sustinuit tentationes, qui eum, dum ferventius orationi vacaret, non semel in corvi specie apparens ab oratione deterrere conatus est. Corpus saepius flagellis usque ad sanguinis effusionem cruentavit. In sancta simplicitate, humilitate, paupertate coram Deo et hominibus ambulans, mira cum caritate ac morum religiositate eleemosynam pro fratribus ostiatim emendicavit. Dum

actu collectorem ageret infirmatur, moritur in aedibus parentis spiritualis pientissime dispositus. Repositum in ligneo sarcophago corpus usque ad conventum sub campanarum pulsu et comitiva multae plebis ac rr. dd. parochorum portabatur. Merzuschlagii 5 Decembris anno 1721 sepultus est.

Religiosus fr. Wilibaldus Höschl, clericus subdiaconus et theologiae studens, piam, humilem, pudicam sobriamque ducens sine labe vitam. Unde dum viribus omnibus exhaustus mortis horam sibi appropinquare adverteret, cum vultus hilaritate confessus est, se libenter et confidenter mori, quoniam corpus et animam ita in omni pietate servavit, quod ullius peccati mortiferi labe inquinatum se nunquam senserit. Obiit Graecii 4 Ianuarii anno 1723.

Venerabil. p. Wolfgangus Sailer, postquam philosophos et theologos summa cum laude interpretatus esset, Provinciae custos et bis Viennae guardianus; ob religiosissimum maximeque exemplarem conversandi modum apud aulae proceres et nobiliores utriusque sexus personas, quae non raro eius consilio utebantur, in multo honore fuit. Omnibus religiosi hominis virtutibus et ornamentis, claustralis disciplinae zelo, franciscanae paupertatis observantia, ardentissima erga proximum caritate summe conspicuus; quia in rebus agendis assiduus, dexter et activus erat, per omnes actiones suas ad supremum religiosae prrfectionis apicem properare conatus. Nitorem ecclesiae et cultus divini studium singulariter promovit; in frequentando choro indefessus, in vita contemplativa et meditationibus rerum caelestium continuus, in supremi morbi cruciatibus patienter ferendis exemplar effectus. Virtutum, bonorum operum ac meritorum fructibus plenus, sacramentis ecclesiasticis summa cum veneratione susceptis, spiritum Deo reddidit Viennae 9 Februarii anno 1723.

Venerabil. p. Philippus Geyer, fervens verbi Dei praedicator, strictioris observantiae et regulae seraphicae eximius zelator; ad munus guardiani, magistri novitiorum, definitoris etc. assumptus, omnibus morum integritate, vitae religiositate, modestia ac doctrina praeluxit. Cilicio, certis ieiuniis aliisque corporis austeritatibus se affligens, rerum caelestium contemplationi iugiter vacabat. A Deo, ante cuius conspectum omnia eius opera fiebant, per multas, magnas et varias corporis miserias tentatus et velut alter Iob a planta pedis usque ad verticem capitis ulcere quasi uno percussus, singulas has graves afflictationes, quas per triginta et plures menses patientissime sustulit, forti invictoque animo passus est. Atque ita tanquam aurum in igne probatus est et, prout petiit, in hoc mundo mundatus per beatissimam mortem ad caelestem gloriam evocatur Viennae 27 Aprilis 1723.

Venerabil. p. Quirinus Himmer, mirus ac eximius beatissimae Virginis, immaculatae Dei Genitricis cultor eiusdemque cultus mirificus promotor, nunquam satiatus, si plurima etiam magis ardua opera in eius honorem exerceret ipse, sed ut et alii amore erga eandem magis magisque inardescerent, extremam semper impendit curam ac conatum. Speciales devotiones, vigilias, crebra ieiunia continuo observabat; iam se in servum et mancipium, iam in filium, clientem aut amatorem eidem ex imis visceribus et plenissimis cum affectibus (prout post obitum eius plures schedulae sanguineo conscriptae charactere luculentius testabantur) consecrando. Singularis etiam in Christum neonatum et pro nobis passum pietas enituit; nam de sacratissimis hisce mysteriis perpetua eius etiam in intensioribus podagrae doloribus erat contemplatio ac iugis meditatio; quare ss. nativitatis et resurrectionis dominicae solemnia per spiritualia octo dierum exercitia constanter praevenire solebat. Erga

pauperes et calamitatibus oppressos misericors multumque sollicitus; in confessionali, diu noctuque visitandis infirmis et assistendo moribundis indefessus, proximorum saluti assidua cura incumbendo; denique iam sexagennario maior, ut gratiosae imaginis B. Virginis thesaurarius et fidelis servitor, moritur Viennae 17 Iulii anno 1723.

Venerabil. p. Stanislaus Schweizer, vir omni religiosarum virtutum genere praeditus; humilis, modicus, pauper, sui perfectus contemptor nullatenus sibi sed aliorum commodis ac saluti vivebat; praeter diligentem chori sacrique poenitentiae tribunalis frequentiam, moribundis et infirmis diu noctuque indefesse assistebat ad omnium singularissimum solatium. Anno 1679 caritatis in proximum fervore succensus, Viennae in lazaretho pestifero morbo laborantibus propriis ipse manibus inserviit, mira Dei gratia ab ea lue illaese servatus; abstinentiis, vigiliis ac orationibus senioque confectus, postquam se per plures menses ad beatam mortem devotissime disposuerat, religiosis virtutibus et meritis illustris placidissime in Domino obdormivit Viennae 24 Februarii anno 1724.

Venerabil. p. Bruno Prenner, vir religiosissimae exemplaritatis, conversationis et aequalis in fratres caritatis, ab omni caducarum rerum cura et cupiditate alienus, insigni morum pietate omnibus praelucens. Dum per plurimos annos novitiorum magister, primariorum conventuum guardianus, provinciae minister constitueretur, forma factus est gregis ex animo, suoque praeclaro exemplo apud omnes mirifice profecit, profuit. Erat omnibus unus et idem, germanae sinceritatis, discretionis ac pacis fraternae cultor amabilis; cum speciali animarum fructu et solamine per 15 annos sanctimonialium canonissarum ad S. Iacobum Viennae confessarius. Mortem frequentissime meditatus, eius memoriam saepius hilari cum vultu et laetis sermonibus recoluit; et quia quotidie se credebat moriturum, provide spirituali domui suae disponens, repente mortis falce ad omnium lamentum succisus est, vultus hilaritatem neque post obitum deserendo, Viennae 11 Ianuarii anno 1725.

Venerabil. p. Probus Hünthaller, probitate vitae, piis ac religiosis virtutibus singulariter coruscans, caelestem quasi vitam in terris duxit; siquidem in contemnendis corporis commoditatibus, in tolerandis adversitatibus, in chori frequentia, in sacro poenitentiae tribunali, in caritate erga proximi salutem assiduus; Beatissimae Virginis devotioni per specialiora bona opera singularissime intentus eiusque in omni loco maiorem zelans honorem; strictioris observantiae, et sanctae paupertatis perpetuus amator. Obiit meritis plenus in conventu mariano Lanzendorffii die 25 Maii 1725.

Venerabil. p. Guttbertus Werff, sacerdos aetate iuvenis atque ideo consummatus in brevi, ast moribus et virtutibus explevit tempora multa. Mira in eo vitae innocentia ac morum integritas eluxit. Modestiam, humilitatem, patientiam, abstinentiam paupertatem ceterasque religiosas virtutes constanter coluit, praeprimis passionis dominicae sacratissimis mysteriis devotus; hinc iam morti proximus obnixe rogavit, ut in ultimis sui obitus angustiis a suo patre spirituali saepius repeteretur impetus ille gravissimus, quo crux Redemptoris in Calvariae monte erecta et una cum corpore Christi dolorosissime concusso in effossam petram demissa fuit. Conformatis denique in crucis similitudinem manibus, crucifixum amplexus animam Deo reddidit Greinburgi 8 Iulii anno 1727.

Venerabil. p. Aloysius Hörman, lector emeritus, monasticae disciplinae strictius

servandae singulariter incumbens, multis se perfectionis normam praebuit. Paupertatem, humilitatem, temperantiam, taciturnitatem, patientiam summopere coluit. Regendis totius Provinciae fratribus ut minister bis admotus, prudentiam, aequitatem ac mansuetudinem pari sedulitate cum severitate coniunxit. Praeter quotidianam Provinciae sollicitudinem a piis lectionibus, meditationibus, orationibus invictum spiritum non relaxabat. Quam perfectionis vitae normam usque ad finem vitae sanctissime servavit. Virtutibus ac meritis plurimis cumulatus, velut lucerna lucens et ardens extinguitur Feldspergae die 6 Iunii anno 1728.

Venerabil. p. Donulus Pauli, eximius theologus ac in exercendis religiosis virtutibus continuus. Postquam lecturae, guardianatus, definitoriatus etc. officium cum summa laude absolvisset, virtutis ac religiosae solitudinis amore, etsi ob praeclara in religionem merita viam iam ad altiora parasset, seipso superior, abdicatis omnibus officiis, vitam absconditam et solitariam elegit ac soli Deo consolationibusve animae intentus, cellulae se inclusit infirmariae, ubi per viginti et plures annos mentem divinis contemplationibus suaviter exercens, in orationibus, corporis mortificationibus aliisque pietatis operibus sanctiorisve vitae studiis facile alios excelluit. Sanctam paupertatem velut singularem religionis margaritam perpetuo coluit. In dandis consiliis praecipue animarum salutem tangentibus dexterrimus fuit; B. Virginis honori ampliando totus incubuit; inde ut corda hominum ad eius amorem inflammaret amplius, historiam divinam et vitam B. V. Mariae sub titulo: *Civitas Dei* Mariae de Agreda, etc. magno cum labore meliori latinismo et notis donavit, Augustae Vindelicorum typis vulgatam anno 1719. Ut vitam semper incontaminatam caeloque dignam servaret, omni die per sacram peccatorum expiationem maculas animae etiam minimas tersit. In quo suscepto religiosioris vitae instituto usque ad finem perseveravit et cum quatuor supra septuaginta annos vixisset, ad creatoris et Domini sui amplexum emigravit Viennae 11 Iunii 1729.

Venerabil. p. Iosephus Frick, officio praedicatoris, cui cum speciali animarum fructu incubuit, ex obedientia relicto, per plurimos annos zelosissimum omnique virtute decorum egit novitiorum magistrum. Pro edocendis religiosis tyronibus in schola crucis, via virtutis et strictissima sacrae regulae observantia supremum impendit conatum, omnium norma et exemplar factus ipse. Effloruit in eo continuum perfectionis vitae studium, praecipue devotionis, humilitatis, patientiae, abstinentiae, mortificationis et orationis mentalis. In rerum divinarum contemplatione omnino praecellens, anachoretam potius admirandum quam imitandum se exhibuit ac in omnibus operibus singularis sanctitatis praebuit documenta. Subesse potius quam praeesse eligens, ad superioratus munia elevari nunquam potuit. Vilia ministeria voluntarie amplectens, in illis se iugiter exercebat. Consummatus in brevi, erat enim annorum 48, meritis et virtutibus plenus ad caelestem beatitudinem laetus aspirans expiravit Graecii 8 Februarii anno 1730.

Venerabil. p. Philippus Kreüzer, litteris et virtutibus clarus; post philosophiae et theologiae doctionem saepius ad guardianatus etiam definitoriatus aliaque officia religiosa assumptus, in omni loco et munere vitae morumque integritatis, religiositatis, pietatis ac virtutis post se reliquit vestigia. A meditationibus, orationibus, secretis corporis castigationibus nunquam abstinuit. Saepius nocturno tempore e strato surgens divinam solitus fuit exorare clementiam. In caritate erga fratres omnino fervidus, in correctione non absque rigore discretus, in lavandis scutellis et comple-

xandis huiusmodi abiectioribus conventus muniis frequens, in comparandis sibi coram Deo meritis maxime sollicitus. Sponte resignato iterati guardianatus Viennensis officio, quasi mortis praescius vitam solitariam ducens sibi soli vixit, nonnisi pietatis operibus intentus. Viennam ex S. Hippolyti conventu pergens, infirmus factus suspiria a se pro morituriente conscripta et provide secum sumpta sibi constanter praelegi postulavit; maxima cum aviditate petitis et devotissime susceptis ecclesiae sacramentis, elevatis in caelum oculis, inter fratrum adstantium manus et solatia beatam efflavit animam, plurimum obstupescentium, quod imperterrito prorsus, immo laeto mortem obierit animo, laetus utique iudicem suum sustinens ac de gloria retributionis hilarescens, Viennae die 12 Maii anno 1730.

Religiosus fr. Conradus Mosché, laicus, qui flagrantissima caritate erga proximum et pauperem praecipue erga confratres enituit, omnibus omnia suis obsequiis fieri cupiens; devotioni erga Domini passionem et B. Virginem singulariter deditus; hebdomadatim certa ieiunia aliasve corporis mortificationes in eorumdem honorem devote suscipiens, ab oratione tum mentali tum vocali spiritum nunquam relaxabat; plurima temporis spatia etiam nocturna in fundendis ad Deum precibus insumpsit. Prope octogenarius religiosissimae meritisque plenae vitae cursum consummavit Graecii die 31 Maii 1731.

§ 12.

De viris scientia, doctrina aut arte conspicuis; item scriptoribus litteratis, qui volumina typis vulgarunt.

Studia litteraria inter religiosorum claustra constanter florentia non solum sacris Ordinibus singularem decorem addere ac magis eos commendare, verum et ad fidei ortodoxae totiusque ecclesiae catholicae incrementum contribuere, immo contra hetherodoxorum figmenta fulcra fortiora agere, nemo est, si scientiarum scrutator et veritatis amator sit, qui ignoret. Summorum siquidem pontificum auctoritate vulgatum est, per litterarum studia militantis ecclesiae rempublicam geri, divini nominis ac fidei catholicae multum protendi omnemque prosperitatis humanae conditionem augeri. Ob praeclarissimos hosce fines omni tempore, ut studia litteraria quoque in nostra Provincia vigerent, peculiaris impensus est conatus. Quem comprobando, etsi doctores, magistros, professores ex utraque facultate tum ss. theologiae, tum artium liberalium et philosophiae, quos olim plures habuit Austriaca Provincia, referre honorificum foret; quia tamen huiusmodi scientiarum tituli, praesertim post introductam reformationem, omnino aboliti sunt, nomenque doctoris, magistri aut professoris pro humili fratrum minorum statu nullatenus iam audiat; hosce honoris titulos merito reticentes, illorum dumtaxat nomina, qui cum pietate studia iunxere, doctrina et scientia claruere, nunc perstricto calamo recensebimus.

Reverendus pater Hilarius de Hirchschlag, Reginae caeli devotissimus, praedicator valens, alios illo tempore facillime praecellens, cum summa omnium laude Viennae sacram scripturam interpretatus est. Unus ex primis Provinciae patribus a S. Capistrano susceptis, quiescit iuxta chori antiqui pulpitum Puppingae, mortuus anno 1483.

R. p. Bernardinus de Ingolstatt, verbi Dei celeberrimus praeco, in omni scientiarum genere versatus, dum actu Viennae ad s. Thebaldum conciones quadragesimales perficeret, ad omnium lamentum obiit anno 1485; una ex Provinciae lapidibus angularibus et eximius regularis observantiae zelotes.

R. p. Clemens de Dietmaria, nobili genere oriundus, profundissimae scientiae ac litteraturae, in explicandis consiliis dexterrimus, Viennae extra muros frequenter guardianus, sepultus est anno 1487 Brunae in Moravia.

R. p. Alexander de Posonio, art. liberal. et philosophiae magister, praedicator desiderabilis, magnae scientiae ac virtutis, in heterodoxis ad gremium ecclesiae revocandis indefessus zelotes; quare, ut contra Georgium Podiebrat, haereticorum fautorem et regni Bohemiae usurpatorem sicut et Hussitas bullam pontificiam per universam archidioecesim Salisburgensem praedicaret, ab episcopo Ferrariensi, legato apostolico, cum uberrimo fructu assumptus fuit anno 1468; obiit Labaci in Carniolia anno 1496.

B. p. Paulus de Weiden, famosissimus verbi Dei praedicator, apud quem prorsus nulla fuit personarum acceptio; in suis sermonibus loquens magnos et parvulos veritatis iaculis aeque feriebat; omnibus in summo honore fuit, moritur Schwazii in Tyroli anno 1511.

R. p. Christophorus de Monachio, Viennae cum omnium applausu docuit in universitate, praeco verbi Dei facundissimus, omnibus tum clero quam reliquo populo gratus. Qua Provinciae vicarius moritur Perusii ex capitulo generali in Austriam redux anno 1519.

R. p. Theobaldus de Geisling, ob energicum e cathedra dicendi modum famosissimus praedicator, communi plebis voce Austriae apostolus nuncupatus; duo millia sermonum solum Viennae habuit cum copioso animarum fructu. Alias supremus paupertatis amator, pientissimus cum omni homine conversator, quem morientem tota planxit Vienna anno 1520.

R. p. Benedictus Dalmatinus, tanta doctrina et scientia claruit, quod omnium doctorum calculo inter doctissimos totius ordinis reputatus fuerit. Erat olim Provinciae Bohemiae commissarius. Quiescit Iudenburgi, anno 1522.

R. p. Michael de Prunecken, in doctrina Scoti, doctoris subtilis, adeo excellens, quod eum universitas Viennensis alterum in subtilitate Scotum nominaverit. Praedicator etiam facundus et in aliis scientiis bene versatus; custos custodum eligitur et moritur non absque iustis lacrymis Viennae anno 1525.

R. p. Benedictus a Praegantia, vir zelosus ac summe doctus, saepius custos custodum et commissarius generalis ad- comitia Ordinis missus; ob singularem in rebus agendis dexteritatem in plurimis Provinciae negotiis tum ad summum pontificem, tum ad caesarem et reges utilissime occupatus. Obiit Graecii anno 1531.

R. p. Franciscus de Schwaz, custos Athesi, singularis eruditionis et doctrinae, praecipue in hebraica litteratura versatus. Obiit Schwazii anno 1534.

R. p. Anselmus de Vienna, saepius in Provinciae ministrum electus et primus ex Austria in definitorem generalem assumptus. Doctrina sua et virtute celebris, maxima in rebus agendis pollebat dexteritate et prudentia; praeter alios tractatus plures edidit omnem devotionis spiritum spirantes libros. Terrena fastidiens et caelestia inquirens suae solum saluti intentus beato fine quievit ad S. Hippolytum anno 1535.

R. p. Georgius de Amberga, aliquando Provinciae vicarius, praedicator egregius et famosus, in sacro poenitentiae tribunali indefessus; vir magni consilii et discretionis; plurium librorum propria manu exaratorum laudatissimus auctor. Schwazi moritur anno 1534.

Fr. Paulus de Pfaffenhoffen, percelebris ac famosus per omnem regionem Styriae medicus, ut saluti animae suae mederetur, spreta clericali dignitate, in humili laicorum statu Deo servire praeelegit, mortuus Graecii anno 1539.

R. p. Christophorus de Thermis, bis minister provincialis, magister artium et in universitate Viennensi professor, pater optimus et omni gratus homini. Ad omnium moerorem Viennae ad S. Rupertum peste obiit anno 1540

R. p. Dominicus Hessius, quondam Austriae minister, poeta facillimus et praedicator emeritus, pietate et doctrina insignis; tredecim tomulos maxime de spiritu virtutis et veritatis tractantes composuit. Obiit Papiae ut minister Austriae ex capitulo generali in Hispaniis habito ad Provinciam suam remigrare volens anno 1594.

R. p. Tobias Hendschelius, a doctrina et consilio celeberrimus, ss. theologiae in universitate Viennensi professor, *de quatuor novissimis* praeclara quaeque scripsit, typisque vulgavit. Item *Biblia* correcta cum litteris ingeniosius edidit. Spiritum meritis plenum caelo reddidit Viennae 28 Septembris anno 1620.

Rr. pp. Adalbertus Dietman et Mathias Eberhard, ambo tum in Scoti schola tum in Pauli cathedra adeo celebres, quod secundum litteratorum testimonium illa aetate quoad doctrinae excellentiam sibi solis similes fuerint. Ex hac vita migrarunt Viennae, prior die 31 Novembris anno 1631, posterior die 27 Martii anno 1632 cum Provinciae gemitu.

R. p. Seraphinus Müller, ferventissimus verbi Dei praeco, poeta extemporaneus, gratia refutandi haereses singularis plurimorumque haereticorum conversor; *malleus* obinde dictus eorum, mortuus est Viennae 13 Decembris anno 1639.

R. p. Ludovicus Pollinger, doctrina et virtute, opere ac sermone ex cathedra potens, controversista eximius, plurimorum luthericolarum pervicaciam vicit eosque ad fidem convertit, qua praestans haereticorum profligator e vivis tollitur Viennae 1640.

Fr. Antonius Graff, laicus, chirurgus peritissimus, plurimis annis Viennae infirmarius; hic ob suae artis maximam peritiam ab augustissima imperatrice Ferdinandi II. coniuge (quoniam chirurgi saeculares et peritiores ob haeresim, qua scatebant, ab urbe immo caesareis provinciis proscripti fuere) ut sibi venam secaret, gratiosissime ad illam petitus fuit. Obiit Viennae 3 Iulii anno 1642.

R. p. Bonifacius Frolich, saepius Provinciarum visitator generalis et qua dignior pater nostrae Provinciae commissarius provincialis, rarissimus sui aevi theologus et concionatorum tunc facile princeps; in conversione haereticorum per Austriam, Styriam et Carinthiam mandante Ferdinando II. imperatore operosissimus. Graviter saeviente Graecii lutherana haeresi, aliis expulsis per romanae fidei inimicos concionatoribus, hic solus verbum Dei ex cathedra dicendi facultatem obtinuit. E vita migravit Graecii 19 Februarii anno 1645.

R. p. Bernardinus Scheffner, orator facillimus, in omni scientia, praecipue theologica, versatissimus; saepe in Provincia, saepius vero extra illam in Hungaria guardianus et definitor. Cum lamento omnium fratrum extremum clausit diem ultimum Augusti anno 1645.

R. p. Mathias Babtistude, absolutissimus theologus ac alter ex cathedra Paulus ab omnibus aestimatus; in rebus humanis aeque ac divinis nec non lingua arabica peritissimus, vitam finibilem, sane longiori dignissimus, finiit Viennae 5 Octobris anno 1648.

R. p. Michael Denck, praedicator facundus, ob eloquentiae flumen germanicus Cicero dictus; olim Provinciae custos et regii monasterii s. Clarae Viennae commissarius generalis; sequentes edidit libros: *Gladium s. Michaëlis*, anno 1629; *Miseriam vitae humanae* anno 1631; *Vermem conscientiae* anno 1642; *Magnetem divini amoris* anno 1643. Moritur Viennae 18 Iulii anno 1654.

R. p. Seraphinus Glebhoffman, vir profundissime doctus, cui similem Provincia non habuit; a singulis etiam nobilioribus ob doctrinae excellentiam, animi corporisque dotes ac virtutes dilaudatus. Obiit Viennae 6 Octobris anno 1657.

R. p. Ægidius Schiesel, commissarius olim et Provinciae minister, celeberrimus sacrae theologiae lector. Ubique tanto verborum pondere etiam ex cathedra loquebatur, quod audientes et intelligentes ipsum merito Catonem dixerint. Vivere desiit Viennae 9 Iulii anno 1661.

R. p. Clemens Schram, Provinciae definitor, in utroque iure peritissimus, ideo etiam nobilioribus personis non raro a consiliis. Obiit Viennae 10 Octobris anno 1678.

R. p. Narcissus Hietl, orator facundus, theologus eximius, lector iubilatus, bis provincialis, commissarius Terrae sanctae et definitor generalis. Huius viri facundia, scientia, singularis in dandis consiliis gratia omnium etiam magnatum animos mire rapiebat. Pientissime vitam mortalem clausit Viennae 10 Februarii anno 1690.

R. p. Maxentius Eisner, Provinciae custos, commissarius generalis Terrae sanctae; poeta laureatus, orator percelebris, lector iubilatus, astrologia aliisque scientiis clarissimus. Typis vulgavit librum, cui titulus: *Balsamum Marianum* anno 1680. Moritur in epiphania Domini anno 1692.

R. p. Antonius Stöckler, vir integerrimae vitae magnique consilii, bis Austriae minister, per viginti annos regii monasterii Viennae commissarius generalis; egregium opus vulgavit intitulatum: *Speculum Virtutum.* Ad moerorem omnium obiit Viennae 8 Novembris anno 1681.

R. p. Bernardus Kraus, profundissimus theologus et altissimae spei; Romam ad capitulum generale theologicas theses pro decore Provinciae defensurus abiit; ast non Romam ad defendendam theologiam, sed ad Ierusalem civitatem supernam ad videndum theologiae obiectum pervenit, dum Venetiis febri correptus obiit 5 Maii anno 1700.

R. p. Hilarius Andreae, sapientia et consilio rarissimus, verus Provinciae pater et columna, vitae morumque integritate, verbo et opere lucerna lucens et ardens, bis provincialis, Provinciarum exterarum saepius visitator generalis. Ob doctrinam, zelum, consilium, agendive dexteritatem a primis aulae proceribus, ipsaque caesaris aula tenerrime adamatus. Hinc secundis suis primitiis, quas ut iubilarius sacerdos in festo S. Petri de Alcantara anno 1699 Deo offerebat, augustissimae maiestates Leopoldus I. et Eleonora, augustus Romanorum rex Iosephus cum regina, serenissimus archidux Carolus cum quatuor archiducissis ad singularissimum omnium solamen et Provinciae gloriam gratiosissime interesse, dein in in pauperculo fratrum architriclinio refectionem sumere non dedignabantur. Octuagesimum attingens annum, ut senectutem deserendo in terris, eam ad instar aquilae renovaret in caelis, suavissime in Domino obdormivit Viennae 17 Septembris anno 1704.

R. p. Franciscus Stibich, liber baro natus, praedicator celeberrimus, ad populi copiosissime semper confluentis ingens solatium animarumque plurimum fructum. Opere et sermone gravis et auctoritativus, omnibus tamen suavis, discretus et summe caritativus. Obiit Viennae 6 Aprilis anno 1705.

R. p. Wolfgangus Plöckner, scientiarum profunditate eximius, lector iubilatus, doctrina, sapientia rerumque agendarum dexteritate omnino singularis, obinde caesareae aulae eiusque primis magnatibus acceptissimus. Bis ob praeclaras tum religiositatis tum scientiae virtutes in Provinciae ministrum, et ter in visitatorem generalem aliarum Provinciarum assumptus; ter capitulis generalibus interfuit, in quibus sub dedicatis sacris caesareis regiisque maiestatibus emblematibus *Tractatum in 4 Sententiarum Scoti libros* publico cum applauso ventilavit. Demum voluntate caesaris Leopoldi I. monasterii regii commissarius generalis eligitur ibique beate moritur 5 Martii anno 1710.

R. p. Benignus Schmuderer, iteratus Provinciae pater, post multorum annorum plausibiles doctiones lector emeritus tantumque felix, quod plurimis non solum Provinciam fecundaverit lectoribus, sed bini etiam ex ipsis in supremo ministeriatus officio eum secuti fuerint. Ob egregias animi dotes raramque indolem, conversationis affabilitatem, corrigendi benignitatem erat apud omnes in amore. Morti proximus publicam eamque energicam commissorum defectuum deprecationem fecit ad omnium exemplaritatem et plurimorum effusionem lacrymarum. Affectum in eum et planctum ut testaretur celeberrima canonia Claustroneoburgensis, post eius obitum sub lugubri solemnissima tamen musica *requiem* decantari fecit in animae refrigerium; e vita migravit Claustroneoburgi die 9 Aprilis anno 1712.

R. p. Simon Bernier, vir plurium linguarum et in rite agendis rebus dexter et peritus, tyronibus spiritualibus in professorio praefectus, duos tomulos edidit anno 1711, uni est titulus: *Sacer accessus ad Deum et recessus ad seipsum per meditationes de passione Domini;* alteri: *Modus cognoscendi Deum et seipsum.* Pie in Domino obiit Viennae 3 Octobris anno 1715.

R. p. Franciscus Dippat, per plures annos ecclesiae cathedralis Neostadii concionator nec non circa triginta annos rev.^{mi} d. Francisci Antonii e com. de Buchaim, episcopi Neostadiensis, poenitentiarius; semper operosus, nunquam otiosus, plura volumina conscripsit, actu in conventu Kazlstorffensi, ubi 31 Decembris anno 1721 mortuus est, servata.

R. p. Franciscus Caccia, praestantissimus suo aevo concionator, alias summae activitatis, industriae ac laboris a iuventute sua usque ad senectam uberem. Ob copiose collectos meritorum manipulos omnes in Provincia gradus dignitatum conscendit. Bis definitor generalis Ordinis denuntiatus; Bavariae, Bohemiae, Croatiae, utriusque Hungariae et Tyrolis visitator constitutus; a tribus augustissimis imperatoribus Leopoldo I. Iosepho I. et Carolo VI. titulo theologi et concionatoris aulici insignitus. Sacris Palaestinae locis qua commissarius generalis 37 annis fructuosissime praefuit. Quia in tractandis negotiis magnanimus et dexter ac gravis in consiliis, per comparatos exinde plurimos etiam nobiliores benefactores conventum Lanzendorffensem quasi funditus erexit. Qua concionator emeritus sequentes tomos publico prelo dedit anno 1704: *Diogenem christianum, Curam curiosam, Davidem poenitentem, Speculum mysteriorum,* in quatuor partes divisas *canciones quadragesimales, Adventuale* seu conciones de octo beatitudinibus anno 1704. *Iconismum San-*

ctorum, seu sermones de omnibus sanctis anno 1704. *Metempsychosim*, seu discursus praedicabiles de S. P. N. Francisco tomos tres anno 1707. *Anatomiam* eiusdem anno 1706. *Iconismum de sanctis ordinum fundatoribus* anno 1710. *Metempsycosim Viennensem* seu discursus in festivitates omnes B. V. M. anno 1716.

R. p. Sigisbertus Wasner, ss. theologiae et ss. canonum lector emeritus; siquidem tum philosophiam tum theologiam, quam sacros canones cum copioso Provinciae incremento per viginti quasi annos discipulis seraphicis praelegit. Propter singularissimas animi dotes, eximias doctrinae, prudentiae et sapientiae qualitates raramque iocosa seriis miscendi gratiam ac miram in omnibus agendi dexteritatem nobilibus aeque ac aliis etiam serenissimis et reverendissimis personis gratus saepiusve a consiliis. Vix per bimestre minister provincialis mortis aculeum sentiens, pientissime e vita migravit cum ingenti Provinciae luctu Viennae 1 Septembris anno 1726.

R. p. Benno Hupp, famosus olim per plurimos annos in primariis cathedris verbi divini praeco, Immaculatae Deiparae praeprimis devotus; edidit *Labyrinthum Pro et Anagrammaticum* seu *conciones in totius anni dominicas* anno 1725. Mortuus Egenburgi 3 Martii anno 1728.

R. p. Emericus Pfendner, bis ministeriatus officio aliisque Provinciae muniis laudatissime functus, orator facundus, praedicator emeritus et perceelebris; conversationis suavitate nemini secundus; commissarius regii monasterii generalis, aulae caesarae eiusque proceribus nunquam non acceptus. Typis vulgavit *Duliam Viennensem*, seu conciones de sanctis anno 1714. *Hyperduliam Austriaco-Viennensem*, seu sermones de B. V. M. eiusque festis anno 1717. *Latriam Austriaco-Viennensem* seu conciones per quadragesimam anno 1719. Meritis et virtutibus plenus obiit Viennae ad Reginam die 18 Augusti anno 1728.

R. p. Conradus Hietling, poeta facilis, in orthographia peritissimus; Ierosolymis in conventu Bethlehemitano etiam in Provincia guardianus; ad publicam lucem dedit *Peregrinum in Ierusalem* seu affectuosam descriptionem totius Terrae sanctae anno 1715. Item *Annum Marianum* seu *Gratias et miracula B. V. M. Lancovicencis* in duobus tomis anno 1720. Mortem per pias meditationes saepius praeconceptam pie oppetiit Lancovitii 30 Decembris anno 1728.

R. p. Ivo Hueber, eximius verbi Dei praedicator, aequali cum verborum pondere omnibus e pulpito loquens non absque magno audientium fructu, fama, applausu. Typis dedit anno 1717 *Theatrum annuum Historico-Morale Heroinarum*. Moritur Hainburgi 16 Martii anno 1730.

R. p. Hugo Babler, ss. theologiae et ss. canonum lector emeritus, bis minister Austriae, in Bavariam Iosepho I. in Hungariam Carolo VI. impp. mandantibus commissarius, Provinciarum Bohemiae et utriusque Hungariae visitator, theologus caesareus et archiepiscopalis, commissarius actualis Terrae sanctae; sequentia opera typis vulgavit, quibus titulus: *Manuductio tyronum ad ius utrumque cum repertorio utriusque* anno 1708. *Tractatus de constitutionibus ex lib. 1. Decretalium* tit. 2. anno 1709. *Apotelesmata seu responsa de Postulat. et Elect. Praelatorum* anno 1712. *Vicarius Canonicus* anno 1719. *Quadriga Iudicum* sive de *Iudice in genere; de Iudice ordinario; de Iudice delegato; de Iudice prorogato* et *appellationis*, etc. anno 1722. *Tractatus de pactis et contractibus* in genere et in specie anno 1725.

R. p. Crescentius Krisper, sacrae theologiae lector emeritus, minister provincialis, totius Ordinis definitor generalis, demum ob eximia sua merita regendive singu-

parem dexteritatem totius cismontanae tam observantium quam reformatorum familiae commissarius generalis electus, et Romae die 6 Maii anno 1730 qua reverendissimus Ordinis superior denuntiatus, per typum edidit: *Nubila Iansenismi et Quesnellismi luce dogmatico-scholastica dispulsa* seu *Refutationem* 101 *Quesnelli propositionum* a Clemente XI. per constitutionem: *Unigenitus damnatarum* etc. anno 1726. *Theologiam scholae Scotisticae* seu *Solidam expositionem 4 lib. sentent. Scoti doctoris subtilis in tomos 4 et tractatus 12 divisam* anno 1728.

R. p. Serenus Schätter, praedicator generalis, olim guardianus typis vulgavit: *Verbum abbreviatum*, seu *Dominicale et festivale* anno 1723. Item sub eodem titulo: *Sermones in omnes dominicas et festa totius anni* anno 1728. *Conciones panegyricas* sub titulo: *Fama sancta* anno 1728.

R. p. Hippolytus Peef, lector emeritus, definitor habitualis edidit: *Expositionem regulae S. P. N. Francisci* anno 1699. *Eremum IESU Christi*, seu *Exercitia quotidiana per totam quadragesimam* anno 1722. *Sanctam viam crucis* seu *Modum devote eam visitandi* anno 1725.

R. p. Iustus Gehlen, praedicator emeritus, definitor habitualis ad typum dedit: *Tragoediam rebellis Absolonis contra patrem suum David* seu *Quadragesimale* anno 1726.

R. p. Eusebius Iaschgii, sanctimonialium clarissarum confessarius in septem tomulos divisim edidit: *Panquetum animarum* seu *Observationes morales super omnia evangelia quadragesimae;* item *Adventuale*, seu *Praeparationes ad adventum Christi Domini* anno 1722. *Observationes morales super totius anni dominicas;* item *Observationes super evangelia omnium festorum.* Item *Normam et formam vitae religiosae* seu *Tractatum de vita activa et contemplativa.* Item *Funiculum triplicem* seu *De tribus votis religiosorum.* Demum: *Victoriam gloriosam* seu *de patientia in adversis* anno 1723.

§ 13.

Concionatores apostolici, caesarei, regii, aulici etc.

A. r. p. Benedictus de Carynthia, nobili genere natus, concionator apostolicus, eximius animarum lucrandarum zelotes omnique populo acceptissimus. A Turcis captus durissima quaeque pro Christi nomine libenter toleravit; piorum eleemosyna redemptus demum in conventu Egenburgensi beato fine quievit, anno 1506.

A. r. p. Christophorus de Thermis, olim ad s. Rupertum Viennae guardianus et custos, bis provincialis, magister artium, sacrae theologiae professor, concionator apostolicus, pater optimus ac omni gratus homini Viennae ad s. Rupertum cum omnium lamento peste sublatus est anno 1540.

A. r. p. Dionysius a Rain, ferventissimus verbi Dei praeco, aliquando Parisiensis professor, concionator apostolicus, dein regius; iterato Provinciae Austriae minister. Plenus dierum ac meritorum, ut guardianus in Schwaz, anno 1549 suum obiit vitae diem.

A. r. p. Medardus Van Kirchen, mirae eruditionis vir, graeci hebraicique idiomatis apprime gnarus, regis Ferdinandi per octennium concionator aulicus; luthe-

ranae sectae oppugnator acerrimus. Magna sanctimoniae fama celebris anno 1535 Enzerstorffii obiit.

A. r. p. Ioannes Baptista, Kazlstorffii ad s. Radegundem post recuperatum monasterium primus guardianus; doctrina, zelo animarum et pietate illustris; serenissimi d. Maximiliani, electi Poloniae regis et archiducis Austriae concionator, obiit circa annum 1591.

A. r. p. Theobaldus de Geisling, praedicator celebris, ab omni populo ob ingentem lucrandarum animarum zelum nuncupatus apostolus Austriae. Dum anno 1520 die 16 Ianuarii non sine sanctitatis opinione supremum obiisset diem ad S. Theobaldum, eius funus plurimi collacrymantes comitati sunt. Et quia bis mille et plures sermones Viennae habuit, merito concionatoris apostolici titulum obtinuit.

A. r. p. Alphonsus Requescens, concionator apostolicus, per Germaniae Provincias commissarius generalis, Austriae minister provincialis, demum episcopatus dignifico honore donatus ob praeclara sua merita.

A. r. p. Bonaventura Daumius, Provinciae tertio minister, profundissimae doctrinae ac in omni scientiarum genere versatissimus, insignis pietatis, eximiae dexteritatis et in gravioribus commissionibus expediendis singularis felicitatis; saepius pro hisce beatius terminandis ab aula caesarea assumptus. Imperatoris Mathiae, quoniam ipsi a consiliis etiam secretioribus erat, alter *ego* a nonnullis nominatus. Obiit Graecii 1 Decembris anno 1619.

A. r. p. Liberatus Weis, concionator apostolicus et missionariorum in Aethiopia praefectus; ob praedicatum IESU Christi evangelium extra civitatem Gondar Aethiopiae metropoli, ut supra, lapidibus obrutus martyrio coronatus est.

A. r. p. Theodosius Wolf, ultra tredecim annos concionator et missionarius in Aethiopia apostolicus, postquam varias mundi partes peragrasset, multos infideles, mahumetanos, saracenos, arabes et aethiopes ad verae fidei lumen felix reduxisset, meritis cumulatus ad Provinciam migravit, ab augustissimo caesare Carolo VI. in familiarem aulicum assumptus anno 1722; diversa negotia apud aulas exteras pertractavit. Lanzendorffi mortuus die 28 Iulii anno 1729.


A. r. p. Franciscus Caccia, uti superius innuimus, a tribus imperatoribus Leopoldo I., Iosepho I. et Carolo VI. clementissime traditis sub maiori sigillo caesareis diplomatibus, titulo theologi et concionatoris aulici decoratus fuit.

A r. p. Hugo Babler, de quo supra, sacrae theologiae ac sacrorum canonum lector emeritus, eminentissimi S. R. E. cardinalis et archiepiscopi Viennensis D. Sigismundi e com. de Kollonitsch in spiritualibus consiliarius eiusdemque ac sacrae caesareae regiaeque catholicae maiestatis Caroli VI. theologus actualis.

§ 14.

Confessores regum archiducum.

A. r. p. Andreas, serenissimae Beatricis reginae Hungariae a confessionibus, profundissimus Scotista, vir maximae perfectionis. Regina ob eximiam eius venerationem, dum Viennae ad ss. Theobaldum et Bernardinum plenus dierum supremam egisset diem, ante aram s. Theobaldi magnifico cum apparatu ei iusta fieri, dein corpus duplici thecae impositum in Hungariam deferri ac honorifice ibidem condi iussit anno 1489



A. r. p. Valentinus Friceius, regularis observantiae ferventissimus zelator et promotor, collapsae disciplinae restaurator, insignis ob rarissima sua talenta praedicator, Austriae provincialis et per utramque Germaniam regnaque adiacentia commissarius generalis; serenissimi Mathiae, archiducis Austriae, confessarius et a secretis consiliis intimus. Hic ex capitulo generali Vallisoleti in Hispaniis celebrato redux, Papiae in nostri Ordinis conventu cum summo omnium planctu e vita discessit 30 Novembris seu dominica I. adventus anno 1593. Cui se paucis post diebus ibi mortuus iunxit r. p. Dominicus Hessius, minister Austriae, vir percelebris et antefati patris ad comitia generalia itineris comes; qui et ad laevam eiusdem tumulatus est, adeoque viae, vitae, lethi et loculi factus individuus socius; ambo vere viri amabiles et virtute decori in vita sua, in morte quoque non sunt separati.

A. r. p. Valentinus Mayr, actualis Viennensis conventus vicarius, ingenii acie et virtutum varietate singulariter pollens, post obitum antefati a. r. p. Valentini Friceii ab eodem serenissimo archiduce confessarius assumptus est, subin pestifera lue deletur die 9 Augusti anno 1597.

A. r. p. Bernardinus Arnoldi, strenuus regularis observantiae propugnator, olim per Germaniam commissarius generalis, Mathiae in romanorum imperatorem electi, et Annae augustissimae eius conthoralis a sacris confessionibus; prope nonagenarius in senectute bona finibilem finiit vitam die 8 Iunii anno 1624.

§ 15.

Ad episcopatus dignitatem assumpti.

Reverendissimus pater Carolus Weinberger, imperatoris Ferdinandi II. aliquando ephoebus, seraphicam religionem amplexus, eximius Viennae verbi Dei praeco fuit; deinde praedicator apostolicus denuntiatus, demum episcopus Nazianzenus creatus est. Virtutibus et meritis plenus moritur die 17 Aprilis anno 1628 Rözii in Austria tumulatus.

Reverendissimus pater Alphonsus Requescens, concionator apostolicus, olim minister et commissarius generalis, ob egregia sua merita et animi dotes ad episcopatum Rosanensem assumitur.

Reverendissimus pater Adalbertus Khönig, vir maximorum meritorum ad episcopatum Salmanticensem assumitur, defunctus Viennae die 8 Ianuarii anno 1630.

Reverendissimus pater Antonius a Galbiato, quondam huius provinciae commissarius nationalis et reformator, episcopus creatur et moritur in Italia die 26 Augusti anno 1636.

Reverendissimus pater Hieronymus Strasser, insignis theologus et operosissimus studiorum promotor, ex-provincialis et commissarius generalis Austriae, postquam episcopus Temnicensis creatus esset, suffraganeus Gurcensis in Carinthia efficitur; ut parochus Sancto-Vitensis vitam mortalem clausit die 17 Septembris anno 1641.

Reverendissimus p. Michaël Chumar, Provinciae Austriae minister et commissarius generalis, mitra episcopali Christianopolitana decoratus, suffraganeus dein Labaci in Corniolia efficitur, ibi quoque in Domino obiit anno 1641.

Reverendissimus p. Paulus de Tauris, olim provincialis Austriae, lector iubilatus, septem linguarum orator clarissimus; a nonnullis sapientibus columna ecclesiae nun-

cupatus, demum episcopus denuntiatus, et ut talis cum plurimorum planctu moritur Labaci in Carniolia 1 Februarii anno 1667.

§ 16.

De conversione haereticorum.

Recensitis iam viris virtute et pietate illustribus, doctrina et in disciplinis qua sacris qua profanis dignitatibus etiam ecclesiasticis fulgentibus, quos Austriaco-Franciscana Provincia velut fecunda parens feliciter progenuit, illorum nunc memoriam agemus qui maiori cum sedulitate, ac solertiori cum caritate, in vinea Domini operam egregiam navantes, in revocandis ad gremium ecclesiae heterodoxis uberrimos, praecipue per Austriam, fructus fecere; et quidem superioribus saeculis, quibus perniciosiora Hussitarum dogmata non solum per Bohemiae regnum, sed et circumsitas regiones, plurimis terrae principibus ea vel amplexantibus vel tuentibus, longe lateque diffusa vigebant, prae ceteris contra illa zelantiorem propugnatorem egit r. p. Alexander de Possonio (huius supra de viris litteratis meminimus), ab episcopo Ferrariensi, legato apostolico, anno 1468 ordinatus, ut contra Georgium de Podiebrat, Hussitarum defensorem ipsosque Hussitas bullam pontificiam per dioecesim Salisburgensem, Styriam et Carinthiam libere praedicaret. Qui hoc sacrum etsi arduum munus, aliunde in lucrandarum animarum zelo totus, ea cum virtutis voce et testimonio catholicae veritatis obibat, quod cum sociis (quos nominatim referre vetustatis caligo prohibet) innumeros pristinae fidei et S. R. Ecclesiae gubernaculis subiecerit; inter quos non pauci, qui publice abiurata haeresi, ex persecutoribus religionis fidei catholicae defensores continuo effecti sunt.

Infaustissimum ex insana Lutheri doctrina saeculum decimum quintum religioni romanocatholicae in Germaniae partibus quasi exterminium minitans, ad apertum certaminis campum, spiritualis nequitiae fraudibus copiose munitum, omnes romanae fidei confessores provocavit; unde viris ecclesiasticis, praesertim religiosis in electa vinea Domini Sabaoth amplissimus labor exinde vel maxime erat multiplicatus, quia messis multa nimis, operarii vero illo tempore admodum pauci. Ex nostris circa annum 1530 in spiritualem hanc messem missi sunt r. p. Medardus Van Kirchen, regi Ferdinando a concionibus, graeci hebraicique idiomatis gnarus et sacrae scripturae optimus interpres; rr. pp. Ioannes de Hungaria et Thomas a Salisburgo; pp. Amadaeus et Ambrosius de Rohrbach, malleus dictus haereticorum. Hi quinque reliquis verbo et opere potentiores et in profliganda haeresi ferventissimi, operosissimi, quam strenue adversus Lutheri asseclas fidem romanam propugnaverint, falsa haereticorum dogmata verbis et scriptis impugnaverint, quot palmas a luthericolis tulerint, dictu prorsus difficile est. Satis erit referre, eos cum sociis suis criminationes, opprobria, verbera, vulnera non formidasse, quoniam de victoria nunquam despondentes, more apostolorum gaudentes ibant a conspectu haereticorum digni habiti pro nomine fidei catholicae contumeliam pati. Pro cuius asserenda veritate p. Ioannes de Hungaria semel lethaliter, p. Thomas a Salisburgo vero bis in hac arena decertans vulneratus, demum ab haereticis necatus est, porrecto in potum veneno, anno 1548. Abundantior horum fructus, copiosior messis inde conii-

cienda, quod per hosce dumtaxat operarios ultra duo Lutheranorum millia romanae ecclesiae fidei sint restituta.

Post saeculi decimi sexti initia quid nostri egerint sub provincialatu r. p. Elzearii Kügll supremae orthodoxae fidei zelote et acerrimo haereticorum impugnatore, testimonium publicum exhibet anno 1628 ab inclyto senatu Viennensi praeclare in nostrorum laudem porrectum; lecturis in eo commendat conversorum numerum. Nominatim in convertendis haereticis insudavere p. Seraphinus Müller, zelator fidei et persecutor heterodoxorum; p. Ludovicus Pollinger, in profliganda haeresi lutherana operosissimus; p. Udalricus Seif, lector, innumerorum acatholicorum conversor, mortuus cum planctu fratrum anno 1642. P. Bonifacius Frölich, imperatoris Ferdinandi II. iussu non solum per Austriam, sed et per Styriam ac Carinthiam praepotens haereticorum malleus. P. Franciscus Lide in revocandis ad pristinam fidem acatholicis singulariter per Styriam desudavit.

Cum circa annum 1652, Ferdinando III. pientissimo caesare mandante, publice per haereditarias suas provincias vulgatum esset, ut deprehensi Lutheri sectatores, vel abiurata haeresi, romanam fidem reassumerent, vel certius et citius e ditionibus caesareis abirent; plures tum ex aliis ordinibus viri zelosissimi, tum ex nostris pro introducenda reformatione et exstirpanda haeresi operarii postulati sunt. Ex nostris Provinciae conventibus in perniciem haereticorum patres octodecim destinati fuere, qui eruditione ac virtute conspicui non semel cum heterodoxis in publicum etiam certamen prodeuntes, serpentina utentes prudentia et columbina simplicitate, adversariorum pervicaciam vicerunt. Uberrimos fructus, quos zelosi hi operarii toto reformationis tempore copiosissime collegerunt, coniicere licebit ex tenore epistolari r. p. Antonii Stöckler, provincialis Austriae sub dato Viennae 3 Maii anno 1653 Romam ad reverendissimum patrem Sebastianum Caeta, commissarium generalem nostrae familiae, transcripto.

Reverendissime Pater... Cum uno abhinc anno augustissimus imperator Ferdinandus III., dominus noster clementissimus, severo edicto mandasset omnibus Austriae incolis a fide catholica aberrantibus, nisi ad fidem catholicam et s. Matrem Ecclesiam converterentur, intra spatium trium ferme mensium ex patria omnino migrandum esse; et hunc in finem per quatuor regionis et urbis huius plagas certos huius conversionis commissarios tam praelatos ecclesiasticos quam saeculares viros spectabiles deputasset, ac omnes religionum superiores requiri fecisset, quatenus ad hoc sanctum opus, quotquot viros idoneos, doctos et zelosos haberent, dd. commissariis praesentarent, qui certa loca, pagos vel oppida sibi ab his designata adirent, populum in vera fide instruerent et ad eam amplectendam inducerent; nostro quoque commissario generali p. Aegidio Schiesel simile decretum ab excelso Austriae regimine esset intimatum, deputavit et ipse pro supradicto conversionis opere sacerdotes nostros octodecim.... PP. Societatis etiam ex aliis regionibus suos in auxilium vocaverunt. PP. capucini missionarios cum proprio commissario in Austriam immiserunt; alii quoque ecclesiastici omnem suam ad hoc operam impenderunt ita ut videretur quasi messis in aestate fervens, certantibus Christi operariis, ad segetem animarum maiorem per se Deo offerendum et imperatori. Sane per fratres ordinis nostri a tempore paschali anni praeteriti ad hoc usque ab erroribus haereticis ad veram fidem, Deo misericorditer cooperante, conversae sunt personae 6510, seu sexies mille, quingentae et decem. Interim etc. Hucusque calamus r. p. Antonii Stöckler.

Antefatis agri dominici egregiis cultoribus centuplum sane fructum facientibus, singulariter adnumerare debemus nostrum r. p. Maxentium Eisner, actualem ss. theologiae lectorem, virum virtute, exemplo, eruditione celebrem; hic a reverendissimo domino Martino Geiger, serenissimi dd. Leopoldi Guilielmi, archiducis Austriae et episcopi Passaviensis, etc. officiali, et in spiritualibus vicario generali assumptus per dioecesim Passaviensem missionarius, plenam facultatem per speciales litteras adeptus est, exercitia omnia, munia et officia ecclesiastica, quae pro ampliori reformatione opportuna visa fuerint, absque ullius contradictione aut impedimento libere ac licite exercendi. Quod impositum sibi sub 14 Martii anno 1655 sanctae missionis opus maxima cum sedulitate coepit perfecitque non solum velut pastor bonus oves aberrantes studiose perquirendo, via veritatis demonstrata ad ovile dominicum reducendo, sed etiam ut eas ab omni haeresum inquinamento funditus purgatas S. R. Ecclesiae restitueret, supremum ubique ac indefessum conatum impendendo. Unde ad eum ob gratiosam in edocenda fidei romanae veritate et tollendis heterodoxorum principiis facilitatem ingens, etiam nobiliorum personarum fiebat accursus, ita quod post paucorum mensium spatium ultra 490 is solus creditus fuerit ad fidem convertisse, plurima conversorum ab eo nomina recenset nostrae Provinciae chartophylacium; et quoniam quinta vice missionarius assumptus erat, hic solus 2103 seu bis mille, centum et tres personas ab haeresi absolvit. Toto denique tempore, nimirum ab anno 1652 usque ad annum 1662 exclusive, quo Ferdinandi III. et Leopoldi I. caesarum iussu reformatio viguit, a nostris per Austriam duntaxat tredecim millia, octingenti, triginta tres circiter, Dei infinita misericordia praeprimis cooperante, ad fidem orthodoxam conversi sunt.

§ 17.

De expositione pro obsequiis peste infectorum.

Anno 1455 dum pestis gravius saeviret in urbe Viennensi ac circumvicinis in locis, pp. Timotheus de Fürnsreith, sacerdos devotus et contemplativus ac Angelus de Austria, ambo a S. Ioanne Capistrano ad ordinem suscepti, ex recenter constructo ss. Theobaldi et Bernardini conventu sese exponentes, operam dedere ac vitam in obsequium peste infectorum. In conventu vero eadem lue obruti in Domino obdormiverunt sacerdotes sex, clerici professi et novitii 11, laici 7. Iam sedulam caritatem a nostris in proximum novissimis temporibus exercitam adducamus.

Anno 1645 omnem Austriam, praecipue urbem Viennam, morbus contagiosus corripuit, ubi nostrates hoc malo laborantibus plurima cum caritate operam omnem impenderant. Expositi in lazaretho fuere: pp. Amandus Körrin et Innocentius Galleron; prior lue correptus obiit, alter vero ab infectione restitutus sanus rediit. In urbe pestiferis spiritualia praestitit obsequia ad singulorum solatium p. Rupertus Müller, Egenburgi 15 Novembris anno 1677 vita functus.

Anno 1679 a mense Augusti usque ad finem mensis Maii anni subsequentis adeo enormis, omnem pene medicinam respuens morbus epidemicus Viennam, immo universam Austriam invaserat, quod nedum effluxis sex mensibus ultra centum millia hominum eodem absorpta fuisse credebantur. In tam luctuoso ac periculoso rerum statu nostrorum (verum si fas sit dicere verbis) caritas, magnanimitas, virtus et

industria non parum enituit, dum plurimi zelo salutis animarum moti tum hic, tum aliis in locis sanitatem et vitam suam Altissimo in caritatis victimam immolantes, pro pestiferorum servitio sese magna cum animi alacritate exposuerunt, multa millia hominum sedula cura et sollicitudine sacramentorumque administratione ad caelestem gloriam, ut pie credendum, promoverunt; aliqui eorum pestifero morbo correpti gloriosa et sancta morte obierunt. Consul senatusque Viennensis per solemne instrumentum sub dato 15 calendas Iunii anno 1680 publice testati sunt: pp. et ff. ordinis s. Francisci ad divum Hieronymum per suos tres religiosos in domo lazarethana, et alios quatuor in gymnasio urbis pro infectorum cura destinatos triginta et amplius hominum millia ss. ecclesiae sacramentis refecta et extremis morientium praesidiis munita extitisse, omnemque operam in emundandis, expurgandis, suffumigandis cubiculis ac domibus civitatis constanter impendisse ad omnimodam et superabundantem urbis totius satisfactionem, gaudium et consolationem.

Anno 1713 lues contagiosa priori anno quodammodo initiata sensim invaluit in tantum, quod pro infectorum expositione ab excelso regimine vi decreti sacerdotes religiosi petiti fuerint. Ad instantiam igitur episcopi Viennensis eiusdemque vicarii et magistratus sex sacerdotes cum uno laico expositi fuerunt.

Per alios Provinciae Austriae conventus expositi erant novemdecim: sacerdotes septemdecim, laici duo. Operosa patrum nostrorum in procuranda animarum salute caritas, sedulitas et solertia ex eo patent lectori, quod per illos durante contagiosa lue novemdecim millibus, octingentis et pluribus utriusque sexus fidelibus vel morbo maligno laborantibus, vel eo extinctis sacrosancta ecclesiae administrata sint sacramenta.

Praemissis iis, quae ad universam Franciscano-Austriacam pertinent Provinciam, iam calamo dabimus ea, quae exactam singulorum conventuum explanationem concernunt; et quia superius adduximus initia conventus ad s. Theobaldum caesaris munificentia amplissime constructi, ab eodem nunc ordimur denuo, ut fratrum nostrorum vere in hoc saeculo peregrinorum et advenarum, de loco in locum transmigrationes, ob instantem illorum temporum vicissitudinem, amplius intelligamus.

§ 18.

Privilegia caesarum pro Provincia Austriaca ab imperatore Rudolpho II. confirmata.

Nos Rudolphus secundus divina favente gratia electus Romanorum imperator semper augustus, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Luxenburgi, Wirtenbergae, utriusque Silesiae, princeps Sueviae, marchio S. R. I., Burgaviae, Moraviae, utriusque Lusatiae, principalis comes Habspurgi, Tirolis, Ferretae, Kyburgi, Goritiae etc., landgravius Alsatiae, dominus marchiae Vindicae, Portus Naonis et Salinarum etc. Pro nobis et nostris in regimine successoribus aperte fatemur et omnibus notum facimus: quod licet nobis ut Romanorum imperatori et de speciali divinae omnipotentiae providentia deputato christianorum tutori vi impositi muneris congruat omnes et singulas ecclesias, templa, monasteria et eorum incolas ministros-

que ad Dei omnipotentis laudem et obsequium consecratos clementissime manutenere et defendere. Nihilominus tamen hac sinistriori temporum aetate ac christianorum persecutione nobis similia speciali motivo competere, nec non ad ea praestanda nos obstrictos esse cognoscimus. Cum vero monasteria franciscanae religionis in nostris ac imperii nostri principatibus, ditionibus, dominiis, urbibus, oppidis sita a principio piis benefactorum manibus erecta, dotata et per continuam divinarum laudum persolutionem et pensum in illis rite peractum laudabiliter conservata sint: sic pro caesarea nostra clementia ac paterna provisione dicta monasteria et eorum incolas, ut provinciales, custodes, guardianos, abbatissas, matres, conventus, reliquos fratres et sorores una cum proventibus, bonis, redditibus, iuribus, privilegiis, immunitatibus et exemptionibus vel quocumque alio nomine nuncupentur, sine exceptione ad instar aliarum ecclesiarum et templorum, conventuum et monasteriorum, hoc praesertim periculoso tempore et multa nimis adversitatum turbine, in nostram et sacri nostri imperii singularem et specialem tutelam, defensionem, patrocinium, praesidium et clientelam accipere et retinere statuimus et decrevimus, sicut et vigore praesentium ipsos et eorum monasteria, ecclesias, templa, conventus una cum eorum familia, ministris, subditis, bonis, proventibus, redditibus, iuribus, privilegiis, immunitatibus, exemptionibus vel quocumque alio nomine nuncupentur sine exceptione, ad maiorem Dei omnipotentis gloriam, matris eius illibatae et sanctorum patronorum honorem et venerationem, nec non ad solatium et salutem animarum, quae dicta fratrum monasteria benefactrici manu aut funditus erexerunt, aut aliis favoribus prosequi non destiterunt, in nostrum et nostrorum successorum Romanorum imperatorum et regum singularem tutelam, patrocinium, defensionem, praesidium et clientelam accipimus et recipimus. Quod praesentiarum virtute auctoritate et potestate nostra hic facimus. Praeterea dictis fratribus et eorum monasteriis, ecclesiis, conventibus omnes gratias, concessiones, indulta, fundationes, privilegia, iura, immunitates, exemptiones, quibus vel a summis pontificibus, vel Romanis imperatoribus et regibus, nostris antecessoribus et protoparentibus, vel ab aliis saecularibus aut ecclesiasticis dominis et principibus dotati et privilegiati sunt; similiter immunitates et exemptiones a caesareis nostris communitatibus conscriptas, iure civili vel ecclesiastico dictis fratribus concessas, testamenta ipsis eorumque monasteriis et conventibus legata, a dominis et principibus confirmata, nos etiam ipsis clementissime confirmamus, renovamus, affirmamus, asserimus et communimus et hoc de plenitudine sacrae romanae caesareae potestatis, vero praescitu, tenore et virtute praesentium... dicimus, volumus, statuimus, declaramus et decernimus, ut in omnibus supra dictis memoratos fratres nemo impediat, commoveat, perturbet ac confundat, sed ut manentibus et currentibus redditibus et fructibus eorum pacificam et frugiferam possessionem et usum obtinere valeant a nemine impediti. Eximimus etiam et privilegiamus vel immunes reddimus vel liberamus praedicta monasteria eorumque provinciales, priorissas, conventus, custodes, guardianos, abbatissas, matres, conventus et eorum incolas, fratres et sorores eorumque successores cum tota familia, ab omni saeculari iurisdictione et potestate (sicut hoc de plenitudine caesareae nostrae potestatis facere possumus) et hoc ex bono praescitu, tenore et virtute praesentium, ita quidem, quod si quis ad ipsorum bona, redditus, proventus, iura, immunitates et privilegia quandam praetensionem se habere existimat, quod is non in curia vel iudicio saeculari, sed coram legitimis superioribus, iudicibus et conservatoribus, quibus subiectos

ipsos obedire oportet et coram quibus suas causas decidere solent, similes praetensiones proferant. Ad hoc etiam praedictos provinciales, custodes, guardianos, abbatissas, matres, conventus et eorum incolas, subditos totamque familiam ex vero praescitu de plenitudine imperatoriae potestatis, virtute praesentium ab omnibus omnino civilibus oneribus ut: gabellis, tributis, vectigalibus, portoriis, vigiliis, custodiis, apretiationibus etc. eximimus et immunes reddimus. Praetereaque volumus, ut ipsis sepulturae tam suorum confratrum et sororum quam etiam aliorum saecularium, qui in dictis monasteriis eorumque ecclesiis ac coemeteriis ab antiquo suas sepulturas et cryptas habuerunt, vel illas de novo eligunt, libere et sine impedimento relinquantur, sicut iura communia hoc ipsis concedunt, annuunt et permittunt. Item ut omnia, quae contra dictam nostram concessionem. indultum et declarationem attentata fuerint, vel cum aliquo praetextu iuris, vel sine illo, vel quovis alio modo noviter sancita, statuta vel impetrata fuerint, aut in futurum fierent, irrita, nulla et invalida esse dignoscantur. Similia enim de facto et in futurum et imposterum, sicut de facto de plenitudine imperatoriae potestatis et vero praescitu nulla, irrita et invalida esse dignoscimus, statuimus, declaramus et decernimus. Mandamus proinde omnibus et singulis nostris et imperii nostri septemviris et electoribus, saecularibus et ecclesiasticis, principibus et praelatis, comitibus et baronibus, purgraviis, dominis, equitibus, logistis, rationariis, satrapis, vice-dominis, iudicibus, consulibus, praetoribus, consiliariis, civibus et communitatibus, in omnibus et singulis urbibus, castris, arcibus, dominiis, oppidis, pagis, aliisque etiam omnibus et singulis nostris et imperii subditis et vasallibus firmiter et sincere, ut per se vel suos saepe memoratos provinciales, custodes, guardianos, abbatissas, matres, conventus, fratres et sorores dicti franciscani Ordinis et eorum successores omnes in communi et quemvis in particulari, una cum suorum monasteriorum bonis, redditibus, proventibus, iuribus et privilegiis, immunitatibus et exemptionibus, eorumque statuta et legitime introductas consuetudines sui Ordinis nequaquam saecularibus et civilibus gravaminibus et oneribus, iurisdictionibus, gabellis, tributis et portoriis contra dictam nostram clientelam, protectionem, patrocinium et tutelam perturbent, anxient, gravent ac impediant, sed eosdem in pacifica possessione sui iuris sub gubernio propriorum suorum iudicum et superiorum ecclesiasticorum manuteneant ac omnimodum patrocinium praestent, quatenus nostram et imperii nostri gravem indignationem et taxatam poenam quadragintarum marcarum nempe auri (cuius mediam partem in nostram et nostrorum successorum Romanorum imperatorum et regum cameram deponere, alteram vero dictis provincialibus, custodibus, guardianis, matribus, conventibus, fratribus et sororibus quoties id contigerit solvere tenebuntur) evitare voluerint. Atque ut saepe memorati provinciales, custodes, guardiani, abbatissae, matres, conventus, fratres et sorores dictorum monasteriorum franciscani Ordinis sub dicta nostra clientela, tutela, patrocinio, gratiis, privilegiis, immunitatibus et exemptionibus ac in omnibus iis, quae memoravimus, firmi stabilesque permanere valeant, sic iisdem ex singulari benevolentia, vigore praesentium ac de plenitudine caesareae potestatis pro executoribus et tutoribus dictae nostrae concessionis, indulti et privilegii posuimus et dedimus, immo et de facto damus, declaramus, ponimus et denominamus hodiedum et in futurum regnantes septemviros et electores Rhenanum nempe, Coloniensem, Trevirensem et Moguntinum, archiduces inclytae nostrae domus Austriacae, episcopos Monasterii et Paderborniae, duces Montium, Iuliae ac Clavenae

omnes in communi et quemlibet in particulari vigore praesentis nostri privilegii requisitos. Quibus proinde mandamus et praecipimus, ut saepe numero memoratos provinciales, custodes, guardianos, abbatissas, matres et conventus, fratres et sorores dicti franciscani Ordinis, nec non eorum corpora, bona, redditus, iura, privilegia, immunitates et exemptiones, una cum eorum familia in praesenti nostro caesareo privilegio, gratia, indulto, clientela, tutela et patrocinio defendant, tueantur, confirment et manuteneant; et si quisquam praesens nostrum privilegium, gratias, indultum, clientelam et patrocinium infringere vel ei ausu temerario contraire, vel aliud quidquam attentare praesumpserit, erga similem sicut decet secundum iura et alia remedia opportuna procedant, nec non ad memoratam et taxatam poenam arceant et compellant, quatenus multoties dicti provinciales, custodes, guardiani, abbatissae, matres, conventus, fratres et sorores supra memorati franciscani Ordinis iure in dictorum nostrorum indultorum, privilegiorum, tutelae, patrocinii et clientelae possessione pacifice permittantur et hoc quidem quotiescumque necessum fuerit, sine mora, omnimode, sicut nos ipsi facere vellemus et valeremus, faciant et exequantur, prout praefatis modernis et futuris executoribus et tutoribus carum est nostram et imperii gravem indignationem evitare. In quorum fidem has patentales litteras caesareo nostro sigillo appendente communitas dedimus in regia nostra arce ac residentia Pragensi ultima Maii, anno partae salutis Domini millesimo sexcentesimo sexto, imperii nostri Romani trigesimo primo, Hungarici trigesimo quarto, Bohemici vero trigesimo primo.

RUDOLPHUS

Ad mandatum sacrae caesareae maiestatis proprium.
An. Hannerwald. M.

§ 19.

Nobilitate clari et franciscanam paupertatem professi.

P. Wenceslaus, natus liber baro de Wolckenstein, ex caesaris Friderici III. aulico franciscanus factus anno 1455.

P. Franciscus de Wellenstein, stirpis valde nobilis et strenuus in saeculo miles ac regis Ladislai aulicus; ut religiosus prae ceteris humilitate et patientia aliisque virtutibus enituit. Ante primaevam loci Pragensis recuperationem in Bohemiam praemissus, plurima ab haereticis in itinere sustinuit opprobria; lue pestifera extinguitur in via circa annum 1487.

P. Constantinus de Pelvizthumb, nobilis genere, nobilior virtute martyrio flagrans et salutem animarum zelans pro reducendis ad gremium s. matris ecclesiae Hussitis in Silesiam abiit et ibidem obiit 1488.

P. Rudolphus, serenessimi Sigismundi Austriae archiducis filius, natus Oeniponti Tyrolensis comitatus metropoli, terrena fastidiens et caelestia inquirens, saeculo nequam generose nuntium remisit subque paupere franciscanorum habitu Deo laete servivit ac ut sacerdos pientissime mortuus Graecii in veteri ecclesia ad S. Leonardum tumulatus, anno 1507.

P. Franciscus de Murau, nobilissimo sanguine clarus, humilitate et simplicitate religiosa praecipuus, moritur anno 1521.

Fr. Constantinus natus L. B. de Buechheimb, domini camerarii huius nominis apud Ferdinandum III. imperatorem patruus, in festo Portiunculae Viennae ut Clericus obiit 1631.

P. Michael de Kramer, caesareorum epheborum praeceptor, philosophiae magister et doctor, in Ordine praestantissimus concionator, e vivis ereptus Graecii 1642.

P. Elzearius de Landau, nobili stemate oriundus, vir eruditissimus etc. Puppingae 1648 obiit.

P. Felicianus e familia comitum de Mollart, nobilium Viennensium poenitentiarius et saepius commissionis secretarius, Viennae 1663 obiit.

P. Ioannes Baptista e comitibus de Schidenitsch, laudatissimus praedicator et guardianus etc. Obiit Iudenburgi 1664.

Fr. Antonius, natus comes a Gurland, antequam sacerdos fieret, beato fine quievit anno 1694.

P. Franciscus e liberis baronibus de Stübich, famosissimus verbi Dei praeco Viennae 1705 mortuus est.

P. Antonius L. B. de Berenii, ex husarorum colonello franciscanus anno 1714 factus.

CAPUT II.

§ I.

Fratrum nostrorum Viennae, a s. Theobaldo extra muros ad s. Rupertum intra urbem, inde ad s. Nicolaum facta translatio.

Tametsi Fratres ad ss. Theobaldum et Bernardinum numero multum copiosi essent, prospere nihilominus erga ipsos cuncta agebantur et Christi fidelium pia largitas eorum pauperiem et necessitates iugiter sublevabat, cum fratrum in obsequiis spiritualibus solertia et caritas ac regularis vitae exemplaritas omnem sibi apud omnes reconciliaret affectum; ex pulpito enim verba movebant, in conversatione exemplo trahebant. Verum sapientia divina, quae iucundis subinde moesta permiscet, nec unquam suos, quos amat, iucunditatem sinit habere continuam, ex prosperis viam iustorum contexuit et adversis. Nostris enim per septuaginta et plures annos in hoc loco Deo pacifice famulantibus ingens tribulatio, turbulentia, angustia accidit, adeo quod aut sanguinem fundere, aut vitam dare, aut aufugere et in longinqua abire necessum fuerit. Nam Solimano Turcarum imperatore, post captam magnam Hungariae partem, urbem Viennensem ducentis suorum millibus obsidente, pulcherrimus hic s. Theobaldi conventus; ut iam diximus § de iis, qui pro Christi nomine sanguinem fuderunt, tum a caesareo tum ottomano milite devastatus et in cineres redactus est die 25 Septembris anno 1529. Fratribus omnibus vel claustro pulsis et ad remotiores provincias profugis, vel crudeli barbarorum manu pro Christi nomine

trucidatis. Iacent in eodem loco cineres fratrum nostrorum, praeter ense barbaro interemptos, ducentorum et trium.

Funditus quasi demolito conventu et manentibus ibidem fratrum nostrorum cineribus, tractu temporis fundus omnis cessit cuidam urbis Viennensis senatori, Krebs dicto, qui plurimis ex eo erutis fratrum ossibus, domum aedificari spatiosumque hortum sibi formari ac ibi sacellum exstrui fecit honoribus s. Theobaldi sacrum; in quo nostri ob pia suorum relicta rudera diebus duntaxat festivis pro eleemosyna Deo sacrificium incruentum offerre per plures annos soliti fuere. Locus hic in suburbiis Viennae situs actu a rr. pp. Carmelitis calceatis inhabitatur.

Abacti Turcici furoris violentia fratres numerum 20 vix explentes, aliis alio profugis, in urbe tanquam peregrini dispersi commorabantur, subministrante potiorem victum immo et habitaculum quodam benefactore domino Diego de Scharave, Hispano. Interea nostri fiduciam omnem collocantes in serenissimi Ferdinandi regis, dein Caroli V. successoris et principis optimi clementiam, supplicarunt eidem pro aliquo loco in habitaculum fratrum, iuxta pollicitationem antequam Viennam rediret clementissime factam in urbe designando. Clementer ita assignatis s. Ruperti laribus pro fratrum habitaculo, saepedictus pater Christophorus minister provincialis cum patre Procopio de Cellis, quem primum huius loci praesidentem instituit, et alio sacerdote, valetudinario quidem, die octava Octobris sub octava sancti patris nostri Francisci anno 1533 partem domus occupavit et in hoc loco, caesareae domui salinariae contermino, sedem fixit.

Verum ob aedes s. Ruperti nimis ruinosas, angustas et ad multiplicationem fratrum, sine gravi civium contiguorum nocumento haud amplificabiles, saepefatus augustus Romanorum rex Ferdinandus fratribus nostris humillime supplicantibus domum beneficiariam cum annexo sacello ad S. Nicolaum nuncupato, omnibusque appertinentiis pro habitatione indulsit regia prorsus cum liberalitate et munificentia. Regii consensus et donationis tenor de germanico versus est sequens:

Nos Ferdinandus Dei gratia Romanorum, Hungariae, Bohemiae, etc. rex, infans Hispaniae, archidux Austriae, etc. Harum tenore publice fatemur et omnibus palam facimus. Dum perpetuus totius christianitatis inimicus Turca Solimanus iam elapso 1529 anno tyrannica sua potestate totam Austriam infra Onasum invasisset, ac nostram urbem Viennensem propria in persona unitis viribus per terram et aquam plene circumcinxisset, obsedisset omnesque aedes et habitationes extra urbis moenia igne ferroque depopulasset ac funditus evertisset atque inter alias percelebres ecclesias et aedificia in nostris Viennae suburbiis monasterium quoque S. Bernardini, quod fratres s. Francisci de observantia appellati incolentes possidebant, admotis flammis totaliter exussissent, adeo ut et illud cum aliis desolatis aedificiis in suburbiis plane demoliri ac solo aequari debuerit. Quare praedicti Ordinis fratres interea temporis intra urbem nostram Viennensem in quibusdam aedibus s. Ruperti sacello immediate vicinis, a nobis usque ad ulteriorem ordinationem nostram ipsis clementer pro habitatione traditis, etsi misere et anxie se sustinentes, nihilominus, prout sinceram relationem accepimus, in dicto sacello verbi divini praedicationem, cantum et preces diu noctuque cum omni fervore prosequentes, nobis pluries in omni submissione supplicavere, cum illis supra fatum sacellum pro digne absolvendis divinis laudibus et necessario incolatu nimis anxium existat, quatenus cum ampliori ac commodiori spatio eos consolari ipsisve de spatiosiori loco providere clementissime non dedigna-

remur. Ea propter benigne perpendentes dictorum fratrum s. Francisci perhumiles easque devotas supplicationes et quoniam pro divini cultus augenda promotione, cuius indubie etiam haeredes et successores nostros participes opinamur, nos optime facturos arbitramur, praemeditato ex animo, bono consilio et recta scientia nominato ordini ecclesiam et aedes ad s. Nicolaum, quae in platea, Siningeriana dicta, situatae murisque et lapidibus cinctae sunt pro usu et habitatione destinamus et libere ordinamus; prout idipsum qua actu regnans terrae princeps ex eadem auctoritate, virtute praesentinm scienter facimus, ita ut saepedicti Ordinis fratres nunc et in perpetuum praefatam ecclesiam ad s. Nicolaum incolere, inhabitare et possidere, verbum Dei ibi cum omni conatu edocere et annuntiare, ad Dei omnipotentis maiorem gloriam officium divinum orando, cantando, psallendo, legendo, iuxta regulae ipsorum et Ordinis statutorum diu noctuque libere ac licite persolvere possint, nemine quomodolibet impediente. Si vero seu citius seu serius dictus locus ex ratione quacumque ab illis, seu aliis eiusdem Ordinis personis non habitaretur, volumus, ut in simili casu locus ad nos nostrumque ac nostrorum successorum archiducum Austriae dominium absolute redeat, nostrae nostrorumque successorum ulteriori ordinationi iterum subiiciendus.

Datum in regia nostra arce Pragensi die 22 Februarii post domini nostri Iesu Christi nativitatem anno 1545.

FERDINANDUS

L. S.

Ionas D. vice-cancellarius.

Ad mandatum domini regis proprium
Wagnerf.

Situ ad s. Nicolaum fratribus regis gratia ita transcripto, hic locus per quadraginta et plures annos ipsis pro divinis laudibus dignius perficiendis et animarum per sanctae doctrinae pabulum enutriendarum amplius procuranda salute opportunum exibuit incolatum, quousque afflante divinissimi Spiritus sancti gratia nimis adauctus fratrum numerus ad ampliandum Dei cultum magis accomodam habitationem magisve amplum spatium pro his capiendis aliter postularet. Igitur faventibus ut plurimum quorundam senatorum Viennensium consiliis, fratres sensim pro claustro S. Hieronymi e regione plateae (novus mundus nuncupatae) et conventui ad s. Nicolaum proximo instare, ac serenissimi Ernesti archiducis Austriae gratiarum fores humillimis precibus pulsare coeperunt, pro congenita in Deum pietate principis et in nostros affectu nullatenus irritis; nam clementissimus annutus mox ad preces subsecutus et in transmigrationem nostrorum ex s. Nicolao ad s. Hieronymi coenobium consensus gratiose praestitus est, prout eiusdem tenorem verso germano idiomate in latinum subiiciemus.

Nos Ernestus D. G. archidux Austriae, dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, etc. fatemur, postquam honorabiles religiosi, nobis dilecti ac devoti nostri, provincialis et totus conventus Ordinis s. Francisci discalceatorum Viennae in submissione signi-

ficarunt, quomodo concreditae illis aedes ad s. Nicolaum ob fratrum indies accrescentium numerum aliasve urgentes rationes iterum illis anxiae et pro digne prosequendis divinis laudibus minus aptae sint ac incommodae nimis; ac obinde nobis humillime supplicaverint, quatenus praeatacti s. Nicolai loco monasterium s. Hieronymi (ubi aliquando moniales degebant iam omnes demortuae) actu vacuum illis indulgeremus, in cuius etiam permutationem sacra caesarea maiestas, noster perclemens ac amicissime dilectus Dominus et germanus, nosque eiusdem loco, facta nobis sufficiente relatione, benignissime consensimus ac harum virtute consentimus. Cum autem in eiusmodi permutatione honorabiles, eruditi, nobis singulariter dilecti nostri consul et senatus urbis Viennensis, qua collatores et fundatores monasterii s. Hieronymi partem habeant: hinc ad melius esse perfectamve transactionem ex speciali gratia utrique parti ob hanc a nobis indultam permutationem rev. honorabilem, doctum, nobis dilectum, devotum et fidelem Ioannem Casparum episcopum Viennensem, Stephanum Engelmayr, fori utriusque d. et Mathiam Prewen, omnes sacrae caesareae maiestatis consiliarios pro commissariis deputavimus; qui et ambas partes iuxta nostram benignissimam ratificationem unierunt, sequenti modo transigentes: Nimirum, pro primo tenentur pp. franciscani obsequia divina, praecipue fundata sacra item anniversaria virtute fundationum (quamobrem dictus senatus extractum fidelem ex litteris fundationalibus urbis sigillo munitum ipsis tradere tenetur), sine ullo defectu gratis perficere; senatui vero pro hisce obsequiis fundati proventus (siquidem patres de illis nec nummum postulant) remanebunt permutato conventui ad s. Nicolaum. Pro secundo inter ambas partes ob obsequia ad s. Nicolaum habenda pro favore speciali pp. franciscanorum etiam actum fuit, videlicet, ut hi in ecclesia s. Nicolai duas missas, nominatim die dominica unam; alteram, si dies festus non occurrat per hebdomadam, die Veneris absolvant et perficiant. Pro huius recognitione senatus Viennensis pp. Franciscanis aediculam ecclesiae s. Hieronymi proximam, plateae Weichenburg dictae adiacentem, quae domuncula parochialis nominata, olim, dum poenitentium monialium claustrum vigeret, a parocho seu illarum confessario inhabitabatur, aliunde ad s. Hieronymi monasterium pertinentem benevole ac voluntarie cedit, illique perpetuo cupit adscribi. Quantum vero ad missarum absolutionem pertinet, si casu ad s. Nicolaum plura officia aut spiritualia obsequia fundationis causa perficienda forent, uti festivitatum solemnia, dedicatio, patrocinium, aut cantanda quaeque etc., ipse senatus Viennensis, eo quod omnibus perfruatur proventibus de illis debite providere, aut pp. franciscanis, si ea debite perfecerint (prout libenter ea absoluturos praevidemus) singulariter recognoscese debebit. Pro tertio et ultimo; cum senatus Viennensis potior difficultas ob oeconomiam, cellarium, locumve torcularis mota sit, ut dicto Senatus cellarium maius, locus torcularis et contigua camera maior (ubi actu maiora et minora vasa pro vindemiis, et aliis cellarii emergentiis conservantur): ad tempus, et usquedum illis alia occasio obveniat, hoc pacto permittantur, quatenus amplior vasorum cella Senatus, sponte se offerentis, propriis sumptibus per medium muro dispertiatur, moderna ianua ad torcularis cameram obmuretur, alia versus plateam Singerianam aperiatur, ita, ut monasterium cum religiosis suis incolis neque ex loco torcularis, neque ex cellario, aut vasorum cella quoquo modo non gravetur, vel praeiudicium, aut molestias patiatur. Dum igitur ambae partes supra positam translationem, monasteriorum permutationem non solum gratam ratamque habent: verum etiam eandem omnino

acceptantes nobis pro benignissime quoque impertienda nostra ratihabitione humillime supplicant; obinde post praeviam discussionem rerum ac circumstantiarum, maturum consilium et deliberationem, in ambarum partium gratiam et ultimatam factae permutationis ratificationem nos quoque clementissime consentimus, confirmando, ratificando et roborando antememoratam transactionem ac permutationem quoad omnem sui formam et tenorem suprema auctoritate, nomine sacrae caesareae maiestatis, perclementis et amicissime dilecti domini germani nostri, scienter et virtute praesentium litterarum, quantum de iure et aequitate confirmare, ratificare et roborare possumus ac valemus. Cupimus etiam, ponimus ac volumus, ut supratacta benevole, gratanter et libere per ambas partes acceptata transactio quoad omnem sui tenorem fortiter firmiterque teneatur, inviolabiliter observetur, quoad omnia adimpleatur eique a nemine quomodolibet contradicatur, aut in contrarium quidquam attentetur. Praecipimus praeterea harum litterarum vigore omnibus et singulis sacrae caesareae maiestati subiectis, superioribus ac tribunalibus, et serio mandamus ac volumus, quatenus utramque partem quoad saepius nominatam transactionem nullatenus interturbare; verum secuta desuper nostra ratificatione et confirmatione firmiter manu tenere, ac neutri parti quidquam in contrarium attentare permittant. In quorum omnium fidem nostrae confirmationis et ratificationis duo exemplaria in omnibus concordantia cum subscriptione et secretioris nostri sigilli appressione firmari, ac cuivis parti pro omni eventura necessitate immanuari fecimus.

Datum in urbe Viennensi decima mensis Maii post Christi nativitatem anno 1589.

ERNESTUS

F. B. Weber

Ad mandatum serenissimi archiducis proprium
S. Wesernacher.

§ 2.

De veteri s. Hieronymi claustro, et ecclesia.

Locum hunc seu aedes s. Hieronymi ante nostrorum hic adventum binis iam saeculis incoluere mulieres conversae, seu sorores de poenitentia nuncupatae, ex redditibus annuis principum terrae, maxime vero Christi fidelium eleemosynis victitantes. Quarum institutum erat feminas saeculi voluptatibus illicite deditas, publicas et privatas peccatrices, ad poenitentiam reverti cupientes, etiam ex lupanari recipere ipsasque, quae antea carnis illecebris vulgarem operam locavere, spiritu dein et virtutibus enutrire sub clausura. Sacellum, quod s. Hieronymo ecclesiae doctori sacrum erat, domui huic contiguum Simon, episcopus Castoriensis, anno 1387 consecravit. Emorientibus demum huius monasterii sororibus, quasi novissima remansit ipsa magistra seu superiorissa, quae (et mortua) est in modernae sacristiae loco tumulata; epitaphii inscriptio actu talis legitur: «Hic sepulta iacet venerabilis domina Iuliana Klebergerin, superior ad s. Hieronymum, quae mortua est in die Sebastiani anno 1553, cui Deus sit propitius, amen». Omnibus ita vita functis, et transactione

cum inclyto magistratu Viennensi inita, praefatum s. Hieronymi monasterium die 10 Maii anno 1589, ut supra meminimus, principis terrae auctoritate et clementia nobis cessit, positis ad s. Nicolai aedes puellis egenis, quae suis orbatae erant parentibus. Ecclesia tamen pro peragendis divinis fratribus remansit usque ad plenam templi Hieronymitani constructionem.

§ 3.

De novae ecclesiae ad s. Hieronymum structura ac erectis in illa aris.

Modo praespecificato fratribus nostris, loco s. Nicolai, monasterium s. Hieronymi habitaculum fieri coepit. Claustro et ecclesia iam ruinam proximam minitantibus arctumque nimis spatium praebentibus devotioni ac fratrum numero quotidie copiosiori, a. r. p. Gabriel Bonaventura Daumius, vir eximiae dexteritatis, profundae humilitatis et singularis pietatis, tunc Provinciae commissarius generalis, ab augustissimo caesare Mathia (cuius ab arcanis erat consiliis) consensum, utramque ampliandi structuram suppliciter petiit huncque in finem quasdam monasterio adhaerentes applicandi domunculas. Imperatoris benignitas ultro, ac petebatur, gratias dispensare cupiens, duo spatiosiora in urbem monasteria, scilicet rr. pp. Conventualium et rr. pp. Augustinianorum, tunc quasi habitatoribus suis destituta, praefato patri ad selectum detulit. Verum, postquam tantum ob praevisas difficultates humillime deprecatus esset, facile postulationis suae effectum obtinuit. Quare dilatandae ecclesiae et conventus structurae manus admotae et perangusta quaedam domus et aediculae variorum benefactorum largitate coemptae, atque ita, eo architecto, prospera novae ac ampliori structurae data sunt initia 14 Aprilis anno 1603.

Anno 1611 11 Decembris solemni ritu consecravit, ac s. Hieronymo ecclesiae doctoris dedicavit eminentissimus princeps Franciscus s. r. ecclesiae s. Sylvestri presbyter cardinalis a Dietrichslein, Pauli PP. V. ad serenissimum Hungariae et Bohemiae regem Mathiam de latere legatus, episcopus Olomucensis, princeps regalis capellae, sacrae caesareae maiestatis intimus consiliarius etc. Haecce dedicatio facta fuit dominica infra octavam festi Conceptionis immaculatae semper Virginis Mariae. Eadem die et anno consuetis ritibus ab eodem consecrata fuere tria superiora altaria, videlicet: medium sive maius in honorem sanctissimae Trinitatis beatissimam Virginem coronantis; eidemque impositae reliquiae: s. Crucis, de bombice, quo verus Christi calix fuit involutus, de mappa mensae coenae Domini, de pallio Christi, de capillis beatae Mariae Virg., de lacte beatae Mariae Virg., de s. Ioannis Baptistae ossibus, s. Petri, s. Pauli, s. Iacobi, s. Mathiae apostolorum, s. Marci evangelistae, s. Stephani protomartyris, s. Laurentii m., s. Sebastiani m., s. Hieronymi e. d., s. Nicolai episcopi, s. Leopoldi c., s. Simonis Iusti, s. Rochi, s. Raymundi, s. M. Magdalenae, s. Marthae v., s. Catharinae v. m., s. Barbarae v. m., s. Clarae v., s. Reginae v. m., s. Annae, ss. Ursulae et Cordulae vv. mm., s. Christinae v. m., s. Iuliae v. m., s. Margaritae v. m., s. Elisabethae reginae Hungariae. Item de Agno Dei cum reliquiis: s. Crucis, s. Ioannis Baptistae et omnium fere apostolorum et evangelistarum. De ligno s. Bonaventurae, de ligno s. p. n. Francisci, de cilicio b. Ioannis a Capistrano.

Altare b. v. Mariae Annuntiatae e cornu epistolae cum reliquiis quasi omnibus, ut praenotatum est.

Altare B. Virginis immaculate conceptae cum reliquiis lactis B. Virginis, s. Stephani protomartyris, s. Laurentii m., s. Hieronymi, s. M. Magdalenae, s. Reginae v. m., s. Ursulae v. m., de ligno s. Bonaventurae d., de agno Dei ut supra.

Altare alterum e cornu epistolae honoribus s. Mariae Magdalenae sub cruce lacrymantis dedicavit et consecravit die 8 mensis Martii anno 1627 reverendissimus p. Carolus Weinperger, ex ordine ff. minorum regularis observantiae, Provinciae Austriae pater, episcopus Nazianzenus, concionator apostolicus et serenissimi quondam Caroli archiducis Austriae consiliarius intimus etc. eidemque reliquias inclusit: s. Crucis, s. M. Magdalenae, s. Laurentii martyris, s. Clementis Papae m., s. Barbarae v. m., s. Apolloniae v. m., s. Annae; ex sociis s. Ursulae, s. Dorotheae v. m., s. Ottiliae abbatissae, s. Elisabethae vid. nostri ordinis.

Altare secundum e cornu evangelii idem eodem die et anno in honorem s. Michaëlis archangeli dedicavit et reliquias imposuit: s. Crucis, s. Pauli apostoli, s. Laurentii m., s. Wilbrotti, s. Barbarae v. m., s. Petronillae v., s. Cunegundis reg. et v. ex ordine nostro, s. Walburgae v., s. Elisabethae vid.

Altare tertium ex epistolae cornu dedicatum erat Beatissimae Virgini Mariae in in caelos assumptae, s. Hieronymo ecclesiae patrono et S. P. N. Francisco, impendiis illustrissimi domini Hieronymi Bonacinae erectum.

Altare tertium e cornu evangelii s. Ioanni Baptistae praecursori inauguratum fuit, non tamen, uti praecedens, consecratum.

Structura templi completa, fratrum choro turris, eodem patre Daumio architecto, anno 1614 firmissimis innixa fundamentis adnexa fuit; per totum ex calce vino temperata et lapidibus quadris in altum exurgens et permagna cuppa ex cupro tecta. Altitudine sua, quae 33 orgyas seu 198 pedes Viennenses habet, altioribus urbis turribus non immerito comparanda, pro ascensu ad campanile usque, intercapedines non computando, gradus numerans 154. Retinet quatuor campanas sua voce diu noctuque devoto cum strepitu sonoras; prima grandior 1375 libras ponderis habens s. Hieronymo ecclesiae tutelari, secunda libris 969 gravis Beatissimae Virgini Mariae, tertia librarum 634 ss. Francisco Seraphico et Antonio Pad., et quarta librarum 329 s. Michaeli archangelo dedicata est; die vero 22 Novembris anno 1650 ab illustrissimo et reverendissimo principe et episcopo Viennensi Philippo Friderico a Breünern benedictae. In turris huius fundamento et sub primo lapide reperiuntur reliquiae: agnus Dei Pauli V. cum indulgentiis, b. Caroli Borromaei, massa ex variis terrae sanctae locis, agnus Dei ex variis ss. apostolorum reliquiis, de ligno s. Bonaventurae, s. Reginae v. m., crux serica ex eiusdem tunica, crux benedicta cum evangelio s. Ioannis etc.

§ 4.

De nova monasterii fabrica eiusque situatione.

Prototypon iam fabricae monasterii exhibendum: id formam perfecti quadranguli praesefert, nullibi nisi ex una anguli parte aedes saecularium attingens, continet duo sat ampla dormitoria, quorum spatium facile 150 et plures fratres capit, demptis

hospitibus hic communiter copiose degentibus, pro quibus commode locandis longior tractus conventui adnexus reperitur, cellis ac cameris abunde provisus. Commissariatus Terrae sanctae, iam nitide instructus, huic decorem confert singularem. Monasterium ex duabus partibus domus saecularium pernobiles, ex tertia ipsam sibi contiguam ecclesiam, ex quarta demum parte caesaris armamentarium respicit urbis moenibus vicinum. Situs hac ex parte ob amoenissimum prospectum, ad ipsiusmet conventus viridarium, suburbia, aedificia, hortos, campos etc. longissime protensum, iucundissimus est ac perflantis aurae gratia saluberrimus. Hortus ob olera, areolas florum varietate decoras et sylvestrium castenearum, anno 1725 implantatarum, numerositatem, sylvulae ordinatae non absimilis, aulae et urbis proceribus non raro in illo deambulantibus apprime redditur deliciosus, fratribus vero religiose se refocillantibus periucundus. Alter hortulus tiliam implantatam tenet maximae altitudinis, in cuius medio fontem scaturientem sectisque cinctum lapidibus conspicere licet; centrum occupat statua s. Hieronymi, cardinalitio vestitu induti, ad cuius laevam positi leonis fauces eructant petentibus aquam. Ex alio fonte, non procul abhinc in claustro distante, hausta lympha saepius in dapibus etiam nobiliorum dulcissimum praebet sitientibus refrigerium. In ambitu inferiori officinae quam plures, conservatoria, promptuaria etc. habentur, digniora retinendis rebus quaestuariis, aromatibus tam cellario quam culinae necessariis, confraternitatum supellectili, ianitorum et hospitum saecularium habitaculis peraccommode destinata sunt. Hisce interiacet sine fulcris peristylium nobili structura, sancti Patris nostri vita et ordinis sanctorum picturis affabre exornatum, fratribus, dum a studiis et negotiis vacant, subin pro religiosa distractione bene opportunum. Refectorii amplitudo centum et plures fratres sustinet ad mensam, qui quotidie stipem ostiatim pro amore Dei rogantes, mera piorum eleemosyna aluntur. Locus hic pavimento gaudet lapidibus marmoreis et quadris strato, sicut et saxeo lavatorio, cui grandius superimpositum cernitur horologium, omnes horas accurate indigitans et lunationes. Pharmacopaea non nimis spatiosa, non solum ordinate quoad singula adaptata et concinne ubique instructa, verum et magis pretiosis medicinis abundanter provisa est, in singulare infirmorum fratrum etiam e vicinis conventibus affluentium solatium. Sustinet sibi superinnixum valetudinarium, anno 1650 (operarium et architectum agente fr. Mauro Pirnpaur, qui ex uxorato milite laicus apud nos factus est) piorum eleemosynis constructum, in cellas et habitacula discretum, cum coenaculo. Sacellum adnexum ad peculiare aegrorum solamen per fenestram infirmis etiam decumbentibus sacrum ad altare permittit prospectum; cuncta denique secundum regulae seraphicae praeceptum omnigenae servitutis fraternae praestant egentibus in hoc loco commoditatem.

Floret in hoc monasterio studium generale sub quinque lectoribus, quorum duo patres sacram theologiam, seu quatuor sententiarum libros Scoti doctoris subtilis discipulis praelegunt, unus sacerdos canones, alter casus morales, ultimus artium liberalium et philosophiam explanat, omnes raro, praeterquam chori et frequentandi sacri tribunalis tempore, a litterariis occupationibus vacantes. Primi Ordinibus initiandorum ac ad curam animarum promovendorum pro dioecesi Passaviensi infra Onasum voluntate celsissimi principis et episcopi dioecesani examinatores nominati sunt. Patrum et fratrum studentium seminaria, ab aliis conventualibus penitus semota, duo reperiuntur, quae propriis gaudent museis, legibus, sacellis, magistris. Bibliotheca ante septem annorum lustra una cum fratrum philosophorum paedagogis con-

structa et per longiorem tractum producta doctorumque classicorum Ordinis imaginibus illustrata, opera continet vetustissima, sanctorum patrum codices aliorumque probatissimorum auctorum et celeberrimorum scriptorum libros pene innumeros, per scrinia maiora in suas sortes ordinata serie distinctos.

§ 5.

Praesens ecclesiae ad intra facies, postremo in ea erecta altaria, horum conditores etc.

Templi navis peralta fornicibus firmissime communita ac vastis ex utroque latere columnis, in ordinata sacella adaptatis, innixa est; eius altitudo decem, longitudo viginti novem, latitudo novem pedes continet. Per totum modesto cum nitore splendida, perlucida. Sacrario elevatiori tres gradus alii aditum pandunt e marmore bene ampli; pavimentum ecclesiae pariter etiam ex marmore stratum est. Facies totius templi una cum summo altari actu novem exhibet aras, antiquioribus vetustate laborantibus dirutis, noviter constructas. De principe, cum digniora dici occurrant, explanatis antea lateralibus, ultimo dicemus; nunc seriem, qua iam collocatae e cornu epistolae visuntur, dabimus.

Prima ara una cum sumptuose constructo sacello Leopoldum I. pientissimum caesarem eiusdemque consortem Margaritam, Philippi regis Hispaniarum infantem, augustissimos eloquitur conditores, qui aram et sacellum admirabilis poenitentiae exemplari s. Petro de Alcantara dedicavere. Altare hoc ligneum atro colore imbutum auroque exornatum est. Pictura in medio s. Petrum, in gloria nubium sublimatum, exprimit, coram quo ambae caesareae maiestates una cum archiducissa, urbi Viennensi suffragia postulantes, genuflexae conspiciuntur. Scutum medio arae affixum erectionis diem et annum denotat hisce verbis: « Deo assistente, s. Petro De aLCantara patroCInante, feLICIter atqVe Laetanter aLtare hoC erIgItVr tertIo kaL. aVg. ». Cancelli deaurati utrimque marmoreis columnis splendide incumbunt et totum parietarium opus auro obductum cernitur. Caesareum hoc sacellum sicuti augustissima munificentia perenniter ornat, ita pontificum quoque gratia amplius magnificat, siquidem privilegio per sacrae missae sacrificium quotidie e piacularibus flammis liberandi animas perpetuo, etiam ante Benedicti XIII. dispensationem, existit decoratum. Ab huius sacelli regione erectum caesareum affabre elaboratum paret oratorium, quod bicipitis aquilae volitantis alae obumbrant, unguibus imperii sceptra, pectore vero aureas litteras L. M. initiales nimirum Leopoldi et Margaritae augustorum nomina gerentis cum inscriptione: « AVgVsto Caesari LeopoLDo et ContboraLI DILeCtae pLaCens serVIo ». Solent ex hoc oratorio augustissimae maiestates annuatim divinis interesse dominica secunda post pascha seu in solemnitate archiconfraternitatis boni pastoris, in festo sancti patris nostri Francisci et subin 19 Octobris die s. Petro de Alcantara sacro.

Secunda ara, ut iam diximus, in honorem s. Magdalenae sub cruce lacrymantis, sumptibus Leonardi Helfridi L. B. de Meggau anno 1614 surrexit, qui sub eadem pro se, sua familia suisque haeredibus per lineam rectam descendentibus sibi tumulum elegit, in hac crypta quoque sepultus. Beneficium consecrationis huic arae contulit illustrissimus d. Philippus Fridericus e com. de Breüner, episcopus Vien-

nensis die 8 Maii anno 1647 imponens reliquias s. Crucis, s. M. Magdalenae, s. Laurentii, s. Clementis m., s. Apolloniae v. m., s. Barbarae v. m., s. Dorotheae v. m., s. Ottiliae v., s. Elisabethae viduae. Altare huius sacelli vetustate ruinosum anno 1722 depositum, et aliud ex eleemosynis ad pias causas relictis erectum est ac in vigilia sancti Patris nostri perfectum.

Tertia ara, sanctissimis personis IESU, Mariae, Ioseph sub titulo *boni Pastoris* dedicata, est impendiis illustrissimae familiae baronum de Öppel etc. erecta et exornata. Sacellum cancellis ferreis artificiosa cum subtilitate elaboratis et mire coloratis clauditur; praeterea specialissimis etiam munitum privilegiis, dum impetrante reverendissimo d. episcopo Garzia et concedente Clemente X. summo pontifice, anno 1670 adscriptum ecclesiae s. Ioannis in Laterano urbis Romae, iisdem plane cum illa gaudet praerogativis. Singularem hanc gratiae apostolicae specialitatem, sicut per Urbem nullum reperitur huic aequale, ita Leopoldi I. caesaris promotioni pientissimae cum perenni adscribit gratiarum actione. Altari a praenominato episcopo eodem die et anno reliquiae impositae sunt: s. Dionysii m., s. Anastasii m., s. Amasii m., s. Victorini episcopi et m., s. Mansueti, s. Frumentii m., s. Ducerini m., s. Damiani conf., s. Martinae v. m., s. Gertrudis v.

Quartam aram una cum sacello in honorem s. Antonii Paduani condidit nobilis familia e com. de Trautmanstorff, cuius scutum gentilium in medio arae spectatur; in tabulis vero supra sacelli fornicem aureis expressum litteris legitur. In cornu dextro: D. AntonIVs MerItIs, atqVe operIbVs CLarVs; in cornu sinistro: Isto aLtarI eX traVtMansTorffIIs DeCoratVr. Ornatus tum altaris, tum sacelli (quod singulis feriis III. centum dierum indulgentiis perpetuo privilegiatur), ab huius thaumaturgi amatoribus copiose oblatus, diebus festivis, praecipue solemnioribus apparet pretiosus. Reliquiae in die consecrationis ab episcopo eodem inclusae sunt: s. Antonii de Padua, s. Adaucti m., s. Basilii m., s. Marii m., s. Hilarii m., s. Fortunati m., s. Adriani m., s. Liberii m., s. Amandi episcopi, s. Damiani conf., s. Ursulae v. m. et s. Claudiae martyris.

Iam aras in cornu evangelii recensebimus; prima ara ad laevam oratorii caesarei antea B. V. M. immaculate conceptae dicata et aere sodalitii dictae Immaculatae Virginis constructa, nunc S. P. N. Francisco sacra est, et elegans pictura, Seraphicum Patrem extaticum exhibens, beneficiorum eleemosynis accessit anno 1722 die 3 Octobris.

Secunda inaugurata fuit s. Michaeli archangelo, et solemnius condita sumptibus illustrissimi d. com. de Nostiz anno 1652. Hoc altari ruinae proximo, aliud et nobilius anno 1721 in honorem virgineae Matris immaculate conceptae statui curaverunt virgines urbis Viennensis, pia cum sollicitudine sumptum solutionis colligentes. Structura omnis una cum duobus ex utroque latere confessionalibus mille octingentorum florenorum impendiis stetit, ac in ipsa sine originali labe conceptae Virginis solemnitate primum hac in ara missa dicta; in octava vero solemne pro benefactricibus sacrum iustae retributionis gratia decantatum fuit.

Tertia olim honoribus s. Ioannis Baptistae dedicata, una cum sacello, quoad sua primordia pietatis opus est illustrissimi d. Ioannis Balthasari comitis ab Hoyos, qui sub data 15 Aprilis anno 1624 eandem in suum eatenus assumpsit plenum patrocinium, quatenus sibi suisque illustrissimis posteris subtus ea tumulandis perpetuo locum pararet. B. Ioanne a Capistrano sanctorum catalogo adnumerato, eiusque ca-

nonizationis solemniis hic rite peractis, veteri destructa, novam in neo-sanctificati honorem construxit aram, quae tandem in longe elegantiorem formam permutata optatae perfectionis apicem attigit die 24 Decembris anno 1725 propriis illustrissimae huius familiae sumptibus. Sacellum opere parietario undique ornatum ac scuto nobilissimae huius prosapiae insignitum est. Consecrationem idem, qui supra, perfecit episcopus Viennensis et reliquias imposuit: s. Fortunati m., s. Frumentii m., s. Prisci m., s. Victoris m., s. Amasii m., s. Candidae m.

Quarta demum in honorem s. Sebastiani militis et martyris erecta accessit gratiosissima munificentia excellentissimae dominae Mariae Susannae, comitissae de Colloredo natae de Montecucoli, quae ara, etsi ultima ecclesiae sit, nihilominus reliquas munificentia sua antecellit et pulcritudine; siquidem ad sui usque fastigium non solum ex nobilissimo assurgit marmore, verum et pictoria, statuaria et architectonica arte eleganter resplendet ad singulare oculorum delicium. Erecta fuit anno 1696 et in eodem sacello crypta sibi suaeque nobilissimae familiae condendis cineribus apparata. Huic altari eodem die et anno, ut supra, idem episcopus Viennensis reliquias imposuit: s. Anastasii m., s. Basilii m., s. Adaucti m., s. Relati m., s. Parthenii m., s. Claudiae m.

Maius altare, postquam vetus per integrum quasi saeculum persliterat, anno 1606 mera benefactorum liberalitate, praecipue domini Gerardi Theodori Vander Lahn, in magnificam, prout hodie spectatur, surrexit structuram, scrinario quidem et anaglyphico opere perfectam; verum arte et penicillo Andreae Pozzo e Soc. IESU, insignis per Italiam et Germaniam architecti et apellis, mire adeo adornatum, quod omnem huic locasse videatur operam. Structura omnis perspectivum pictoriae artis recessum ac vivo marmori simillimum apparatum, ad utrumque latus plures columnas, in supremitate grandem altamque testudinem exhibet. Sub hac Pater aeternus nubibus impendens graphice pictus exprimitur, infra quem Crucifixi imago artificiosissime sculpta apparet, per circumvolitantes genios coloribus adumbratos mirifice in altum levata. In medio huius arae, tribus supra tabernaculum gradibus, effigiei loco gratiosa prodigiosaque beatae Virginis ad laevam sacrum Tenellum gestantis sculpta imago publico cultui exposita cernitur, nobilissimis induta vestibus, corona persplendida stellisque duodecim in circulo aureo promicantibus coronata, in dextera sceptrum tenens cum maiestate, quam plurimum adaugent radii copiosissimi, ex nitido auro circumquaque refulgentes. Caput sacrae iconis Spiritus sanctus in specie columbae deargentatae obumbrat utrinque angelis cum argenteis cinctus lampadibus. Paulo inferius columnis incumbunt divi tutelares, ss. Hieronymus et Franciscus Seraphicus. Lampades argenteae aligeris sustentae pendent plures, diu noctuque lucentes, quarum binas pretii maioris Augustae Vindelicorum affabre formari et appendi iussit ex voto, sanitate obtenta, celsissima principissa Maria Antonia comitissa de Zobor, nata de Liechtenstein, quae prima vice accensae fuere in solemnitate immaculatae Virginis anno 1722 sub conventus gubernio r. p. Wolfgangi Sailer. Dempto lampadum lumine, in maioribus Domini et B. Virginis solemniis triginta et plures candelae ponuntur coram imagine circulo multiplicato accensae. Cuncta in sacra hac ara et gratiosae Virginis icone Mariae clientes non solum, ut mirentur, sed quae venerentur, habent. Duo hic sancta corpora ss. Benigni m. et Hilariae v. praeclare ornata alterum addunt arae decorem; primum ab Innocentio XI., postremum a Clemente XI. summis pontificibus dono traditum est. Utrumque,

priusquam publicae essent venerationi, in festiva apud nostros quinta dominica post pascha solita processione anno 1717 coram populo per urbem portatum. Denique totius altaris facies thronum soliumque praecelsum format, sub cuius medio Regina caeli, caelestium gratiarum dispensatrix et afflictorum consolatrix hic semper thaumaturga, quavis in calamitate ad se perfugientibus quotidianum agit asylum. Beneficiorum receptorum testes, recuperatae valetudinis, propulsorum morborum, periculorum, vinculorum etc. indicia, sunt collocatae ad utrumque latus altissimae pyramides innumeris prope argenteis opertae anathematibus; pendentes ubique tabulae, variorum membrorum simulacra donaria argento auroque expressa. Superfluum foret singillatim recensere pretiosissimum gratiosae iconis gazophylacium, cui pro honore virgineae Dei Matris augustissimarum maiestatum, imperatoriae, regiae, archiducales, principum, aliarumque primae nobilitatis personarum largae manus copiose contribuere. Satis erit referre, omnem thesaurum huic gratiarum matri proprium 100000 imperialium Rhenanorum facile excedere pretium.

Originem gratiosae huius iconis, de qua plures libelli typis vulgati habentur, quoad prima solum capita damus. A furentibus in horum imagines per Bohemiae regnum Hussitis haec cum ceteris plurimis igni absumenda committebatur; verum redactis in cineres reliquis, haec una inter flammas perstitit illaesa; non mitigatus Hussitarum furor tam insolito prodigio; altera item et tertia vice flammis dicata, tametsi ferreis perticis inter eos detineretur, nihilum violata cum fragore resiliit. Cum flammae nihil proficerent, securis admota est, ut in frusta solveretur. Non tulit audaciam B. Virgo; nam exanimis illico concidit, qui nefas audebat, illos vero dementia corripuit perpetua, quorum aut imperio aut conniventia perpetrata fuere sacrilegia. Uti poenam sacrilegii, ita reverentiae praemium tulit Ladislaus de Sternberg; cum enim adversus Turcam sub Rudolpho II. anno 1603 in Hungaria pugnaret, caesis 12 a se hostium millibus, imaginis huius, quam secum portabat, praesidio victoriam merito adscripsit; parta tanta victoria laetabatur nimium, et casu perditis aureis omnibus, solvere impotens, in auri locum pro pignore hanc iconem substituit, poenam quoque sui attentati luens, quoniam a Bohemis captus post reditum in carceribus vitam finiit. Viennam dein anno 1607 ad novam s. Hieronymi ecclesiam, ut perpetuae esset venerationi, delata et r. patri Gulielmo Pery, praecipuo B. V. cultori, famoso tunc contra haereticos concionatori, immanuata fuit, usque in hanc diem gratiis et prodigiis clarissima. Anno 1612 grassante morbo contagioso, singularissimum confugientibus ad illam erat salutis remedium. Anno 1633 mandante Ferdinando II. imp., ut reipublicae consuleretur tranquillitati, publica cum processione per urbem, concomitante universo clero, pompose portata fuit. Anno 1679 saevientem tremende pestem ea ipsa die, qua per urbem iubente Leopoldo I. deferebatur, sedavit. Anno 1713 iterum grassante lue, non obstante omnis confluxus publici stricta inhibitione, processionaliter ad forum mediae urbis, *Graben* dictum, delata, prout Carolus VI. imp. voluit, publicis precibus et concionibus honorata fuit ad summum omnium comprecantium solatium.

Patet ad hoc templum per triplicem ianuam accessus, quarum binae et minores in medio ecclesiae se invicem respiciunt, per unam a dextris ex platea, per alteram a sinistris ex conventu et domo capitulari, de qua infra, intratur. Tertia et principalis ianua, ubi et frontispicium totius ecclesiae solum sua vetustate venustum conspicitur, versus spatium et aedes saecularium sese aperit, super cuius fronte s.

Hieronymus, templi tutelaris, inter S. P. N. et s. matrem Claram medius iconographice exprimitur. Scripturam adnexam, quisquis viator est, legit sequentem: « Aedes hae cum conventu, DEO, Immaculatae gratiarum Matri Virgini ac d. Hieronymo sacratae Fratres Minores continet, qui primi et veri filii per lineam rectam a divo Francisco descendentes, regulam ab ipso fundatore professam sine ulla dispensatione observant, relicto aliis d. Francisci corpore, eiusdem spiritum, cor et usitatum ab eo sigillum conservant; ac de inhabitato usquemodo Alverniae monte s. Francisci stigmatibus celebri et de retenta Mariano-Portiunculana domo, velut prima totius seraphici Ordinis matre, vita et morte s. Francisci gloriosa iubilantes, etiam post tempora Leonis X. penes praecedentiam multos beatificatos et canonizatos confratres numerant, ac glorioso Christi sepulcro aliisque redemptione nostra in Palaestina sacratis locis iam ultra 400 annos serviunt; solique promissioni a Deo divo Francisco factae ac paupertati tam in communi quam particulari velut singulari lapidi innituntur. Anno *InCarnatIonIs DoMInIcae* ».

Templi fabricae ad laevam contigua est consecrata ecclesiola, tribus sustentata columnis, uti profertur, primitus pro poenitentibus sororibus aedificata, iam vocabulo vulgari *domus capitularis*, cum olim in ea statis diebus correctiones fratribus fierent, nuncupata. Aram s. p. Francisco, etiam tertii Ordinis et chordigerorum fundatori, inauguratam anno 1731 die 25 Augusti consecravit reverendissimus dominus Iosephus de Braitenbucher, episcopus Antigonensis, archiepiscopi Viennensis vicarius generalis et suffraganeus. Menstruatim hic congregatur perdevotus utriusque sexus tertiariorum coetus, exhortationibus aliisque consuetae pietatis operibus ferventer intendens. Hispanica nobilitas potissimum tertio Ordini adscripta singulis quoque mensibus suam devotionem sub sanctissimi expositione, quod constanter hic asservatur, celebrat, hebdomatim sacram viam crucis peragit, in quadragesima vero, praemisso e pulpito sermone hispanico, singularem iam ab anno 1717 devotionem exercent in patientem Iesum. Festivis, praecipue solemnioribus diebus, pro deponenda sacra peccatorum confessione copiosus fit personarum illustrium accursus. Solent in sacra hac aedicula ob loci devotionem ac piam commoditatem frequentiores haberi extra tempora ordinationes, plures nobilissimae etiam prosapiae tum mitra episcopali, tum infula abbatiali decorari, plures abiurata haeresi ad fidei catholicae professionem assumi.

Sicut supra fores maiores templi chorus grandior saecularium et super ianuas laterales pro illis pergulae aliae visuntur, ita post summum altare chorus fratrum habetur spatiosus satis et capiendis centum fratribus capax; in quo divina psalmodia solemni ritu ac hilari voce, personantibus etiam organis, die noctuque alternis choris persolvitur; quotidie sacrum, per hebdomadam saepius litaniae lauretanae decantantur. Organum hoc, artificium est domini magistri Ioannis Wöckerl, inter artificiosa quaeque urbis reputatum, erectum anno 1642 sub a. r. p. Aegidio Schiesel provinciali et r. patre Seraphino Bernardi guardiano, impendiis piorum, praecipue domini Maximiliani Pichler, officialis caesarei et supremi officii postarum praefecti, nec non domini Ioannis Wünsauer, cathedralis ecclesiae ad s. Stephanum capellae magistri, qui pro retributione sibi post obitum sepulturam in nostra ecclesia concedi postulavit. Spectantur hic duo nobiliora ex marmore ad modum ararum constructa epitaphia; sinistrum exprimit extremum iudicii diem mortuosque ad sonitum tubae e sepulcris resurgentes; dextrum exhibet flagellis caesum, columnae alligatum Salva-

torem; utrumque sculptoria arte mirifice est elaboratum. Primum sequentem tenet inscriptionem:

D. O. M.

Ioanni Casparo a Schönau in Stein, Ronsperg et Altstötten etc. viro nobilissimo, qui praeclarissimis rebus terrae marique, in Gallia, Italia, Belgio, Portugallia, praesertim in maritimo praelio ad Terferam et Hungaria in expugnatione Strigonii, quo tempore ducem ac praefectum auxiliariorum peditum Sueviae egit, laudabiliter gestis, febri ardentissima correptus et huc Viennam Austriae delatus, irreparabili christianae militiae iactura XII. Sept. anno MDXCV. aetatis vero suae L. magno omnium luctu extinguitur; matrona nobilissima Sabina de Schönau, nata ex nobili prosapia de Stein, Vidua, et Fratres moestissimi altare hoc marmoreum tum ad DEI gloriam, tum pro monumento PP.

Alterius inscriptio est talis:

D. S.

In sui familiaeque suae animarum aeternam salutem D. Stephanus Engelmayr, Corneuberg. I. C.tus d. Rudolphi II. Rom. Imp. Consiliarius, ac Regim. Infer. Austriae Assessor, et D. Anna Wolfg. Grienbaldi F. Coniuges PPP. ac dotarunt MDXC.

§ 6.

Nobiliores ss. reliquiae.

Insignis particula sancti ligni, in quo Salvator redemptionis nostrae opus consummavit, gemmis pretiose exornata, crucifixo, cui adstat Mater Virgo et virgineus discipulus, gravioris ponderis ex argento fuso et deaurato imposita. Singularissimo in nos affectu dono data ab illustrissima domina Maria Magdalena L. B. Khuenin, nata Werbin, conventus nostri Lembacensis fundatrice; solet singulis s. Crucis festivitatibus publice exponi et devotae plebi ad deosculandum tradi.

Spina e passi Redemptoris corona, conditorio argenteo et deaurato ac mire elaborato clausa, quae omnibus dominicis quadragesimae, post concionem pomeridianam et litanias decantatas, piorum fidelium copiose confluentium osculo defertur.

Dens cum mandibuli parte s. Appolloniae v. et m. in monstratorio argenteo deaurato publico fidelium cultui in eius festo exponitur.

Reliquiae ex osse s. Hieronymi, presbyteri et ecclesiae doctoris, monstrantiolae argenteae et deauratae praeclaro opere inclusae.

Reliquiae itidem de corpore s. Didaci confessoris eodem modo sub argentea et deaurata monstrantia clausae.

Reliquiae item s. Margaritae de Cortona, similiter custoditae in monstrantia argentea deaurata, devotioni quotidianae una cum eiusdem s. poenitricis effigie, ceroplastis arte affabre efformata, in ecclesia expositae sunt.

Tunica s. Ioannis Capistrani confessoris; item eius calepodia et stola albi coloris, qua, dum christianum exercitum contra Turcam pugnare cupientem quavis vice benediceret, uti solebat. Scriptura authenticae loco ei adnexa ita legitur: « Haec stola donata est excellentissimo domino comiti Ioanni a Rothall, sacrae caesareae maiestatis consiliario intimo et pro tunc apud status superioris Hungariae plenipotentiario, qua ex antiqua traditione dicitur b. Ioannes Capistranus usus in bello Turcico, dum exercitum nostrum benedixit et feliciter pugnavit ». Et haec ab eodem excellentissimo domino comite almae Provinciae Austriae oblata est, ut a suis confratribus maiori habeatur in veneratione et observantia.

Imago sculpta B. Virginis lauretanae, plurimum olim devota b. Aloysio a Gonzaga, attacta suo originali lauretano, s. linguae Antonii Paduani, aliisque ss. reliquiis; plurimis annorum lustris larium nobilissimae familiae a Gonzaga tutelaris erat, donec ab ea ad illustrissimam prosapiam comitum de Dietrichstein transiret, ubique in privatis sacellis peculiaribus cum honoribus aestimata; ultimo tandem sub dato 8 Octobris anno 1706, assentiente illustrissimo domino Philippo Seyfrido e comitibus de Dietrichstein, per dominam Mariam Franciscam de Schardin L. B. de Innig nostris nostrorumque perpetuae devotioni tradita est. Cum traditione venerabilis huius iconis et subscriptione donationis praefati domini comitis instrumentum quoque aliud pie tradens, in manibus p. Honorii Pufer, tunc nostrae gratiosae Imaginis thesaurarii, reliquit.

Enarratis accedit casula cum manipulo rubri coloris, quibus sacerdos ordinis nostri indutus Pragae die 15 Februarii anno 1611, dum actu ad aram sacra faceret, ab impiis una cum aliis quatuordecim patribus et fratribus illius conventus occisus est. In ea hodiedum puncturae duae sanguine rubentes visuntur.

§ 7.

Nobilium sepulturae, confraternitates, devotiones etc.

Nobilium sepulturae ac marmori inarata epitaphia in ecclesia reperiuntur praeter duo in choro recensita quindecim, familiae vero nobiliores tumulum sibi perpetuo in ea deligentes sunt: serenissima domus de Gonzaga, comitum de Meggau, Colloredo, Rothall, Trautmanstorff, Hoyos, Catterburg, Nostiz, Sonnau etc. liberorum baronum: de Oppeln, Walldorff, Blauenstein, Aichen etc. Ceteras nobiliores personas hic requiescentes nominatim tangere, cum nimis prolixum foret, consultique omittimus; solum referentes cryptas, quarum 19 sanctis nostri ordinis inauguratae numerantur, abunde cineribus plurimorum procerum nobilitatas, maxime pretiosas reddi ab exuviis archiducis Mathiae, Rudolphi II. caesaris filii, qui in seraphicam religionem affectuosissimus, post obitum franciscano habitu indui et inter fratres tumulari petiit, et post altare maius in crypta nostrorum, s. Didaci nuncupata, sarcophago clausus anno 1626 sepultus est.

Anno supradicto 1607, Paulo PP. V. concedente, sodalitas Immaculatae Virginis honoribus, anno 1670 confraternitas altera Iesu, Maria, Ioseph sub titulo *boni Pastoris* solemniter erecta est; horum albis non solum principes et primae nobilitatis perso-

nae, verum etiam coronata augustissimorum, regum, archiducum, utriusque sexus capita sua nomina dedere. Utraque seu prima seu ultima cuiusvis mensis dominica suam post piam ad sodales adhortationem celebrat processionem, bis per annum quadraginta continuo horis sub sanctissimi expositione preces. Ad remotiora etiam, explicatis velis et vexillis, sacra petit loca, nimirum ad Cellas Marianas in Styria, ad Prata Mariana in Hungaria, ad aedes b. v. Hiezinganas et Lanfendorffenses.

In hac devotissima ecclesia singulis diebus dominicis et festivis per annum solet haberi ad populum concio, in quadragesima vero etiam a meridie singulis itidem dominicis, feriis III, V. et sabbato. Tertius ordo iam a septuaginta et pluribus annis introductus, qui cum augustissima Eleonora Leopoldi I. caesaris coniuge non paucos serenissimos etiam eminentissimos principes numerat filios et filias; functiones solemnes habet dominica secunda cuiusvis mensis; tertia vero confirmatam novissime a Benedicto PP. XIII. *viam crucis*, die 21 Iulii anno 1726 sub provincialatu r. p. Sigisberti Wagner erectam, christifideles devotissime peragunt. Et quoniam hic optatam cunctus populus nanciscitur pietatis exercendae opportunitatem, copiosissimus diebus festivis ad hoc templum est confluxus, exinde colligendus amplius, quod ad instantiam celsissimi principis et episcopi Viennensis anno 1720 datus numerus sacrificantium novemdecim millia; communicantium vero centum triginta tria millia sexcenta et nonaginta facile formaverit.

Non solum ad intra, sed et ad extra in aliis ecclesiis pius labor fratrum est continuum apud fideles seu excitandae seu conservandae devotionis studium: hinc ad s. Petrum, quod templum est in urbis meditullio prius a Carolo Magno anno 800 aedificatum, ultimo anno 1702 elegantissime e fundamentis erectum, omnibus diebus dominicis et festivis ante et pomeridiano tempore a nostris perficitur ad populum concio, sacra cantantur, quotidie iussu Leopoldi I. missa dicitur, annuatim processio solemnis ad montem sanctum 18 leucis Vienna dissitum versus superiorem Austriam ducitur, dominica ultima Octobris coram augustissimis maiestatibus panegyris gratiarum actoria ob eliberatam a peste Viennam ante colossum sanctissimae Triadis peroratur.

In cathedra, confessionali et altari sacras functiones nostri faciunt quoque in sanctimonialium ecclesiis quinque mox nominandis: ad Caeli Portam, ordinis s. Augustini canonissarum monasterium, iam ab anno 1600; ad s. Iacobum, itidem eiusdem ordinis coenobium, ab anno 1710; ad s. Laurentium, etiam eiusdem instituti claustrum, quoad confessionale centum et pluribus annis, quoad ecclesiae ministerium ab anno 1710; ad Reginam Angelorum et ad s. Nicolaum, ubi parthenones sunt sororum nostrarum ordinis s. Clarae. His accedit Fanum vetustissimum s. Ruperti episcopi, ubi a nostris ab anno 1555, quo hic locus post incineratum a Turcis s. Theobaldi conventum noster esse coepit, sacrae fiunt operationes quotidie ad aram.

Priusquam ad secundum Provinciae conventum transeamus, ultimo formam sigilli conventus, quod ipsum etiam imposterum observabimus, calamo exhibemus: visitur in huius medio s. Hieronymus cardinalitia dignitate et vestibus refulgens; supra caput pileum, in dextra pedum cum bina cruce, in sinistra ante pectus librum gestans apertum, retro leo spectatur ad pedes huius sancti sese devote procumbens. Sphaerice effigiem ambiunt litterae: SIG. CONVEN. FRANCISCAN. VIENNEN. 1652. Numerus appositus annum denotat, quo singula per Provinciam conventuum sigilla ad instam formam et aequalem magnitudinem sunt redacta, a lectore benevolo quoque in sequentibus attendendus.

§ 8.

Numerus omnium fratrum et sororum in Provincia Austriaca DEO famulantium.

1. Viennae in conventu	146
2. Graecii.	90
3. Clagenfurti	30
4. Ad s. Hippolytum	37
5. Claustroneoburgi	21
6. Loysii	32
7. Egenburgi.	28
8. Iudenburgi	23
9. Kazstorffii	20
10. Lancovitii.	50
11. Puppingae.	26
12. Lembaci	20
13. Greinburgi	20
14. Fisterstorffii	24
15. Enzerstorffii	22
16. Ybbsii	18
17. Ad s. Vitum	15
	622
	622
18. Feldspergae	25
19. Stockeravii	22
20. Feldbaci	30
21. Merzuschagii	20
22. Maulternae	18
23. Hainburgi.	22
24. Lanzendorffii	33
In residentiis monialium	15
Extra Provinciam degentes . . .	11
Numerus omnium ff.	820
Sanctimonialium s. Clarae.	
Iudenburgi in Paradyso	39
Viennae ad s. Nicolaum	39
Graecii ad omnes Sanctos . . .	46
Viennae ad Reginam	58
	182
Personae religiosae universim . .	1002

CAPUT III.

§ 1.

II. Conventus Graecii in metropoli Styriae ad B. Virginem assumptam; de regione Styriae et urbe Graecensi.

Fecundissima Styriae regio in ducatum elevata e marchionatu a Friderico caesare anno 1165. Petrosa quidem et montibus aspera, sed ob permagnam sylvarum caeduarum incaeduarumque copiam, ferarum sylvestrium caelique volatilium, maximum numerum pratorum, agrorum umbrosarumque vallium amoenitatem, frumenti etiam et vini abundantiam, totius denique terrae pinguedinem iucunda nimis; ferro, sale, vivi argenti fodinis praedives. Ab oriente adiacentem habet Hungariam, ab occidente archiepiscopatum Salisburgensem et Carinthiam, a meridie Carnioliam, a septentrione Austriam.

Urbs haec laevo praeterfluentis Murae littori insidens, metropolis est ducatus Styriae domui Austriacae haereditario iure subiecta, cuius certum ortum, cum nulla praeluceant indicia, humana mens aegerrime assequetur. Habet pro ordinario celsissimum et reverendissimum principem et archiepiscopum Salisburgensem, cuius loco celsissimus et reverendissimus princeps et episcopus Seccoviensis ut vicarius generalis residet. Urbis huius totum ambitum vallant alta moenia, propugnacula et

fossae profundae, si unum excipio latus, ab affluente fluvio custoditum. Habet annexam rupem excelsam, cuius verticem coronat fortissima arx, omni bellico apparatu egregie instructa, in qua videtur prodigiosus puteus per durissimam petram ad usque montis radicem improbo labore deductus, et unum est ex mirabilibus ab arte confectum. Inter ipsa autem reliqua civitatis aedificia primatum sibi aula vendicat, quam a Friderico IV. imperatore cognomine *pacifico* e fundamentis eductam in constantem sibi sedem elegere bini archiduces Ferdinandi I. filius et nepos, Carolus nempe et Ferdinandus, antequam iste totius imperii clavo admoveretur. Instituta sunt hic suprema 4 tribunalia, videlicet intimum consilium, excelsum regimen, cuius caput est ipse urbis locumtenens, camera cum suo peculiari praeside, quae tria toti interiori Austriae iura dicunt, quo nomine non modo Styria, sed et Carinthia et Carniolia cum Goritiensi comitatu comprehenduntur; quartum demum est consilium bellicum, quod anno 1558 archidux Carolus primo concivit, ut turcicis confiniis excubaret.

Viget etiam domus provincialis, ubi comitia sua cogunt provinciae status, sicut et sua civibus est curia, quos consul, iudex et senatus moderatur. Floret hic universitas ab anno 1585 philosophicis et theologicis disciplinis praeter humaniores musas inclyta; cui nectuntur collegium pp. Societatis Iesu cum aulica divi Aegidii, Graecensis tutelaris, basilica, architectura pretioque augusta, quod Ferdinandus II. divae Catharinae v. et m. in odeum, sibi vero in mausoleum posuit. Cetera huius urbis templa, nostro excepto, de quo inferius specialiter, sunt: parochiale sacratissimo Sanguini sacrum. Templum divi Pauli cum adiacente monasterio patrum Augustinianorum calceatorum, vulgo de *larga manica* dictorum. Templum divi Antonii Paduani cum annexo patrum capucinorum asceterio, cui vicinum est templum s. Iosephi patribus Carmelitis discalceatis adscriptum. Templum s. Leonardi cum monasterio sanctimonialium divi Dominici, quod ut dicemus, olim a nostris inhabitatum. Templum Omnium Sanctorum cum monasterio ordinis s. Clarae monialium. Templum Deiparae ab angelo salutatae cum monasterio sanctimonialium Carmelitanarum in littore Murae sito. Templum sanctissimae Trinitatis ad eiusdem fluminis ripam cum monasterio Ursulinae societatis. Extra urbis huius moenia seu in suburbiis templum s. Ioannis Baptistae cum monasterio patrum capucinorum. Templum s. Annae cum eremitarum s. Augustini quos discalceatos vocant, monasterio. Templum B. V. Auxiliatricis, cum monasterio fratrum minorum conventualium. Templum divi Andreae olim parochiale cum monasterio patrum Dominicanorum, cui vicinum est orphanotrophium cum aedicula sanctorum Innocentium. Templum s. Laurentii cum monasterio monialium s. Elisabethae. Templum cum Lauretano sacrario et monasterio fratrum misericordiae ex ordine s. Ioannis de Deo. Sacellum s. Georgii cum annexo coemeterio pauperum. Tandem extra suburbia, qua contra fluvium ascenditur, extat rupes quaedam, ad repraesentandum Calvariae montem a natura mire aptata et ab arte electa, cum plurimis ac venustis sacellis, pro singulari Graecensium devotione.

§ 2.

De veteri loco ad s. Leonardum extra muros.

In hac urbe fratres minores de observantia olim non fuerant, sed solum fratres minores conventuales; postquam autem s. Ioannes a Capistrano anno 1451,

pontifice domino Nicolao quinto, ad imperatorem Fridericum legatione fungens in Austriam appulit, factum est, ut ad instantiam eiusdem imperatoris anno 1463 eminentissimus s. r. e. cardinalis et archiepiscopus Salisburgensis, apostolicae sedis legatus Purchardus etc. annueret, quod fratres minores de observantia ad ecclesiam s. Leonardi monasterium erigere, ibique iuxta privilegia apostolica eis indulta Deo famulari possint; quibus fratribus imperator Fridericus, edito diplomate anno 1471 die 16 Aprilis, solum adiacentis agri, in quo monasterium iam erigere inchoassent, cum aedificiis aliisque appertinentiis donavit. Primus huius loci guardianus erat r. p. Alexander de Bosonio, vir ob vitae integritatem et singularem dexteritatem rarus. Praedictum conventum nostri fratres incoluere per 40 et plures annos. Interea accidit, quod ob incussum a Pannoniae rege Mathia Corvino armorum metum plurima in suburbiis aedificia, ne hosti esse possint scuto, diruerentur ac solo aequarentur, inter quae etiam erat extra portam ferream monasterium sanctimonialium ordinis s. Dominici, ceteris aedificiis supereminens; unde dictae sanctimoniales, in urbem se conferentes, privata in domo habitabant, usquedum anno 1495 Maximilianus I. Romanorum rex cum serenissima coniuge Planka Maria Alexandro P. VI. supplicavit, ut dictis sanctimonialibus coenobium s. Leonardi, quod nostrum erat, de benignitate apostolica assignaret; traductis inde fratribus in monasterium fratrum conventualium hac lege, ut quicunque ex conventualibus reformam sequi vellet, libere illic cohabitare posset. Postquam enim anno 1514 die 27 Martii a Maximiliano Romanorum imperatore expositum fuit Leoni P. X. quod fratres conventuales in urbe hac dissolutam ducerent vitam et a regularium institutis alienam, emanavit breve apostolicum Leonis X. ad provincialem praedictorum conventualium, quatenus eosdem in hoc ipsorum conventu reformaret et ad honestiorem vitam reduceret, decernendo, ut, si recusaverint vel a reformatione deviaverint, ex tunc dicta domo perpetuo privati existant et ipsa domus ad fratres minores de observantia eo ipso devolvatur. Tenor bullae pontificiae est talis:

LEO PP. X.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem. Ex ministerio operationis nostrae provenire debet, ut, religiosa loca salubriter dirigantur, ut in eis regularis disciplina servetur ac omnis bene vivendi institutio adimpleatur. Cum itaque, sicut carissimus noster in Christo Maximilianus in Romanorum imperatorem electus, semper augustus, nobis nuper exponi fecit, dilecti filii fratres domus oppidi in Gratz ordinis fratrum minorum, Salzburgensis dioecesis, sui temporalis dominii, vitam admodum dissolutam et a religione et ipsius ordinis regularibus institutis alienam ducant, ac eorum vita et mores apud incolas et habitatores dicti oppidi scandalum generent, et alias dicta domus in spiritualibus et temporalibus multipliciter deformata existat in religionis opprobrium et perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, ipsiusque domus bona non augeantur, sed potius consumantur, nec spes verisimilis sit, quod in dicta domo deinceps fratres conventuales sub debita regularis observantiae disciplina et odore bonae famae vivere habeant, sed potius ipsa domus deformationis opprobrio et desolationi subiaceat, cum minister et eorum visitatores ipsos reformare et eorum mores corrigere hactenus neglexerunt et negligant; sed si dicta domus et illius personae reformarentur, ac fratres dicti ordinis regularis observantiae intro-

ducerentur, ex hoc profecto divinus cultus et regularis observantia in eadem domo propagaretur; quare praefatus Maximilianus imperator nobis humiliter supplicari fecit, ut regularis observantiae propagationi circa visitationem et reformationem huiusmodi providere de benignitate apostolica dignaremus: nos itaque, qui religionis honestum et divini cultus augmentum et animarum salutem nostris potissimum temporibus sinceris desideramus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus ac mandamus, quatenus ad eandem domum personaliter accedens et solum Deum prae oculis habens, domum ipsam et illius singulares personas in capite et in membris, prout iuxta ipsius ordinis constitutiones et regularia instituta expedire videbitur, reformes et illius fratres ad honestam vitam reducas, decernentes, quod si id facere recusaveris, seu fratres dictae domus post reformationem fiendam ullo unquam tempore a reformatione huiusmodi deviaverint, ex tunc dicta domo perpetuo privati existant, et ipsa domus ad fratres praedictos de observantia eo ipso devolvatur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis, iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, nec non privilegiis et indultis ac litteris apostolicis et de concordia nuncupatis, tibi et generali ac ministris et fratribus conventualibus per romanos pontifices, praedecessores nostros, ac etiam per nos sub quibuscunque tenoribus concessis et confirmatis ac etiam in capitulo generalissimo ipsius ordinis in Urbe celebrato emanatis, etiamsi in illis caveatur expresse, quod fratres conventuales omnes domos et conventus habitationum suarum, quae tunc obtinebant et possidebant, et perpetuo tenere et possidere deberent in futurum, et quod fratres de observantia a receptione domorum et locorum huiusmodi sub poena excommunicationis omnino abstinerent. Quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, nec non quibusvis contradictionibus per eos, qui redditus eidem domui donarunt, seu ipsorum haeredes forsan faciendis, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 27 Martii anno 1514 pontificatus nostri secundo.

Cum autem pontificium mandatum exequi recusarent, ab imperatore Maximiliano specialiter deputati commissarii, nempe reverendissimus dominus Ioannes, sacri ordinis Cisterciensis abbas s. Mariae in Runa, quod est coenobium binis milliaribus Graecio distans, aliique viri quatuor tum ecclesiastico tum saeculari charactere nobiliore insigniti eorum accesserunt conventum, inquirentes, an hanc reformationem acceptare vellent iuxta praefatae bullae apostolicae tenorem. Verum asserentes patres conventuales, se non solum non esse reformatos secundum regularia instituta fratrum minorum de observantia, sed neque in futurum eorundem observantiam acceptare posse aut velle, cum nullatenus sub obedientia aut gubernio degant ministri generalis fratrum minorum de observantia. Eadem die, id est, 7 Maii 1515, domini commissarii caesarei coram toto fratrum conventualium conventu eorumque superioribus super haecce responsa solemniter protestati fuere et apostolicum breve producentes, secundum illius vigorem praedictos fratres conventuales monasterio privarunt, ac auctoritate apostolica et caesarea stipati nostros fratres ex loco s. Leonardi, nedum plene exstructo, ad horum conventum et ecclesiam B. V. in caelos assumptae dedicatam induxerunt. S. Leonardi locus vero tum sanctae sedis, tum caesaris auctoritate tunc cessit sanctimonialibus ordinis s. Dominici. Solemne nostrae

introductionis instrumentum notarii publici et commissariorum subscriptione communitum est, ut mox ponitur.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quingentesimo quinto decimo, indictione tertia, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Leonis divina providentia papae X. anno eius tertio, die vero lunae, quae erat septima Maii, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum, ad haec specialiter vocatorum et rogatorum, praesentia personaliter constituti, venerabiles ac religiosi viri domini, Iacobus Turner Ordinis minorum, custos custodiae Styriae, nec non Georgius Scupel eiusdem Ordinis Conventualium guardianus ac tota communitas conventus Ordinis praefati monasterii prope pontem in Gräz, Salisburgensis dioecesis, requisiti a reverendissimis, magnificis et nobilibus viris ac dominis, domino Ioanne, abbate sacri Ordinis Cisterciensium monasterii s. Mariae in Rhuna, egregio domino doctore Augustino, commissario in Gredbein, deinde domino Andrea Spongstainer, vice-capitaneo Styriae, domino Leonardo de Ernau, vice-domino Styriae, domino Christophoro Myndorffer, praefecto castri in Gräz, Salisburgensis dioecesis, praefatae sacrae caesareae maiestatis nuntiis et commissariis specialiter deputatis ad reformandum conventum praedictum, et ad inquirendum singulariter in singulis, an dictus conventus in capite et membris foret reformatus iuxta tenorem, vim, formam et modum cuiusdam brevis apostolici a praefato sanctissimo domino nostro Leone papa X. ministro Conventualium Austriae directi. Responderunt praedicti fratres et domini custos, guardianus una cum communitate praelibata asserentes, se non esse omnino reformatos secundum regularia instituta fratrum minorum de observantia, immo quod nec in futurum eandem omnimodam observantiam et reformationem assumere et acceptare vellent, nec esse sub obedientia generalis vicarii dictorum fratrum de observantia. Quae omnia et singula dicti domini commissarii protestati sunt, et vigore praenominati apostolici brevis praedictis fratribus et dominis Conventualibus Ordinis minorum emissis, introduxerunt fratres Minores de observantia, familiae cismontanae, Provinciae Austriae. Unde praedicti commissarii me notarium subscriptum rogarunt, quatenus eis in fidem et testimonium praemissorum, unum vel plura conficerem instrumentum vel instrumenta. Acta sunt haec in monasterio fratrum minorum prope pontem in Gräz, praedicto anno, indictione, die, mense et pontificatu quibus supra. Praesentibus ibidem providis ac circumspectis viris et dominis: Wolfgango Spongsteiner, Heinrico Ernst Salisburgensis et Ioanne Melmeisl Pataviensis dioecesis, testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis. Et ego Ioannes Tettenhaymer, clericus Salisburgensis dioecesis, sacris apostolica et imperiali auctoritatibus notarius publicus, quia dictae inquisitioni, responsioni, protestationi omnibusque et singulis praemissis, dum sic fierent et agerentur, una cum praenominatis testibus praesens interfui eaque omnia et singula sic fieri vidi et audivi, ideo praesens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum confeci, scripsi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi signoque, nomine et cognomine meis solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium praemissorum vocatus, rogatus et requisitus.

Fratres nostri igitur tum apostolica tum caesarea auctoritate ita introducti possessionis initia sumpserunt die 7 Maii anno 1515. Die 25 Octobris 1517 conventus seu locus s. Leonardi una cum ecclesia per dominos abbatem Rhunensem et Sigismundum a Dietrichstein, tunc Provinciae capitaneum, monialibus Dominicanis perpetuo adscriptus est.

§ 3.

De conventu Graecensi ad B. Virginem in caelos assumptam.

Quod ad fabricam pertinet, conventus hic quoad habitacula fratrum plurimum ampliatus fuit, ita ut secundum hodiernum statum 90 religiosos inquilinos numerare posset, ad initium introductionis nostrae vix [tertiae] partis capiendae sufficiens; ampliatio huius piorum Graecensium sumptibus successive facta est; de origine autem et fundatione prorsus nihil constat, et creditur notitiam omnem cum exeuntibus patribus Conventualibus exivisse. Conventus hic situs est peramaeno cum prospectu in laeva Murae fluminis ripa, prope portam civitatis, qua ad suburbium per immediatum pontem (a flumine Muranum dictum) pervenitur; ex una parte aedibus saecularium, ex altera ecclesiae structura circumdatur. Habet adnexum hortum tenui solum deambulationi deservientem, fontem quoque, non tamen salientem, sed fratrum simplici usui necessarium. Circa viridarium plures conspiciuntur officinae pro lotura, arcularia, sutoria etc. diligenter adaptatae. Conventus duplici provisus est dormitorio, quod tum hospitibus tum domesticis cellas peraccommodas subministrat ac copiosas. Valetudinarium quoad fratrum infirmorum habitacula paucis ab hinc annis recenter exstructum, cum contiguo sibi sacello et pharmacopaea, sanitate destitutis tum indigenis quam alienigenis est ad plenum solatium. Viget hic studium theologiae scholasticae more apud reformatos recepto, item polemicum seu controversisticum cum non exigua apud exteros commendatione. Sustinet iste conventus omnes in schola crucis Christi tyrones et totius Provinciae novitios, quorum quotannis etiam 30 post finitum probationis annum sacram emittunt professionem, secundum necessitatis Provinciae exigentiam. Horum domicilium in hunc finem bene adoptatum et necessariis, etiam bibliotheca instructum reperitur. Alia, quae librorum cornucopiam lectoribus, praedicatoribus, asceseosque amatoribus exhibet, praeter libros typo gothico impressos a dimissis patribus conventualibus relictos, eleemosyna et fundatione 4 illustrissimarum domicellarum Graecensium et sororum: Veronicae, Ursulae, Reginae et Ioannae de Hollneck anno 1612 conventui obvenit.

§ 4.

De templi facie et eius altaribus.

Conventui huic immediate nectitur cum spatioso choro ipsum templum peraltum, sat amplum et longum, divinae Virgini ad caelos assumptae, ut supra retulimus, dedicatum: frequentia populi tum civitatensis, tum suburbani, sicut et nobilitatis copiosissime affluentis in urbe multum celebre. Huius consecratio, etsi dies et annus eiusdem nesciatur, facta fuit, dum claustrum cum ecclesia possidebant fratres Conventuales. Dedicationis tamen dies celebratur dominica prima post gloriosam B. Virginis assumptionem. Numerat actu altaria cum sacellis XI, quorum aliqua de novo erecta, alia ob vetustatem restaurata et renovata fuere una cum totius ecclesiae subselliis, cathedra et maiori saecularium choro, singula singularem totius ecclesiae faciei iam addunt decorem ac venustatem. Ara maior arte statuaria affabre elaboratam

iconem b. Virginis in caelos assumptae, a celebri huius urbis pictore nomine de Hauck artificiose pictam repraesentat. A tergo huius arae maioris, seu subtus chorum fratrum, altera exhibet b. Virginis dolorosae sculptoria arte expressae effigiem, quam pia plebs fidelium singulari ac quotidiana devotione prosequitur, praecipue feriis sextis et toto quadragesimae tempore. Aram maiorem duo sequuntur sacella parva, quorum primum ex cornu epistolae imaginem b. Virginis scilicet, alterum ex cornu evangelii montem Oliveti, super quo Christus ad Patrem orat, exhibet ex duro lapide. Hoc ex eodem cornu sequitur aliud magnifice sub throno sedentis et statuario opere gratiose effigiatae b. Virginis altare. Item altare s. Barbarae v. et m. morientium tutelari sacrum, et demum sacellum maius aviae Christi s. Annae honori una cum crypta consecratum. Ex cornu epistolae, praeter supramentionatum sacellum b. Virginis cernitur ara s. Michaelis archangeli, s. p. n. Francisci, sanctissimi Salvatoris cruci affixi et sacellum maius s. Antonii Paduani. Arae omnes ex ligno, variis coloribus auroque imbutae, venuste elaboratae sunt, piorum impensis vel noviter erectae vel innovatae. Sacellum thaumaturgo Paduano sacrum templo huic adiectum est anno 1650 sub reverendo patre Paulo de Tauris ex-provinciali, tunc guardiano Graecensi ac custode actuali, qui benefactorum aere huius sacelli fornicem opere gypsario totaliter obduci ac pervenusta pictoris manu miracula huius sancti exprimi, pavimentum marmore tegi cratibusque muniri fecit, quod paucis abhinc annis denuo renovatum, ampliatum et splendidius pictoria arte exornatum est.

Altare sub choro: s. p. n. Francisci, s. Barbarae et sanctissimi Crucifixi die 25 Septembris 1728 reverendissimus princeps et episcopus Secoviensis Iacobus Ernestus de Liechtenstein consecravit sacrisque de more sanctorum reliquiis decoravit. Altare maius in honorem b. Virginis in caelos assumptae, sanctorum Andreae apostoli et Antonii de Padua; aram b. Virginis in throno sedentis in honorem Immaculatae eiusdem Conceptionis et sanctorum Ioachim et Annae; s. Michaelis in ipsius et omnium sanctorum Angelorum honorem aram consecravit reverendissimus dominus episcopus Secoviensis 30 Novembris 1647.

Viginti circiter ab ecclesia passibus penes coemeteriolum, ubi fideles nobis devoti sepulturam eligunt, in gyrum quadratum ductum, exstat sacellum s. Iacobi maioris, in inferiori claustri ambitu situm, quod, ut traditione proditur, totius urbis antiquissima est aedicula, plurimis olim ac magnis indulgentiis praedives; in hoc plurimorum sanguine clarissimorum cineres requiescunt, uti lapides mortuales, quos vetustas adhuc videndos reliquit, abunde testantur. Pendet in turricula huius sacelli campana, quae a pientissimo episcopo, cuius nomen DEO cognitum est, olim benedicta traditur, adversus tonitrua, fulgura, magicas tempestates ad hominum votum ac fidem probatissima, solum dum aether graviter obnubilatus quid simile minatur, pulsari solita.

Adest supra chorum fratrum parva turris anno 1647 extructa laminisque contecta; positae sunt ad eam campanae binae, quarum prior est benedicta in honorem s. Antonii Paduani, posterior in honorem sanctorum Ioannis et Pauli mm.; ultimam collatitia stipe, ut pulsu eiusdem ad missas vocarentur signumque pro inchoando a fratribus divino officio daretur, devotae personae fieri fecere.

Adiacet afforis ecclesiae nostrae turris, praegrandis in littore Murae fluminis sita, super paludes fundata merisque ex lapidibus quadris et sectis ab immo usque ad summum erecta, anno 1641 incepta et elapso biennio ad fastigium perducta con-

silio, auxilio, imperio et aere sponte dato illustrissimi bellici senatus eiusdemque consiliariorum; quare in tam stupendam evasit fortitudinem, amplitudinem et altitudinem, ut ad modum propugnaculi, super quo emergente belli tempore varia tormentorum genera plantari valeant, universae urbi ad defensionem adversus hostium incursus ea deserviret inexpugnabilis. Sumptuosae huic turri maxime sonorae et praegrandes campanae quatuor inclusae sunt late resonantes, ut suavi sua symphonia reliquum civitatis huius aes campanum facile excellant. Prima honori s. Ioannis Baptistae dicata pondo librarum 2200 habet, secunda s. Aegidii abbatis benedicta 1500 librarum, tertia s. Gabrielis archangeli 1100, quarta demum 800 s. p. n. Francisci consecrata. Sumptus pro harum fusione Styriae proceres inclyti sustinuerunt omnes munifica adeo cum liberalitate, ut ex quodam legato dominae Catharinae de Perechin, assentiente et procurante ipsomet ultimae voluntati executore, domino Laurentio Ambrosio Sembler, 4000 florenos Rhenenses mox suppeditarunt. Verum, cum franciscanae paupertati in sacra regula adpromissae magnifica eiusmodi turris et campanae adeo ponderosae plurimum adversarentur, a reverendo patre Gabriele Schwertfeger, tunc guardiano Graecensi, viro studio, labore et dexteritate conventui huic maxime proficuo, protestatio solemnis per instrumentum de dato 25 Aprilis 1645 discretorum conventus subscriptione munitum opposita fuit, non aliud responsum recipiente, quam, turrim urbis propugnaculum, sub protectione et aere consilii bellici erectum, tanti ponderis campanas omnino decere et magnificentiae turris correspondentes. Tandem anno 1645 laminis de cupro tecta, cum flammigeroque sanctissimi IESU nominis scuto pro apicis coronide decorata. Cuprum hic applicatum erat pondo librarum 4117.

Quemadmodum spectabilis haec turris aesque campanum urbis singulare est ornamentum, ita ecclesia, quae aliunde suo nitore ingredientium animis omnem ingerit devotionem, amplius redditur ex eo piis Graecensibus elegans, quod trinae hic reperiantur sodalitates, quibus illecta earum pietas ferventiori cum frequentia ad eam accurrere consuescit. Confraternitas *Iesu Maria Ioseph* sub titulo boni Pastoris, s. p. n. Francisci seu chordigerorum et s. Antonii Paduani; ultima hebdomatim pomeridiano tempore singulis feriis sextis; priores vero diebus dominicis quovis mense processionalem per claustrum celebrant circuitum; his ut fervor maneat cum perseverantia iugiterque augeatur, a concionatore proprio semper praemittitur exhortatio et quaelibet earum pontificiis decorata existit privilegiis. Albo confraternitatibus s. p. n. ipse augustissimus Ferdinandus III. Romanorum imperator, augusta coniux Maria, Hispaniarum infans, cum augustissima sobole nomina sua propria manu inseruere.

Insigniores quae hic servantur reliquiae sunt sex capita: sancti Kiliani m., s. Hedwigis m., duo ex soc. s. Gereonis m., duo ex soc. s. Ursulae m.; ossa sacra sanctorum: Adriani, Valentini, Chrysanti mm., Bartholomaei, Pancratii, Marcelli mm., s. Barbarae cum duobus dentibus; item Adalhaidae, Ottiliae, Albinae etc.

Tertius s. p. n. ordo post bullam Benedicti PP. XIII. magis magisque florescere coepit, plurimis nobilitate etiam insignibus in eodem indutis ac professis. Sacra *via crucis* vero in ecclesia hac anno 1727 erecta in dies a devotis Christi fidelibus invisitur.

Memoria digna tum ecclesiae tum conventus recenseamus: templum Dei curae et sub speciali tutela esse illud testatur, quod aliquando in his sacris aedibus ad

stuporem contigit; siquidem cum nonnulli immodesti ac garruli et erga expositum venerabile irreverentes essent, repente horridum murmur subterraneum e cryptis auditum est de imminente divina nemesi omnes ad horrorem admonens, castigatura fortasse, nisi destitissent. Nobilium sepulturae in ecclesia complures videntur et plurimi requiescunt nobilium defunctorum cineres dissecto marmore vel pretioso ligno clausi. Quorum epitaphia singula referre nimis prolixum foret.

Tametsi in hoc conventu frequentius celebrata sint capitula Provincialia, unum tamen, quod die 12 Novembris anno 1620 celebrabatur, sua solemnitate prae reliquis memorabile est; hinc eius circumstantias, prout in Provinciae protocollo referuntur, hic addimus... « Feria quarta seu in vigilia s. Didaci officium divinum solemni ritu peregit reverendissimus p. Hieronymus Strasser, commissarius Austriae generalis etc., assistentibus sibi patribus Didaco Sebastiano, iam ministro et definitore perpetuo, et Ioanne Kloëpfer, definitore actuali etc., cum aliis duobus sacerdotibus guardianis et versiculariis etc. Feria quinta, quae fuit 12 Novembris b. Didaco confessori sacra, postquam patres et fratres hostiam salutarem D. O. M. vel obtulissent vel sumpsissent, omnes patres vocales p. commissarius in unum denuo accersivit, ac electionem per concinnam panegyrim insinuari fecit ex ore fr. Bernardini Scheffler, clerici diaconi etc. Qua absoluta et ipse de qualitatibus digni ministri plurimum disseruit. Dein praemissa de Spiritu sancto missa, ad electionem processum est. Hora octava sacratissimus panis Angelorum fideli populo in ecclesia exponebatur et ritu solemni, processione cum venerabili Sacramento instituta, alterum succedebat decantatum sacrum, sub quo reverendus pater Michael Denck in laudem s. Didaci publice et bene dixit. Huic solemnitati maximam ad plebis exemplaritatem interfuere serenissimus princeps et Austriae archidux Ernestus eiusque tres fratres ac ill.mus d. nuntius apostolicus, qui omnes accensos gestantes cereos venerabile comitati sunt etc. Post horam 11 electione novi ministri terminata, reverendus pater Didacus Sebastiano omnium ferme vocum unanimitate, non sine applausu, minister Austriae acclamatus est. Hisce peractis et electionis promulgatione post campanarum strepitum et organi pulsum in ecclesia publice iterata, neo-electus minister cum reverendissimo praeside et vocalibus aliisque patribus et fratribus ad sacellum s. Iacobi, inde processionaliter ad novum refectorium perrexit et omnes praelibantes terrae osculum ordine gravi utrinque stantes serenissimorum archiducum, nuntii apostolici aliorumque illustrium etc. ingressum praestolati sunt. Post horum adventum omnes in terram prostrati extensis brachiis orationem pro benefactoribus praemiserunt; mensae assidentibus serenissimis aliisque illustrissimis hospitibus, pater commissarius et neo-electus minister bene precatus est, iussi ambo a serenissimis ut assideant, una cum fratribus mensae accubuerunt. Coram ita discumbentibus fr. Adalbertus Dietman diaconus e pulpito de archiducum laude, longissimam stematis seriem recensens, praeclare peroravit etc. »

Huius denique conventus sigillum B. Virginem sub throno seu baldachino columnis duabus superinnixo sedentem, coronatam, dextera sceptrum, brachio vero sinistro s. prolem tenentem, exprimit lunamque sub pedibus eius; cum his litteris: SIG. CONVENT. FRANCISCAN. GRAECENS. anno 1652.

CAPUT IV.

§ 1.

Conventus Clagenfurti in metropoli Carinthiae ad s. p. Franciscum stigmatizatum. De ducatu Carinthiae eiusque metropoli.

Carinthiae provincia olim, dum magnanimus dux et Carinthiae princeps Ingwon Hunnos egregia caede devicisset, anno Christi 791 a Carolo Magno archiducatus denuntiatus, nunc ducatus titulo gaudet ac merito antiquitate sua inter reliquas regiones cum primatus honore contendit, quoniam iam ante Salvatorem natum per Romanorum historias plurimum commendatur. Hanc montibus praecelsis circumseptam ab oriente Slavoniae regnum, ab occidente comitatus Tyrolensis, a meridie ducatus Carnioliae et Forum Iulii, a septentrione vero ipsa Styria respicit. Mensurat quoad longitudinem 27, quoad latitudinem 14 milliaria germanica. In suo circulo civitates 12, oppida nobiliora 20, pagos plurimos, fluvios et torrentes, quorum princeps Dravus est, centum et plures numerat.

Urbs Clagenfurtensis aedificata refertur anno 270, a Flavio Claudio Claudii Forum dicta, deinceps a Glana fluvio, qui eam alluit, Glanfurtum, nostris autem temporibus Clagenfurtum, appellata; diversis mercibus, victualium copia ac vino praecipue italico pinguissima; eam commune provinciae aerarium anno 1534 fossa profunda, praevalidis moeniis in forma quadrata circumdedit auctoritate Caroli V., caesaris gloriosi tum e Gallia reducis, atque ita in fortalitium et totius Carinthiae provinciae metropolim constituit. Cernuntur in hac civitate templa complura, quorum primicerium est paroecia sub s. Aegidii abbatis patrocinio constructa, nobili ac peralta turri, quae ipsi sacro fano adiacet, singulariter adornata. Reliqua sunt: patrum Societatis IESU cum collegio. ad s. Spiritum sanctimonialium s. Ursulae, patrum Capucinorum et sororum tertii Ordinis S. Elisabethae. Reliqua inter nobiliores aedes aedificia praecellit domus provincialis, in qua statutis diebus pro bono patriae, sub praesidio supremi Provinciae capitanei et burgravii, status provinciales et deputati leges condunt, iusta decernunt. In fori maioris medio spectabili cum magnitudine conspicitur draco, integro seu minime intersecto ex lapide mira arte formatus, e cuius faucibus lingua sagittata vivam spirat undam; ad huius draconis frontem fortissimus Hercules, pelle leonina indutus, clavam manibus elevat et, quasi furia Rhadamantica eius caput in frusta concideret, vultus torvitate et totius corporis gestu minatur. Urbs haec cum tota provincia iure imperialis feudi obedit domui Austriacae, in spiritualibus vero immediate subiicitur archiepiscopo Salisburgensi tanquam suo dioecesano.

§ 2.

De monasterio et ecclesia nostrorum fratrum.

Monasterium nostrum in praenominata Carinthiae metropoli situm est prope moenia ad portam Villacensem nuncupatam, amoeno prospectu, ex parte ipsa urbis

moenia et saecularium aedes, ex parte fori planitiem, in quo crux conventus erecta spectatur, ex parte triplex claustri hortalitium respiciens. Initia sumpsit sub Paulo V. pontifice maximo, imperatore Mathia tunc residentiam caesaream Praga Bohemiae metropoli Viennam Austriae transferente; sub archiepiscopo Wolfgango Theodorico seu potius, eo iam defuncto, sub episcopo Lavantino Georgio Stobaeo ex Prussia oriundo. Fundamenta vero 1613 die 17 Septembris in festo sacrorum stigmatum s. p. n. Francisci de consensu serenissimi archiducis Ferdinandi ac inclytorum Provinciae statuum iacta sunt. Primum ecclesiae fundamentis lapidem dicti serenissimi archiducis nomine imposuit rev.mus d. Georgius Reinprecht, monasterii Victoriensis Ordinis Cisterciensis abbas; inscriptio lapidis erat sequens:

Anno salutis nostrae MDCXIII die 15 calendas Octobris B. P. N. Francisco consecrata ad sempiternam laudem et gloriam sanctissimae individuaeque Trinitatis, in augmentum s. Matris ecclesiae, et familiae seraphici patris propagationem, auctoritate rev.mi et ill.mi principis ac DD. Marci Sittaci, archiepiscopi Salisburgensis metropolitani, nec non clementissimo consensu serenissimi archiducis Ferdinandi Styriae, Austriae, Carinthiae, Carnioliaeque, et procerum huius archiducatus, totius denique Ordinis nostri superiorum generalium pp. Ministri generalis, commissariique generalis per regna Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc., p. Gabrielis Bonaventurae Daumii, sacrae thelogiae lectoris generalis Provinciaeque patris, ac a. r. p. Martini Didaci Sebastiani, ministri provincialis Austriae additarumque provinciarum, coeptum est hoc Deo gratum sacratumque aedificium ex communi Christi fidelium aerario et contributione consummandum. Ideoque insignis suae pietatis et clementiae ergo in familiam commemoratam, devotionis vero erga B. P. N. et seraphicum confessorem Franciscum, supranominato die, ob sacratissimorum Christi stigmatum in corpore receptionem eidem B. Patri dedicato, serenissimus princeps et archidux Ferdinandus Austriae primum huius fundamento Ecclesiae per rev.mum DD. Georgium, monasterii Victoriensis Ordinis Cisterciensium abbatem et inclyti huius archiducatus deputatum, ordinarium commissarium subdelegatum deposuit lapidem. Quem auctoritate rev.mi ac ill.mi principis ac metropolitani commemorata consecravit, et de more s. Romanae Ecclesiae totum locum aedificio assignatum Deo precibus dicavit rev.mus DD. Georgius, coenobii Gryphensis ordinis Praemonstratensium praepositus. Eius dedicationis solemnitati praeter hos commissarii fuerunt constituti ex parte ill.mi et rev.mi archiepiscopi Salisburgensis rev.mus DD. Matthaeus Holzäpfl, sacrae theologiae doctor, ecclesiae cathedralis Augustensis canonicus, praepositus Gentifforensis et Carinthiae inferioris archidiaconus; ex parte vero procerum provinciae honorandissimus, illustris ac magnificus DD. Albanus a Moshaimb, serenissimi archiducis Ferdinandi a consiliis et iudiciorum per Carinthiam praeses. Procuravit autem aedificium hoc direxitque venerandus p. Ioannes Baptista Kloëpfer, eiusdem Ordinis et Provinciae definitor p. t. nec non guardianus conventus Iudenburgensis apud s. Ioannem Baptistam.

Locus hic Carinthiacorum procerum catholicorum desideriis et orthodoxae fidei per nostros imbutorum postulatione nobis adscriptus est: etenim intelligentes, non solum per universam Austriam, sed et Styriam patres nostros strenuos veritatis catholicae propugnatores extitisse fructumque in vinea Domini Sabaoth, per lutheranismi feram pessimam depasta, sexagesimum, immo centesimum fecisse; primates huius Provinciae, ut huiusmodi fructus quoque in patria eorum facerent, quosdam ex nostris ad se vocavere. Et licet plures adessent viri, doctrina et zelo conspicui, nostris tamen,

nostrorumque eruditionibus praeprimis advolarunt acatholici eo cum affectu et effectu, quod quasi singuli, paucis plane exceptis (DEO soli honor et gloria) gremio s. Matris Ecclesiae restituti fuerint; hinc post plurimas gratiarum actiones et laudes, ut dignum ipsis obveniret praemium, constantem secum in urbe permanentiam flagitarunt, deponendo coenobii spatio deliberarunt, principis terrae consensum postularunt faciliterque impetrarunt. Atque ita imposito, ut diximus, fundamentis lapide et structura aedificii completa (cuius sumptus omnes largitas fidelium solvit), anno 1617 nostri in hunc conventum introducti sunt.

Ecclesia tutelarem patronum veneratur s. p. n. Franciscum stigmatizatum, in cuius honorem una cum summo altari consecrata est 1624 die 30 Iunii a celsissimo principe Paride de Lodron, archiepiscopo Salisburgensi. Dedicatio annue celebratur die dominica post festum ss. apostolorum Petri et Pauli, qua die ex parochiali ecclesia ad nos venire consuevit solemnis processio cum omnibus opificum tribubus. Exstant in hoc templo, praeter altare summum, tria lateralia et duo sacella: altare maius, postquam nostrum monasterium cum ecclesia 2 Iunii anno 1636 in cineres redactum fuisset, actu sat speciosum s. p. Franciscum decumbentem et ab angelo fidium tractu consolatum exprimit. Venetiis pictam hanc effigiem dono dedit ill.^mus^ d. Ludovicus comes ab Ortenburg. Primum ex cornu evangelii altare est b. Virginis annuntiatae. Alterum ex cornu epistolae Redemptoris nostri crucem baiulantis; ambo consuetis ritibus anno 1655 consecravit rev.^mus^ noster p. Hieronymus Strasser, episcopus Temnicensis et suffraganeus Gurcensis, ac priori reliquias ss. virginum et martyrum Barbarae, Agathae et Dorotheae; posteriori s. Crucis, s. Bartholomaei apostoli et s. Stephani protomartyris inclusit. Tertium ex cornu epistolae B. Virginis sub titulo: Matris amabilis, consecratum est a celsissimo d. Sigismundo, s. r. i. principe et episcopo Lavantino, die 21 Iulii anno 1706. Sacellum primum extructum in honorem s. Antonii Paduani munificentia ill.^mi^ d. comitis Andreae de Ursinis et Rosenberg etc. consecravit rev.^mus^ d. Lucas, monasterii Victoriensis ordinis Cisterciensis abbas, die 29 Novembris anno 1651. In hoc sacello DEI bonitas Christi fidelibus, suffragia huius thaumaturgi pie postulantibus, prout plura affixa testantur anathemata, mira elargitur beneficia. Alterum sacellum pro solamine animarum purgantium sub choro fratrum fieri suis sumptibus fecit excell.^ma^ d. Maria Catharina, comitissa de Hohenfeld, nata de Starchemberg etc. anno 1725. Ara in eo speciali pontificis privilegio in defunctorum refrigerium decoratur. Devotio singularis per octiduum hic viget immaculatae Conceptionis, cui praesertim prima Carinthiae nobilitas cum innumerabili hominum confluxu piissime interesse solet. S. p. n. Francisci confraternitas primordia erectionis secundum bullam Sixti V. habuit cum initiis conventus: per haereticorum rigorem vero aliquantulum suppressa, restabilita fuit 1643. Confraternitas s. Antonii Paduani anno 1657; tertius Ordo sub proprio directore, ministro et communitate anno 1710 initia sumpsit; sicut et novissimis temporibus sacra *via crucis*. Turris sua altitudine et forma spectabilis post ultimum die 16 Augusti 1725 exortum terribile incendium quatuor continet campanas a rev.^mo^ domino Benedicto Victoriensi abbate benedictas: prima et maior honoribus immaculatae V. Mariae et s. Benedicti, secunda s. Patris nostri, tertia s. Antonii Paduani, quarta s. Iacobi maioris dedicata. Sumptus omnes pro his noviter fundendis pietas exsolvit praefati d. abbatis Sigismundi l. b. de Sembler, Iosephi de Linse, Maximiliani de Suggarth etc. Universam vero turrim restaurari, laminis tegi etc. fecit singularis

Franciscanorum fautor, dominus Franciscus Adamus Stampfer l. b. de Walchenberg.

Claustri fabrica, post perpessa gravissima incendia, actu pleno cum decore duo habet dormitoria, officinis necessariis et bibliotheca competente instructa. Floret studium theologiae speculativum, quod suas conclusiones quotannis publicae exponit ventilationi. Gaudet hic conventus triplici viridario, ad opportunum fratrum solatium spatiosissimo, cuius ultima pars anno 1645, consentiente Ferdinando III. imperatore et cedente ill.mo d. Simeone de Kevenhüller, superaddita fuit. Fratres hic sustentantur triginta meris piorum eleemosynis, et ex gratiosissima status provincialis munificentia pro panno ad vestiendos fratres, pro carnibus, pro vino, pro lignis cibisque quadragesimalibus larga singulis annis contribuuntur subsidia.

Huius claustri sigillum s. p. n. genuflexum sacra stigmata a Seraphino recipientem a longinquo aediculam sacram a sinistris, fr. Leonem vero a dextris praesentat, cum inscriptione: SIG. CONV. FRANCISCAN. CLAUDIFOR. anno 1652.

CAPUT V.

§ I.

Conventus Hippolytanus in Austria, ad Ss. Trinitatem. De nominis et urbis origine.

Locum hunc Romanorum temporibus iam extitisse, nummi vetustissimi hic non raro inventi abunde probant, tametsi forma eadem, amplitudo, aedium copia et incolarum frequentia, quae hodie spectatur, ei tunc nullatenus fuerit. Nam fossis dumtaxat modicis, aggeribus et paliis pro more temporum illorum circumcinctum propugnaculum erat, praesidiariis militibus, qui Pannonum excursiones arcerent, adaptatum. Nominabatur, ut vetus traditio habet, ab amne subinde rapidissime praeterfluente Treysma. Pulsis ex Pannonia gentilibus Teutones, ut Boii, Suevi, Franci etc. in eorum locum successerunt. Per atrocissima bella tota quasi Austriae regio in desertum abiit; hinc hic quoque locus cum aliis vicinis funditus eversus plurimisque annorum lustris incultus remansit, vix nominis sui memoriam relinquens. Tandem a christianis, praecipue Boioariae principibus et regibus Pipino, Carolo Magno, Lothario ac aliis occidentalis monarchiae habenas una moderantibus, feliciter denuo restaurari coepit locus vetus Treysma dictus, qui, quia Romanorum munimentum prorsus collapsum, ab Alberto comite, Marchiae orientalis praefecto, eiusque fratre Okario, liminarchis, sive, ut alii volunt, sub ipsius Pipini imperio e suis ruderibus resuscitatus, aedibus et incolis cumulatus, ac adiecto anno 744 nobilissimo dd. canonicorum regularium s. Augustini coenobio, sacrisque d. Hippolyti nobilis romani et martyris decoratus fuit exuviis; reliquias has sacras ipsimet principes fundatores, Albertus et Okarius, pro meritis suis Roma, sedente ibi Zacharia Graeco, Romano pontifice, attulere, et praefato dd. Canonicorum templo dono dedere, usque in praesens asservatas. Ab hoc sacro pignore non modo coenobium, verum et ipse locus nomen ordiri initium fecit, deinceps Treysma ad s. Hippolytum vocitatus, donec tandem suppresso veteri nomine, ad s. Hippolytum, seu Hippolytopolis, Germanis *Sanct*

Pöldten, quemadmodum hodie, appellaretur. Saepe saepius bellorum iniuriis dirutum anno 1276 Petrus nomine, episcopus Pataviensis quadragesimus secundus (cuius iuribus absolute subiectus erat), in formam urbis redigendi, muris, moeniis ac fossis muniendi plenam ab imperatore Rudolpho I. facultatem petiit, impetravit. Urbs per plurima annorum lustra Pataviensibus dioecesanis immediate subdita, iam suprema serenissimi archiducis Austriae et augustissimi Romanorum imperatoris potestati subiicitur. Aura hic est saluberrima et terrae fertilitas per viciniam fructus, praecipue frumenti, vini et croci prodit pinguissimos. Praeter antiquissimae canoniae monasterium, quoad templum, aras, organum, chorum iam visu dignissimum, aliud magnificum sanctimonialium carmelitanarum coenobium spectatur, sumptuosissime erectum 1706; item sacrarum herularum, quas anglicanas vocant, collegium fundatum anno 1704; rr. pp. Carmelitae discalceati, ut tum in sacro tribunali, tum aliis spiritualibus officiis consororibus obsequio esse valeant, aedes inhabitant sibi proprias, nullatenus tamen ad formam claustri redactas.

§ 2.

De conventus et ecclesiae initiis.

Conventus Hippolytanus Ss. Triadi inauguratus septem milliaribus germanicis Vienna distat, penes fluvium Trasenam prope portam, quae Viennensis appellatur, constructus est. Coepit hic conventus quoad fundi cuiusdam donationem biennio ante magni viri S. Ioannis a Capistrano adventum, videlicet anno 1449 die 22 mensis Aprilis, quo die et anno Fridericus D. G. episcopus Pataviensis e com. de Oetting ad fratrum nostrorum supplicem instantiam locum pro claustri structura concessit, donationis instrumentum in Viennensi Provinciae archivo assservatum est ut sequitur: Fridericus, Dei gratia postulatus et confirmatus episcopus Pataviensis, ex com. de Oetting etc. ad futuram rei memoriam. Cum erga personas Deo dicatas, maxime quae omnipotenti Deo sub arcta regula militare videntur, dextram nostrae liberalitatis extendimus, gratum Deo obsequium exhibere arbitramur. Cum itaque fratribus monasterii in oppido nostro S. Hippolyti, Ordinis minorum s. Francisci de observantia, domus exusta, a Georgio Lederer ei Vienna obveniens, loco monasterii adiuncta sit, fuimus pro parte ipsorum fratrum per serenissimum d. nostrum regem Hungariae petiti, ut dignaremur domum praefatam seu fundum, a quo singulis annis census aliquos seu fundi proprietatem habuimus, praefato sacro loco donare et liberare. Nos itaque incrementum iam dicti Ordinis affectantes, domum seu fundum praedictum praefato monasterio et fratribus nostra ordinaria auctoritate et ex certa nostra scientia, ac de voluntate et consilio venerabilis capituli nostri, praesentium tenore donamus, liberamus, appropriamus et elargimur. Hisce etiam et scienter decernentes de huiusmodi domo et fundo, ut antea, nullum nobis et successoribus nostris censum seu tributum praestare debere. Si vero, quod quidem absit, fratres eiusdem loci aliquo tempore affuturo a regulari observantia suasu forte persecutoris humani generis, sua salute neglecta, recederent, ex tunc, prout nunc volumus, hanc nostram donationem et liberationem nullius esse roboris et momenti, sed iam dictum ius nostrum super illa ad nos et ecclesiarum nostrarum redire debere. Harum testimonio

litterarum secreti nostri maioris sigilli appensione munitarum. Datum Pataviae die 22 mensis Aprilis anno Domini 1449 (sic).

Obtenta hac concessione, fratres nostri inchoando aedificio in tantum operam adiecerunt, quod salutans Hippolytopolim B. Ioannes a Capistrano una cum socio r. p. Gabriele a Verona hospitem pluribus diebus hic egerit. Viri sancti praedicationibus, signis ac prodigiis (eum non parum in sacro labore praefato patre adiuvante) fideles plurimum illecti amplius contribuerunt ad ecclesiae structuram, quod, etsi sat humile et anxium eius foret spatium, sacra quaeque iam fieri inceperint. Plurimis dein tum a d. episcopo Pataviensi, tum praeposito Hippolytano contra nostros in casum motis difficultatibus, aedificium coeptum pro conventu magis perfici coepit, et, ut tandem dilataretur amplius, partem quoque alterius fundi adiecit civis Hippolytanus Ioannes Biberschneider, singularis fratrum nostrorum fautor et in coepto opere adiutor; qui prope octogenarius ipsum nostri Ordinis institutum amplexus, postquam viginti annis humilem et pium religiosum egisset, anno 1488 vita functus est.

Aedificium paucis post annis perfectionis suae attigit apicem, et ecclesiam consecravit anno 1507 d. Bernardus, episcopus Libanensis, in honorem Ss. Trinitatis, Ss. Bernardini Senensis et Maximiliani martyris. Conventus cum ecclesia, una cum civitate frequentioribus hostium incursibus expositus, devastatus ingemuit, iterato Turcarum furiis cessit, flammis pene exustus, utut fieri potuit semper fidelium eleemosynis restitutus. Demum post tot exustiones et multam vetustatem structura ruinis proxima, ne in rudera abiret, funditus diruta anno 1645 restauratorem seu alterum fundatorem habuit rev.^mum d. Cornelium, ordinis Cisterciensis s. Bernardi abbatem Campi-Liliensem, caesaris consiliarium et Austriae deputatum etc. Largum quoque aes subsidiarium contribuit rev.^mus d. Ioannes, canonicorum regularium s. Augustini praepositus Hippolytanus. Primus lapis pro nova aedificii structura positus est 27 Augusti anno 1645. Ecclesia neo-erecta dominica secunda post Pascha anno 1649 a rev.^mo d. Sigismundo, episcopo Salonensi, consecrata est. Spectantur actu in ea septem altaria: summum altare Ss. Triadis, ss. Quatuordecim Auxiliatorum, ss. Barbarae et Catharinae, B. V. Mariae, s. p. n. Francisci, s. Ioseph. et s. Annae. Singula altaria permagnis sane sumptibus fieri fecit (dempta ara ss. Auxiliatorum ab excell.^mo d. comite Francisco Eusebio de Trautschon) decumana liberalitas et mira in seraphicum Ordinem propensio excell.^mae d. Carolinae Polixenae, comitissae de Kyslin, natae comitissae de Montecuculi, cuius quoque pientissimae munificentiae omnis templi pulchritudo suum debet splendorem; hunc ut magnificentiorem pro Dei gloria continuo redderet, ab anno 1709 usque in praesens largissima cum beneficentia supremum in dies impendit conatum. Quare praeter recensitas sex aras (quarum 4 postremae anno 1730 gypsario opere mira cum elegantia elaboratae sunt) chorum fratrum cum maiori organo, cathedram, confessionalia, sedilia (cuncta ex ligno nuceo conspiciuntur) totum Ecclesiae pavimentum ex albo ac rubro marmore etc. permagnis impendiis fieri iussit.

Conventus fabrica formam induit quadratam, tres habet contignationes, dormitoria duo, hortum competenter spatiosum, fratres alit 37. Studium theologico-speculativum sub duobus patribus lectoribus fundavit anno 1707 praefata excell.^ma domina, cuius munificentia bibliotheca quoque grandior, elegantior ac selectioribus auctoribus copiosior accessit. Reperitur in speciosi huius claustri ambitu inferiori, paucis ab ecclesia gressibus, constructum in honorem s. Antonii Paduani sacellum, consecratum

die 28 Novembris anno 1648 a d. Udalrico episcopo Lampsacensi, quod mira populi frequentia praecipue singulis feriis tertiis invisitur. Statutam primis cuiusvis mensis dominicis pietatem in s. p. Franciscum exercet confraternitas chordigerorum, quibus solum diebus in ecclesia nostra ad populum fieri solet concio, aliis vero tum festivis tum dominicis diebus eadem per nostros patres, non sine populi ingente confluxu, in ecclesia celeberrimae canoniae s. Augustini, quae parochialis est, dicitur.

Pro sigillo utitur hic conventus imagine s. martyris Hippolyti stantis et loricati, qui dextra vexillum, sinistra vero scutum, cui inserta est littera Y, tenet; in circumferentia legitur: SIG. CONV. FRANCISCAN. HIPPOLYT. 1652.

CAPUT VI.

§ 1.

Conventus Claustroneoburgensis in Austria ad s. Iacobum maiorem. De civitatis Claustroneoburgensis nomine.

Non obstante sollicitiori conamine, originem huius civitatis eiusve antiquitatem reperire minime valentes, persuasum tenuimus, ipsam huius loci antiquitatem ab antiquitate absumptam fuisse; quare solum certius relata hic adducimus. Claustroneoburgum, archiducalis civitas, Naviburgam, fors ob navium copiam, quae hic ad ripam praeterfluentis Danubii subsistere solebat, aliquando audiit. Deinceps Novimburgum, Newnburgum et Neoburgum seu Castrum novum appellatum. Porro, postquam Leopoldus V., marchio Austriae, cum lectissima consorte Agnete, Henrici IV. imperatoris filia, miro Dei instinctu (ut mox dicemus) nobile claustrum dd. canonicis, tunc saecularibus, construxisset; ut hic locus ab alio Neoburgo distingueretur, Claustro-Neoburgum dici coepit usque in praesens. Hanc civitatem, quae in inferiorem et superiorem dividitur, duabus leucis Vienna distantem alluit ad latus orientale fluviorum Austriae princeps Danubius; alterum [latus] copiosissimae vineae, quarum liquor et sanus et sapidus vix non pretii primatum sibi in hac patria vindicat, ad maximam oculorum cingunt delicium. Claustrum nunc rr. dd. canonicorum regularium s. Augustini, supra montem positum, superioris urbis singulare decus et ornamentum, insigne est Austriacae pietatis monumentum. Originem huius licebit ex sequentibus percipere. Quadam die, cum pientissima coniux s. Leopoldum marchionem ad venationem comitaretur, venti validitas potenter exsurgens velum, quo eius capitis vertex tegeretur, raptum per aëra tandem ad vastissimam quamdam rupem dumetis dense concretam posuit; solerter conquisitum velum minime fuit repertum. Pius marchio mysterium altius latere praesumens, votum vovit Domino, quod ubicumque invenisset velum vento ablatum, ibi in eius honorem erigere velle fanum. Accidit vice alia venatio, et canum latratus indesinenter auditus omnem marchionis comitatum ad rupem hanc etsi peraltam ferae capiendae causa ascendere compellit; sistunt canes venatici iam silentiosi sub sambuco, et ecce! velum nuper sollicite quaesitum nec inventum in supremitate arboris sambuceae stupentibus omnibus conspicitur. Intelligens itaque Dei voluntatem Leopoldus, voti sui non immemor, in eodem loco ponendi claustri spatium designavit, supra firmam petram machinam strui decrevit, quod

et anno 1114 die 12 Iulii coeptum, tractu temporis non solum nobilissime constructum, sed et amplissime dotatum plurimisque redditibus ditatum est. Monasterium per novemdecim annos a canonicis saecularibus inhabitatum idem piissimus fundator vivens anno 1133, sub Hartmano primo praeposito, rr. dd. canonicis regularibus tradidit, triennio post sanctissime in Domino vita functus. Sacras eius exuvias plurimis illustres miraculis et in eodem claustro conditas singulis annis, dum s. fundatoris festivitas recurrit, augustissimae maiestates cum primis aulae ministris pientissime reverentur. Nunc, ut totius structurae machina, vetustate sua minus elegans, in augustiorem longe formam ad singulare augustissimi caesaris Caroli VI. exsurgeret solatium, sumptuosissimam e fundamentis fabricam per primi lapidis impositionem eduxit anno 1729 rev.^mus d. Ernestus, actualis celeberrimae huius canoniae praepositus.

§ 2.

De nostri conventus exordio et progressu.

Claustrum nominis originem, sub invocatione et patrocinio s. Iacobi apostoli maioris, ab ipsa sumit civitate, extra urbem inferiorem, quantum iactus lapidis est, absque conterminis saecularium aedibus, omnino liber et in amoenissimo loci situ consistens. Floruit olim hic monasterium sanctimonialium ordinis s. Augustini canonissarum regularium, quod ante annum 1290 sua iam habuisse initia, indulgentiarum breve Nicolai PP. IV. de anno 1290 Viennae reservatum testatur. Temporum iniuriis, maxime vero pestifera lue ablatis virginibus, huius claustri incolis, monasterium cum omnibus ad id pertinentibus ad supradictos dd. canonicos regulares pleno iure devolutum est. Adveniente in Austriam Christi famulo b. Ioanne Capistrano, fundus hic cum omni fabrica iamiam ruinosa, ut fratres nostri conventum struere valerent, ad pias eiusdem s. patris preces, consentiente d. Gregorio XXV. vel, ut aliis placet, Simeone XXVI. canoniae Claustroneoburgensis praeposito, traditus est.

Traditionis instrumentum olim claustri muro inscriptum erat tale: Udalricus Burchardus, Dei gratia perpetuus decanus, totumque capitulum ecclesiae Pataviensis, religioso in Christo nobis sincere dilecto fratri Ioanni de Capistrano, ordinis fratrum minorum seraphici confessoris s. Francisci, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum ex relatione vestra susceperimus, certam aream situatam in Novemburgo claustrali, quam olim inhabitare consueverant sanctimoniales, ab eisdem derelictam et desertam, ita quod nullus appareat in eadem habitator, dictam aream et relictum locum per praepositum et conventum monasterii Novemburgensis fuisse et esse vobis et vestris fratribus sub regula b. Francisci, dictis de observantia, ad inhabitandum concessum, in eodemque Deo perpetuo famulari; nosque quantum in nobis est, concessionem ipsam, ut praefertur, auctoritate ordinaria, qua ad praesens, sede vicarii episcopali vacante, fungimur, approbamus, ratificamus et in Dei nomine confirmamus, harum testimonio litterarum. Datum Pataviae die 22 Novembris anno 1451.

Hocce loco nobis gratiose transcripto, et quantum fieri potuit, pro fratrum habitaculo sat bene accommodato, templum cum ara maiori in honorem s. Iacobi maioris dedicavit d. Albertus, episcopus Salonensis, rev.^mi d. episcopi Passaviensis in pontificalibus cooperator, die 6 Maii 1489. Igne ferroque devastante omnes Austriae pla-

gas immanissimo Turca anno 1529, inter alia loca sacra etiam Claustroneoburgensis conventus exustus fuit, omnibus ex eo fugatis religiosis ac quinque barbara manu pro Christi nomine trucidatis. Restauratus anno 1602, per incendium una cum adiacentibus e regione aediculis denuo flammis cessit. Vix industria nostrorum et aere beneficorum pro modulo reparatus, anno 1683 per infensissimum christiani nominis hostem, dum Viennam Austriae metropolim ducentenis millibus Turcarum obsideret, iterum exuritur, devastatur et depraedatur. Obinde soluta obsidione Viennensi, pulsatis denuo beneficiorum fidelium ostiis, flammis exesi muri conventus deiecti et funditus reaedificati sunt, sedente in cathedra s. Petri Innocentio XI, sub pientissimo caesare Leopoldo I, dioecesano episcopo Passaviensi Sebastiano. Lapis fundamentis, maxime quae respiciunt Danubium, impositus est a rev.mo d. Sebastiano, collegiatae ecclesiae Claustroneoburgensis canonicis regularibus praeposito, 22 Iunii anno 1684.

Ecclesiae facies, iuxta lamentabilem priorum temporum vicissitudinem immutata, constanter s. Iacobum maiorem venerata est, nunquam de novo consecrata; adeoque secundum primae dedicationis diem annuam consecrationis solemnitatem celebrat dominica tertia post Pascha. Actu in ea conspiciuntur, praeter altare maius anno 1697 erectum, novem minora seu lateralia. Ex parte dextera primum: capella B. Virginis; secundum s. Sebastiani martyris; tertium s. p. n. Francisci; quartum s. Crucis, quod anno 1724 sumptibus d. Valentini Langstöger senatoris in sacellum defunctorum exstructum est; quintum s. Ioannis a Capistrano. Ex sinistra: s. Antonii Paduani; secundum s. Annae seu sacrae familiae B. Mariae Virginis, opere sculptorio secundum morem antiquum ex ligno fabrefactum; hoc cum Turca anno 1529 una cum conventu ecclesiam immisso igne combureret, quidem ambustum, sed extinctis mirabiliter flammis, incombustum remansit, reliquis aris omnino in cineres redactis; tertium etiam B. Mariae maioris dictum; quartum passionis dominicae statuaria arte ex lapide sculptum. In praementionato s. Crucis, modo defunctorum sacello, quod ad ianuae templi laevam situm est, sequens mirum anno 1540 contigit, quod pervetustus character teutonicus, hic in latinum versus ita, exprimit. Postquam Lutheranismus, gravissimum Europae malum per diabolicam fraudem omnem pene Germaniam, subintrasset, tunc Austriaca quoque patria, semper cum fervore romano-catholica, perniciosissimo hoc veneno infecta, ac plurima fidelium copia dolosissimae decepta, turbata et seducta fuit. In infelicissimis illis temporibus Dei singulari permissione (qui non vult homines perdere aut aeternum perire, sed secundum magnam misericordiam omnes ad perfectam sui nominis agnitionem ac fidem pervenire et salvari) accidit, quod dum religiosus quidam ex fratribus nostris in s. Crucis sacello sacrificium missae devote perageret ac, pronuntiatis super calicem verbis consecrationis, non sua incuria, sed occulta ex alto virtute calicem inverteret, effusae vini consecrati species in corporale defluentes mox in roseum sanguinem conversae fuerint, stupente sacerdote et omnibus Christi fidelibus copiose praesentibus terrefactis. Quod abs dubio singulari Dei providentia factum autumamus, partim ad confusionem vel conversionem lutherana secta infectorum, partim pro confirmatione nostrorum in fide romano-catholica constitutorum, ac roboranda catholica veritate transubstantiationis vini in verum Christi sanguinem. Haec historia contigit in nostro franciscanorum claustro hic Claustroneoburgi post gratiosam Christi nativitatem anno 1540.

Conventus post tot ruinas, Dei benedictione et benefactorum ampla elargitione,

sua structura plene consummatus, in eminentiori consistit loco. Praeterfluentem versus orientem habet Danubium, qui lustrat vireta, sylvas, arces, oppida, urbes; ex refectorio, immo ex cellulis fratres tum remiges tum nautas hinc inde navigantes conspiciunt iucundissime; versus occidentem vero uberrima vineta, laetissimi campi ac monticuli omni ex parte hilares arboribusque vestiti se oculis obiiciunt; septentrio pandit versus urbem Tulnensem itinerantibus viam, quam longiori tractu ipse alluit Danubius; versus meridiem prominet eremus rr. pp. Camaldulensium, supra altum posita montem (qui a latinis Cetius, a germanis Gallenberg dicitur, a gallis certo fructum genere, quo mons hic olim affluebat, nomen sortitus). Mons hic peraltus, tota Austria celeberrimus, hodie ab aula s. Leopoldi, qui eam, devicto Hungarorum rege Stephano II, Mellicio huc transtulit, sicut et a sacello eiusdem Sancti honoribus sacro, magnam habet populi venerationem. Monasterium suo prospectu deliciosissimum bino gaudet dormitorio, officinis et fratrum habitaculis quamplurimis, adeo ordinate instructis, quod ab anno 1699 singulis trienniis hic habeantur comitia provincialia, in quibus praeter visitatorem generalem, eius socios et Provinciae definitorium 24 solent convenire vocales. Anno 1750, ut quivis eorum suo seorsim perfrueretur habitaculo magis commodo, versus viae plateam novus cellarum tractus meris piorum eleemosynis constructus ac ob amoenum ad ampli viridarii prospectum nobilior factus est. In spatiosissimo fratrum horto exstant duo adhuc versus Danubii prospectum horologia solaria, artificiose a s. Ioanne Capistrano, loci huius fundatore, dum primi claustri delineationem ipse efformaret, confecta, hyemali aeque ac aestivo tempore horas accurate indigitantia. Fratres hic sustentantur piorum sublevamine viginti et unus.

Chordigerorum s. p. n. Francisci confraternitas initia sumpsit circa annum 1670; inde maius sumens incrementum, sicut et novissime erecta via s. crucis. Per plura saecula tum ipsa urbs tum noster conventus in spiritualibus subiiciebantur episcopo Pataviensi, verum sub augustissimo caesare Carolo VI., dismembratione interveniente, urbs cum omnibus habitantibus in ea archidioecesi Viennensi adscripta est anno 1728.

Sigillum conventus exprimit s. Iacobum maiorem in specie peregrini stantem, manu dextera baculum, sinistra librum apertum gestantem cum circulari inscriptione: SIG. CONV. FRANCISCAN. CL. NEOBURG. 1652.

CAPUT VII.

§ 1.

Conventus Loysensis in Austria ad S. Bernardinum Senensem. De loci nomine.

Loysium, antiquis Lews a praeterfluente fluviolo Loys nuncupatum, nobile oppidum, est archiduci Austriae immediate subiectum. Iam Langenloysium audit, a primaeva sua longitudine ex eo nomen accipiens, quod ante ultimo exactum Bohemorum bellum tot, quot Crembsium, Steina, Mauterna (tres vicinae urbes sunt) numeraverant aedes, sola quoad numerum complexa sit; ast belli tumultibus incredibilem iacturam praecipue anno 1645 per infesta Suecorum arma expilationem

passuum, plurimum a sua priori pulcritudine deflexit. Situs eius est in valle peramoena copiosissimis undequaque vineis clausus, cumque amnis percelebris, Komp dictus, qui praeterfluit, longe iucundum reddit; distat Loysium Vienna novem, Crembsio vero et a Danubii ripa leuca una. Paroeciae hic sunt vetusissimae s. Laurentio martyri consecratae; spectabiles itidem aedes senatoriae. Forum, ubi singulis diebus lunae et veneris speciali privilegii caesarei virtute merces variae, prae ceteris frumentum et triticum etc. venduntur, singulariter decorat praeclaro opere structus colossus Ss. Triadi ex voto sacratus.

§ 2.

De conventu et ecclesia fratrum nostrorum.

Conventus Loysensis ab ipso oppido, in cuius meditullio exstructus cernitur, appellatus, s. Bernardino Senensi sacer est. Originem funditus referre nequimus, cum frequentius flammis absumptum chartophylacium de ea prorsus nil posteritati reliquerit; claustro siquidem pulsi fratres, vitam solum religiosumque habitum retinere valentes, archivi scripturas omnes, sacram supellectilem, ecclesiam, conventum etc. inimicorum, praecipue rebellantium Bohemorum, dein Suecorum potestati, furori, spoliis et ignibus cedere debuere. Verosimillimum tamen est, claustrum hoc iam anno 1451, nimirum a tempore, quo Austriam s. Ioannes a Capistrano suo beavit adventu longiusve in hac moraretur vicinia, initia sumpsisse; conspiciebatur enim supra ipsum maioris portae ecclesiae frontispicium s. Capistrani picta imago cum suo crucigerorum militum exercitu contra Turcas confligentis; haecque tum latini tum germani idiomatis legebatur inscriptio: Hoc monasterium per eleemosynam benefactorum b. p. Capistranus aedificavit. Referunt etiam annales coenobii ordinis Cisterciensis, quod Zwethal dicitur, sex milliaribus Loysio distans, B. virum fr. Ioannem de Capistrano Ord. Min. vicarium generalem anno 1451 in mense Octobri praedictum transiisse monasterium, ibique benigne receptum, ut gratias gratiis rependeret, d. abbatem, religiose sibi subditam coronam, familiares et benefactores, item et colonos in suam suscepisse confraternitatem cum participatione bonorum operum sui per familiam cismontanam ordinis universi. Annales praedicti haecce verba referunt.

« Haec hic inde Aeneas Sylvius de Capistrano, qui hic per Zwethalense territorium iter faciens, in monasterium nostrum divertit, nosque in fraternitatem Ordinis sui gratia singulari suscepit, sub quo etiam sui Ordinis monasteria tria in Austria sunt fundata: unum ad s. Hippolytum, alterum Loysii, tertium Egenburgi, quorum fundatio infra annum Christi 1451, quo primum venit in Austriam, vel annum 1456, quo abiit, facta fuit, ipsa ratione dictante » etc. Constat praeterea, ecclesiae primae dedicationem, altarium consecrationem, prout originale huius instrumentum actu servatum, a d. Sigismundo Galonensi episcopo die 27 octobris 1458 peractam fuisse; obinde non obscure inferri, fratres nostros vivente adhuc b. p. Capistrano hoc in oppido domicilium fecisse. Anno post Christum natum 1551 pertimescentes oppidani invasionem Turcae, qui horribili plane exercitu Hungariam quasi omnem suae tyrannidi iam subiugaverat, et proximam Austriae ruinam minitabatur, senatus huius conventum fratrum nostrorum in locum refugii eligens, propriis sumptibus ad mo-

dum fortioris praesidii muniri coeperunt, fossis, valle et aqua cinxit, adeo quod ecclesiae atrium, quod versus meridiem per se claustro custoditur, muro fortalitio ab occidente usque ad septentrionem per circuitum protracto, a septentrione vero aqua fluente cingeretur; hac conditione, ut fratres nostri, qui libenter hisce desideriis annuerunt, bellorum tempore senatoribus, civibus eorumque optimis quibusque securum praeberent perfugii ac securitatis locum.

Tametsi ita provide agerent omnes, et oppidum suum custodire conarentur senatus populusque Loysensis, immanissima tamen arma, quibus totam Austriam horrende depopulabatur Turcarum tyrannis, oppidum cum claustro igni ferroque miserrime tradiderunt; et quia infelicissimum illud saeculum ob grassantem ubique lutheranam haeresim caritatem omnem eruebat christianam, piaque praecipue in Christi pauperes opera omnino respuebat, claustrum nostrum multum repletum ruinis a nostris desertum fuit, et fratres per quinquaginta et plures annos ab hoc conventu exulaverunt. Deserviit interea temporis quibusdam civibus, quorum aedes vel exustae vel in favillas redactae sunt, hic conventus pro habitatione vel potius hospitali. Tandem diu concupita feliciorum temporum aurora iterum rutilante, r. p. Michael Alvarez, commissarius ministri generalis in Provinciis Austriae, anno 1582 pro recuperando coenobio primum, dein anno 1587 secundo r. p. Valentinus Friccius, tunc minister Austriae, apud senatum Loysensem fortius institit, ac die 10 Octobris infra octavam s. p. n. dicto anno fratres nostros non abs oppidanorum solamine introduxit. Reassumptum itaque claustrum plurimum ruinosum, quantum beneficorum largitas permisit, una cum templo reparatum est. Verum paucis post annorum decursibus fratres nostros in hoc conventu tribulationes, aerumnas etc. denuo sustinere oportuit, tum anno 1618 ab irruentibus longioris belli suecici, tum a spiritualis nequitiae armis per Lutheri sectarios potentissime ubique praevalentibus. Fratres nostri, etsi aut vincula aut angustiae ipsis remanerent, nihil horum formidantes, ut aerumnosissima illa aetate solamini essent tribulatis sociosque solarentur dolorum (oppidi huius parocho aliisque per viciniam animarum pastoribus armorum tyrannidem effugientibus et nimio terrore perculsis, oviculas deserentibus), soli intrepidi in hoc loco perstiterunt, constanti desursum stipati animi fortitudine Christi fidelibus suis pastoribus orphanis non solum per viciniam, sed praecipue hoc in loco incolis in omni angustia et pressura solamini fuerunt, ampliorem omnium affectum promeruerunt. Sacri eorum labores per publicum instrumentum a iudice senatuque Loysensi patefacti sunt, quod sequitur.

Nos iudex senatusque oppidi Loysensis in Austria infra Onasum universis et singulis has nostras inspecturis, lecturis, visuris vel legi audituris salutem in Domino. Fidem facimus inambiguam atque indubitatam, reverendos, religiosos, doctos, pios ac devotos patres et fratres Ordinis Minorum, reformatae observantiae s. Francisci nuncupatos, iam ab annis centum et octoginta circiter in hoc nostro praefato oppido Loysensi summa morum gravitate, bono exemplo, arctissima paupertate et humilitate nobiscum hactenus commoratos esse et adhuc commorari, nostro summo cum solatio spirituali. Peragunt enim de die divina officia, et cum Psalte loquuntur: *media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Impigré sacras excipiunt peccatorum confessiones, indefesse verbum Dei populo depraedicant cum ingenti animarum Christi sanguine redemptarum lucro, ita ut lapsos erigant, virtuosos in bono confirment et consolident, errantes oviculas vel haeretica lue respersas sana doctrina

abstergant et ad dominicam caulam reducant. Talis zelus et fervor catholicae fidei ipsis inest ad profligandas haereses, ut ipsorum modestia et doctrina non solum plerique nostrum civium (qui lutherana haeresi hactenus laborabant), verum etiam innumeri in circumiacentibus pagis homines ad gremium s. Matris Ecclesiae Romanae redierint. Tanta constantia praediti sunt, ut tumultuantibus et ferocientibus undique haereticis nostrumque oppidum expugnare cupientibus, ne pedem quidem ab ecclesia vel monasterio moverint vel retraxerint. Gaudemus etiam, nos tales habere religiosos, qui nos in dubiis instruant, in laetis et prosperis constitutos, ne elati fiamus et insolentes, moneant, in adversis et tristibus, ne animo cadamus, consolentur, et quod maximo solamini est, nobis morientibus assistant et apud Deum altissimum pro nobis efficaces sint exoratores. In quorum omnium et singulorum fidem hoc eisdem reverendis patribus testimonium, sigillo oppidi nostri consueto munitum, et propria manus subscriptione firmatum, dare voluimus, et in veritate debuimus.

Datum Loysii die vigesima prima Martii, anno post partum Virginis millesimo sexcentesimo vigesimo octavo.

L. S.

Nos N. iudex senatusque oppidi caesarei Loysensis.

Instrumentum alterum anno 1646 editum ita sonat: Nos N. iudex et senatus caesarei oppidi Loysensis in Austria infra Onasum fatemur coram omnibus, coram quibus hoc publicum attestationis instrumentum palam factum fuerit. Postquam singulari omnipotentis Dei permissione elapso novissime anno 1645 abs dubio propter peccata nostra, contra sancta evangelia et decem decalogi praecepta multipliciter commissa, catholicum sanguinem spirans Suecus inimicus in nostram amantissimam patriam, eam depilando, igne ferroque devastando etc., militum pressuris et exactionibus citra omnium expectationem repente irruerit; nosque per annum et ultra sub gravissimo horum servitutis iugo plurima proh dolor! pati nimisque humiliari oportuerit, nisi ad declinandam eorum tyrannidem fugam aliqui arripere decrevissent, prout et reverendus in Christo ac perdoctus noster d. Parochus et alii plures nostrae viciniae animarum pastores fecere; r. p. Laurentius Stauff vero, huius conventus ad s. Bernardinum guardianus, cum suis religiosis patribus et fratribus, omnium hostium terrore ad singularem animarum nostrarum salutem et solatium seposito, in absentia dd. parochorum, non obstantibus saepius iteratis Suecorum incursionibus et manifestis vitae periculis, non solum praedicationibus, divinis officiis, missis, confessionum exceptionibus, sacramentorum administrationibus etc., omni cum sedulitate, zelo ac vigilantia nobis adstitit, sed et usque in finem dictae tyrannicae servitutis, usquedum caesareae iterum ditioni subderemur (pro quo Deo infinitae sint gratiae) et essemus restituti, firmiter in omnibus angustiis perseveravit, ille cum suis potius amaram mortem eligentes, quam huius loci animarumque nostrarum salutem deserentes. Quod totum coram Deo summae veritatis ergo dicimus. Pro cuius debitissima promotione et genuina expressione in praesenti instrumento oppidi Loysensis sigillum nostramque subscriptionem scienter apposuimus. Dat. in consilio pleno die 21 Augusti anno Iesu Christi 1646.

Conventus frequentioribus ita hostium insultibus, exustionibus etc. ac ipsa vetustate quasi collapsus pluribus iacuit annis, haud abs periculo inhabitabilis; hinc r. p. Ludovicus Kriechenhoffer provincialis anno 1665, benefactorum adiutus eleemosynis, eum a ruinis vindicavit et novam in formam exsurgere fecit. Lapis primus in festo s. Antonii Paduani fundamento feliciter impositus, transactoque septennio aedificium quidem completum est, verum infausta satis duratione; anno namque 1676, 24 mensis Martii flamma maxima in civis cuiusdam laribus nocturno tempore exorta triginta septem civium aedes ac cum illis ecclesiam nostram nostrumque noviter constructum conventum misere conflagravit. Pro huius novissima reparatione sub non modica p. Illuminati Hölscher, loci guardiani, cura plurimam largamve eleemosynam contribuerunt aula caesarea, eiusdem proceres aliique non pauci Viennae nobiles, per supplicem libellum requisiti devotissime.

Claustro huic refectorium novum, amplum et lucidum accessit munificentia d. Ioannis Baptistae com. de Vertenburg etc. Perfecta omnis structurae in quadro positae moles dormitorium duplex sustinet, praebens fratribus 52 sufficientem pro paupertate franciscana habitationem. A septentrione et oriente spatiosissimo, longo, arboribus consito ac fructibus foecundo circumdatur viridario, muro per circuitum cincto, ast saepius inundatione aquarum ab alluente fluviolo iam diruto. Religiosa iuventus hic ordinarie artium lib. et philosophiae disciplinis imbuitur; subinde etiam morali theologiae sub uno lectore. Bibliotheca conventus provisa est non mediocriter, cui morituri dd. parochi per viciniam plurimos tomos ad decorem contribuerunt. Denique sua venustate hic locus cum aliis inter Provinciae conventus pulcriores merito computatur.

Templum suae dedicationis solemnia dominica secunda post pascha quotannis celebrat, actuque in eo spectantur novem altaria. Ex cornu evangelii s. Nepomuceni martyris, b. V. Mariae, feria quinta, sexta et sabbato ex indulto pontificio Benedicti XIII. perpetuo privilegiatum; s. Petri de Alcantara; s. Ioannis de Capistrano et s. crucis. Ex cornu epistolae s. p. n. Francisci; s. Antonii Paduani et s. Annae. Altare maius s. Bernardini Senensis. Cum copiosior populi confluxus diebus dominicis et festivis ad devotiones publicas et conciones, hic haberi solitas, maius templi exigeret spatium, anno 1729 chorus fratrum antehac post altare maius constructus, ad maiorem ecclesiae ianuam translatus et cum affabre elaborato organo supra eandem collocatus est. Altare maius architectonica arte speciosum diversorum benefactorum impendiis 1730 noviter erectum, sacris iam aedibus permagnum confert splendorem. Praeter istud et altaria ultimo constructa ss. p. Francisci et Nepomuceni, reliqua omnia consecrata sunt.

Archiconfraternitas s. p. n. Francisci, tertius ordo et s. via crucis statutis per mensem diebus piis Christi fidelibus magna sunt ad devotionem incitamenta.

Sigillum conventus exprimit s. Bernardinum Senensem, qui sanctissimum Iesu nomen dextera, sinistra librum tenet cum hac per orbem incriptione: SIG. CONVE. FRANCISCAN. LOYSEN. 1652.

CAPUT VIII.

§. 1.

Conventus Egenburgensis in Austria ad B. V. Mariam de Candelariis. De urbe Egenburgensi.

Egenburgium seu Egenburga, ex antiquissimis huius regionis urbibus una, Austriae archiduci alto dominio obedit: a Viennensi metropoli trans Danubium novem milliaribus germanicis dissita et ad aquilonarem occidentis partem Moraviae et Bohemiae contermina. Plurimum a vetustate, praepositura, arce (quae cum iure gladii ipsi collegio Viennensi rr. pp. Societatis IESU adscripta est), domo parochiali et ecclesia, s. Stephano protomartyri dicata, commendabilis. Urbs altis cingitur muris, saxoso incumbens solo et in scopulosum exsurgens collem. Arcem olim, ut fert traditio et hodie parocciae contiguae comprobant parietinae, incolebant templarii. Anno 1407 ab Austriae marchione et archiduce Leopoldo IV. ex antiqua Babenbergica prosapia in civico Austriae bello, devictis et ingente caede protritis Bohemis, primum, secundo a Mathia Hungarorum rege anno 1485 occupata fuit. Rudolphus I. Romanorum rex et imperator anno 1277 civitatem metropoli Viennensi quoad gratias et privilegia omnino voluit esse aequalem. Ante martis frequentiores et iniquas armorum furias civium opulentia eam reddidit percelebrem; nunc incolae suis gaudentes privilegiis coram consule, iudice et senatu, quia ius gladii habent, suas causas dicunt. Spiritualem in omnes iurisdictionem exercet celsissimus princeps et episcopus Passaviensis, pastorem vero agit quidam praepositus ad hoc munus semper ex nobilioribus familiis assumptus. Terra per circuitum etsi salebrosa, frugifera tamen, pisa, cicera, nobilem crocum profusa cum foecunditate progerminat.

§ 2.

De conventu et ecclesia fratrum nostrorum.

Dum anno 1451 s. Ioannes a Capistrano crebrioribus miraculis etiam hanc viciniam felicitaret, huius urbis incolae mirum in modum eiusdem suorumque sociorum sanctitatis exemplo commoti, adeo magna affectus teneritudine in franciscano-regularem observantiam ferebantur, ut, associatis aliis quoque locis, hi praeprimis fratres nostros in suos concives intense optaverint, non immerito a s. viro speciali affectu dignati et litteris filiantialibus donati. S. Capistrano anno 1456 Villaci in Slavonia sanctissime vita functo, neutiquam obiit, sed plane revixit amor civium, dum unanimiter statuère fratribus nostris claustrum construere suis sumptibus. Huic igitur initia data sunt circa annum 1460; prae reliquis urbis benefactoribus memoria sane perpetua digni sunt tres viri et cives: Thomas Kraff, iudex Egenburgensis, Wolfgangus Gang et Christophorus Kauffhandler, qui pro ampliando conventus et ecclesiae spatio proprias suas aedes donarunt. Structura consummata 4 nonas Iulii anno 1466. Templum a domino Sigismundo, episcopo Salonensi, solemni ritu dedicatum fuit in honorem b. Virginis de Candelariis.

Perstiterat hic conventus cum religiosis suis incolis usque ad annum 1550, Dei benedictione et benefica fidelium caritate repletus; ast infectis lutheranismi toxico plurimis etiam urbis huius civibus, fratres, loco hoc eiecti, eundem deserere coacti sunt, alios alibi receptores pro amore Dei inquirentes. Mutatione facta dexterae Dei excelsi, et civibus fidei orthodoxae potiori ex parte restitutis, post annos circiter quadraginta aut plures conventus cum sacris aedibus denuo ad fratres rediit; ast cum minori eorum tranquillitate. Praeterquam enim quod haereticos continuo turbatores habuerint, anno 1619 rebellibus et acatholicis Bohemis urbem armata manu ad deditionem cogentibus, ab his et aliis fratrum aerumnae non tam renovatae quam multiplicatae fuerunt. Nec facile relatu est, quam magnas miserias ac mala multa a perfidis militibus et plebe a fide vera aversa fratres perpessi sint, pluries de fuga iamiam meditantes, nisi eis desursum ad permanendum fortitudo obvenisset. Perniciosissimus hic acatholicorum tumultus, primum in Bohemia anno 1618 subortus, usque ad annum 1648 perduravit cum plurimarum urbium eversione, christiani sanguinis effusione et innumerarum animarum deperditione. Demum per tractatum Westphalicum Monasterii cum rege Galliarum, et Osnabrugae cum rege Suecorum inter et imperium ac caesarem ei terminus impositus et exercitium religionis, quod ubique liberum esset, proclamatum fuit.

Quantum infausta illa aetate fratres nostri cum p. Laurentio Dill, huius loci guardiano et actuali concionatore, in conversione haereticorum et reformatione acatholicorum laborem impenderint, quantum ubique fructificaverint, ex instrumento, quod urbis senatus in debitae gratitudinis memnosinon nostris extradidit, colligere licebit tenoris sequentis. Nos N. consul, iudex et senatus caesareae ac archiducalis civitatis Egenburgensis infra Onasum attestatum facimus, et hisce fatemur, quod praeterito anno 1645 facta in hanc perdilectam patriam nostram Sueciae coronae irruptione, in absentia nostri d. parochi Iacobi Mercuriani, eius vicario autem multo tempore infirmo decumbente et ad divina peragenda incapace, tandem et mortuo, pariter in tota vicinia nostra nullo parochorum invento, reverendus in Christo pater et frater Laurentius Dill, Ordinis Minorum strictioris observantiae, hic loci guardianus, una cum sibi concreditis patribus et fratribus, ita spiritualibus suis functionibus, pia ac exemplari conversatione nobis praeluxerit taliterque curae animarum administrationem peregerit, ut, quodsi nominatus p. Laurentius Dill et sui fratres ad manum non fuissent, ac salubri doctrina, praedicatione, ss. sacramentorum baptismi, poenitentiae, eucharistiae administratione, catholico pariter mortuos conducendi ritu non adstitissent, multi sine ss. sacramentis, centeni etiam et centeni in statu peccati originalis mortui, caelesti gloria in aeternum privati fuissent. Hinc (praeprimis Deo gratias agentes) nos et posteri nostri parochianique omnes ac in vicinia et districtu circumiacente habitantes erga hunc sacrum Ordinem debita promptitudine nostra et pro possibile praebenda eleemosyna in futurum recognitionem facere volumus ac debemus, in cuius rei testimonium ac memoriam perennem secretum civitatis nostrae sigillum apprimi fecimus. Datum Egenburgi, 22 Augusti, nato Domino Salvatore nostro 1646.

Suppressa itaque haeresi, ac belli tumultibus feliciter extinctis, ut primaevo conventus aedificio (quod per ducentos annos iam steterat et ex parte asseribus solum contabulatum erat) a ruinis praecaveretur firmioremque in structuram consurgeret, fratres alii aulae primis proceribus Viennae supplices fuere, alii ostiatim benefico-

rum Austriae praesertim Egenburgensium et viciniarum ianuas pro subsidio pulsavere; interveniente plurimum cura r. p. Antonii Stockler, ministri provincialis, et Andreae Hilarii, Viennae guardiani, virorum omni nobilitati gratissimorum, pro inchoanda nova fabrica sufficiens aes eleemosynarium a nobilioribus Viennae familiis obtentum, atque ita anno 1658, iacto fundamentali lapide, aedificium, Deo auspice, inchoatum est. Anno 1661 completa claustri fabrica (templum enim vetus potiori ex parte, praeter tecta, remansit), in dormitorio triginta fratrum cellas ad franciscanae paupertatis normam commode constructas hilari iam oculo conspicere licuit, et primus neo-erecti loci guardianus factus est p. Gabriel Lederer, concionator actualis, quondam missionarius. Bene in quadro constructum hoc monasterium unum habet dormitorium, quod hodie 28 fratres, subinde plures inhabitant; copiosa gaudet bibliotheca et studio philosophico vel theologiae moralis pro temporum diversitate sub uno lectore. Hortus huic conventui ad moenia urbis adnexus et plurimum spatiosus est cum proprii fontis scaturigine, quae quingentis passibus per aperturam muri civitatensis canalibus ducta, recentissimam aquam tum horto tum culinae abundanter dispensat. Nullum fratres hic sentiunt fundationis aut annui stipendii beneficium, sed eleemosyna victitant ostiatim collecta, ubique divinam experientes providentiam ac benefactorum munificentiam, quae pauperum suorum et in hoc mundo inopum nunquam obliviscitur usque in finem.

Templum antiquis suis fundamentis, pilis et parietibus innixum, actu quodammodo restauratum, formosam exhibet faciem; cui anno 1725 ex durissimo lapide ara maior accessit, ad pretiosi marmoris imitationem variis tincta coloribus; lapidem omnem ex vicina huius urbis lapidicina gratis dederunt singulares huius templi patroni, qui quoque cathedram ex durisimo lapide pari cum affectu ante paucos annos fieri fecerunt. Praeter summum altare devotorum oculis obiiciuntur quatuor: primum s. p. n. Francisci; secundum ss. Triadis; tertium b. V. Mariae; quartum b. M. dolorosae seu 14 auxiliatorum. Hisce a latere aquilonari adiicitur sacellum s. Antonii Paduani beneficiis ill.mae familiae l. b. de Honore constructum, quae ad arae pedem suos cineres recondi poposcit ab anno 1662.

Vetustate ruptis altarium lapidibus, anno 1728 die 2 Maii s. r. i. princeps et episcopus Passaviensis ex comit. de Lamberg Iosephus Dominicus omnes aras de novo consecravit. Ecclesia copiosissimo omnis viciniae populi concursu diebus praecipue solemnioribus frequentatur, cui singularem stimulum addit solers nostrorum in sacro poenitentiae tribunali et sacris aris sacramentorum administratio, verbi Dei singulis diebus festivis et dominicis praedicatio. Floret hic chordigerorum s. p. n. Francisci confraternitas, item et tertius Ordo ab anno 1712 zelosius propagatur, sicut et s. via Crucis, anno 1728 sacris fidelium impendiis erecta. Patrocinium ecclesiae in festo Purificationis b. v. Mariae, consecrationis vero dies annue recurrit dominica post festum visitationis b. v. Mariae. In hac civitate s. Capistranus anno 1451 die 10 Octobris ex villa Drashoff Moraviae, dum a Ioanne Rockyczana, hussitanae haeresis tempore pseudoapostolo et ficto Pragensium praesule, Bohemiam intrare prohiberetur, ad refutanda eorum dogmata per plures dies domicilium fixit.

In huius conventus sigillo b. Virgo sedens cum corona in capite eius; dextera sacrum Puerum, sinistra candelam gestiens exprimitur; in circulo vero hac litterae: SIG. CONVENT. FRANCISCAN. EGENBURG. 1652.

CAPUT IX.

§ 1.

VIII. Conventus Iudenburgensis in Styria ad s. Ioannem Baptistam in eremo. De civitate Iudenburgensi.

Iudenburgum seu Hebraeopolis Styriae superioris civitas, sua vetustate, non venustate, quoniam fuliginosa est, plurimum commendabilis, Graecio quatuordecim milliaribus dissita est; supra montem, in valle praeterfluentem Murrhae fluvium habens, collocata ac bene muris per gyrum munita. Archiduces Austriae tum ob loci salubritatem, tum ob iucundissimam capiendarum ferarum opportunitatem subinde hic domicilium fixerunt, unde castrum novum, licet iam ad nobiliorem formam redactum, actu conspicitur. Nomen prout certius creditur, obtinuit a grandi ac cruenta Hebraeorum caede, quam perfida gens, hunc locum copiosius incolens, in sacra nativitatis Domini nocte contra christianos attentare praesumpsit. Contigit enim, ut puella Hebraea proco christiano perdilecta crudelem suorum machinationem clam proderet: igitur aspirante numine, tela christianorum vitae parata in ipsos retorsa, sagittarios omnes usque ad unum ipsissima sacra nocte trucidarunt, atque ita simul et semel Iudaeorum vita, substantia, memoria periit. Urbs posthac *caedes Iudaeorum,* seu teutonicis Judenovürg, latinis Iudenburgum audiit. Montibus circumquaque cingitur, in valle versus dictum Murrhae fluvium claustrum respicit sanctimonialium Clarissarum in paradiso nuncupatarum. Penes parochiales aedes et ecclesiam s. Nicolao dedicatam (cui decanus praeest) pervenustum etiam conspicitur templum et collegium s. Augustino sacrum, pp. Societatis IESU, qui suum hic a longo tempore constituerunt tertiariatum. Olim, antequam in elegantem modo formam exsurgeret, pp. Eremitarum s. Augustini, ab ipsis, nescitur quo fato, derelictum. Locus quoad temporalia dominio subest archiducis Austriae, quoad spiritualia vero archiepiscopo Salisburgensi.

§ 2.

De primaevi conventus Iudenburgensis origine.

Hic conventus Iudenburgensis ab ipsa civitate ita compellatus, tametsi inter Provinciae monasteria quoad numerum locum octavum obtineat, quoad antiquitatem vero et vetustatis dignitatem optimo iure primam sibi vendicat sedem. Licet enim quoad primitus iacta eius fundamenta certiora referre nequeamus, traditio nihilominus communis refert, fratres una cum sororibus s. Clarae, viventibus adhuc sacri Ordinis fundatoribus (s. p. n. spiritum caelo reddidit die 4 Octobris anno 1226, s. Clara die 12 Augusti anno 1253) hic pedem fixisse; nam originale servatum in archivo Graecensi clare testatur, anno 1259 Fridericum, pientissimum Austriae et Styriae ducem, arcem et fundum quendam fratribus nostris perpetuo iure transcripsisse. Constat item, varias a variis pontificibus et episcopis ac dioecesanis indulgentias pro hac ecclesia impertitas fuisse. Alexander pp. IV. 20 Decembris 1254; Henricus

episcopus Khilmensis anno 1267; Emicha episcopus Frisingensis 8 calendas Septembris anno 1293; Leopoldus episcopus Bambergensis anno 1298; Henricus episcopus Brixiensis anno 1298; Emericus episcopus Waradinensis anno 1300 etc. Et haec sunt, quae pervetusta in Graecensi et Iudenburgensi archivo manuscripta de primaeva origine huius loci relinquunt.

Anno a nativitate Christi 1452 secundo hic transiens s. Ioannes a Capistrano regularis observantiae institutum, per Austriae plagas novissime introductum, in hoc quoque loco rigidius implantare conatus est; unde, cum id bona omnia tam in communi quam in particulari censumque annuum respuat, antiqua aula, Hoffstatt dicta, et a serenissimo Friderico anno 1259 ut archiduce pro fratrum sustentatione oblata, quatenus in pios usus permutaretur, paterne ac sollicite ordinavit. Huius aulae fundi, dominium omnisque ususfructus, beato patre ita disponente, in huius urbis laniones et sutores transiit; quare ut se beneficos exhiberent, non solum subsidiarias manus pro restaurando ruinoso conventu porrexerunt, sed perpetua cum obligatione se obstrinxerunt, singulis annis fratribus specialia quaedam munera deferre; societas sutorum, ad quam agri fructus dictae aulae transiere, annuatim quatuor crepidarum paria sacerdotum ad altare stantium obsequiis deputat, ac ad aram b. Virginis oleum pro lampade perpetuo arsura subministrat. Laniones, recurrente solemnitate corporis Christi, certam carnis quantitatem (quae publice in via assatur) certamque vini portionem fratribus in hodiernam usque diem dispensant.

Ob nimiam haeresum saeculo decimo quinto grassantem pestilentiam fratres a Lutheri sectariis, dum in hanc urbem et conventum tumultuarie irruerent magnamque aedificii partem destruerent, plurimum divexati sunt; hinc locum hunc, tribulationes ac aerumnas ulterius perferre non valentes, fratres nostri per longius temporis spatium deseruerunt. Quo tempore iterum redierint, ex huius conventus archivo prorsus nil authentice refertur. Certius tamen est, eos circa annum 1585 ad hoc rediisse claustrum; hoc siquidem anno r. p. Martinus Klein serenissimo archiduci Carolo, Ferdinandi II. caesaris dignissimo genitori, per supplicem libellum exposuit, ecclesiam omni sacra supellectili et ornamentis spoliatam, quoad tecta, turrim etc. dirutam, fontis aquaeductum destructum, denique, persequentibus nimium acatholicis, fabricam omnem ruinae proximam existere etc. Suppliciter hisce porrectis precibus et postulationibus, pientissimus princeps fratrum et conventus ruinosi egentiae eodem anno (ut originalia adhuc servata testantur) clementissime succurrebat etc.

§ 5.

Ecclesiae et conventus modernus status.

Quod templum et conventum eiusdemque structuram attinet, ob longiorem suam vetustatem minime luminosa, immo maxime ruinosa existens, annis praesertim 1646 et 1647 ad venustiorem formam claustralem surrexit, dum deiecta ruinosa fabrica, nova stuctura ex lapidibus integris coepta et largioribus beneficorum eleemosynis sub guardianatu et cura r. p. Francisci Eckstein consummata fuit. Templum iuxta vetus aevum architectonico opere erectum, columnis ac fornicibus pluribus munitum et picturarum varietate exornatum est; ex una parte moeniis innititur urbis, ex altera sat spatiosum et bene excultum respicit fratrum viridarium, ex tertia parte

ipsi adiacet claustro. Altare maius, s. Ioanni Baptistae dedicatum, b. Virginem dolorosam, quae Unigenitum suum defunctum in gremio portat, sub cruce sedentem praesentat, utroque latere angelis stipatam dolenti collacrymantibus; a dextris ss. Ioannes Baptista et Bernardinus Senensis, a sinistris s. p. n. Franciscus et s. Capistranus spectantur, cuncta opere statuario perfecta sunt; tabernaculum affabre hic elaboratum, pro festorum diversitate artificiose mutabile, elegantia sua dignissimum visu est. Altare hoc una cum ecclesia anno 1595 in honorem Ss. Trinitatis, b. Virginis Mariae et omnium Sanctorum, specialiter s. Ioannis Baptistae consecravit episcopus Secoviensis, plurimis et nobilioribus de more impositis sanctorum reliquiis. Quatuor aliae reperiuntur arae exiguae magnitudinis sub ambitu, qui ex aula caesarea (e regione huius ecclesiae sita) transversim templi navim secat; singulas sua munificentia erigi curavit anno 1638 nob. d. Bernardus Walter de Waltersweyl etc., archiducis Ferdinandi consiliarius etc., qui, prout petiit, ex cornu evangelii conditus iacet. Ex eodem cornu prima ara est b. Virginis Mariae, secunda s. Annae. Ex cornu epistolae tertia s. p. n. Francisci, quarta s. Bernardini Senensis. Exstat etiam ad sinistram ecclesiae introitus sacellum, divo Antonio Paduano sacrum, apud omnem populum tum indigenum tum alienigenum ob extemplo recepta beneficia in summa veneratione. Huic opponitur oratorium caesareum, quod ex aula supradicta per porticum acceditur, olim archiducum Austriae, dum in hac urbe commorarentur, ad divina frequentanda peraccommodum, modo caesaris, si hic residentiam figat; unde haec ecclesia cum aulae proxima sit, aulica passim nominatur. Ad claustri ingressum vetustissimum conspicitur s. Catharinae v. et m. sacellum, tria in se minora claudens altaria, ut plurimi volunt, priusquam templum aedificaretur, constructum, plurimis olim ditatum indulgentiis; consecravit die 20 Maii anno 1651 huius sacelli aras d. Iacobus, s. r. i. princeps et episcopus Secoviensis. Ut seniorum traditione habetur, in hoc sacello plura incorrupta fratrum corpora terrae mandata reperiuntur, verum praeter referentium fidem nec monumentum nec aliud certitudinis amplioris vestigium exstat.

Monasterium in quadro positum, ad civitatis extremitatem aura saluberrima situm est; eius dormitorium, quod unicum numerat, 25 fratribus, aliquando etiam philosophiae aut theologiae moralis studiosis, praebet habitaculum. Saepius, et ultimo quidem anno 1711, per flammas graviores ex igne supposititio exortas plurima ex parte exustum fuit; semper benefactorum largitate, praecipue d. Adami Francisci s. r. i. principis de Schwarzenberg munificentia a busto resurgens. Servat bibliothecam competentem. Inter reliqua, quae pro peculiari gloria conservare conatur, cella est vetustissima, minime ampla in ambitu superiori situata, quam s. Ioannes a Capistrano, dum in hoc loco superiorem egerat, piissime incoluit; descenditur ad eam per aliquos gradus, et sub ingressu cellae vera spectatur effigies s. Bernardini Senensis, ab ipso viro sancto appensa; solent hanc cellam, non obstante, quod ob suam vetustatem ruinam quasi proximam minetur, seniores sacerdotes peculiari pietatis fervore illecti hodiedum pro capienda consolatione devote inhabitare. Sunt etiam nonnulli affirmantes, in huius conventus ecclesia s. Bernardinum Sen. saepius sacrificasse, et hic, dum visitatoris generalis munere per has partes fungeretur, incolam egisse.

Sigillum huius monasterii s. Ioannem Baptistam plena statura exprimit, sinistra agnum Dei tenentem, digito dexterae suae agnum demonstrantem; litterae per gyrum: SIG. CONV. FRANCISCAN. IUDENBURG. 1652.

CAPUT X.

§ 1.

Conventus Kazelstorffensis in Austria ad s. Radegundem viduam. De loco conventui vicino et urbe Neapoli Austriae.

Kazlstorffium vicus est ad fluvium Leutha, qui Austriam versus Styriam ab Hungaria scindit, in planitie situs, sumptuoso neo-constructo castro et viridario speciosissimo ad oculorum oblectamentum nobilitatus. Haereditario iure ad excell. d. Franciscum com. de Iöerger, generalem et Budensis castelli commendantem caesareum, pertinet. Ab hoc loco paucis solum lapidis iactibus claustrum nostrum distans nomen accipit, in sublimiori colle, ab omni aede circumquaque seiunctum, situ periucundum, vetustate non nihil ruinosum. Ad claustri ecclesiam per scalas graduum 48 scanditur. Distat ab Austriae metropoli milliaribus novem, Neapoli vero seu a Neostadio Vindobonensi milliari unico. Neapolis mox dicta urbs archiducalis est, ad meridiem sita, hoc nomine ideo appellata, quod ob plura incendia saepius novam induerit formam. Leopoldus gloriosus archidux circa annum 1200 prima eius iecit fundamenta, a Mathia Corvino pluribus mensibus obsessa et occupata, anno 1490 Austricorum principum imperio denuo parere coepit. Turca Solimanus septies una die tentato assultu hanc expugnare nequivit etc. Arcem habet magnificam, amplam, quaternis turribus secto ex lapide cum multiplice munitionum genere custoditam, quam Leopoldus, Alberti sapientis filius, condidit, Ferdinandus I. augustus instauravit ad singulare totius urbis ornamentum. Episcopatus sub Friderico III. anno 1468 hoc in loco coepit, ab alia prorsus subiectione exemptus; iam postulante Carolo VI. caesare, et annuente Benedicto XIII. pontifice, anno 1728 archidioecesi Viennensi incorporatus est.

§ 2.

De monasterio et ecclesia fratrum.

Pietas singularis in superos et devotio in seraphici instituti auctorem, nec non perpetuus in eius sectatores affectus illustrissimo d. Ioanni Sigismundo l. b. de Weispriach, reginae Hungariae supremo aulae praefecto etc., monasterii Kazlstorffensis construendi occasionem praebuerunt, qui id suis omnino sumptibus, una cum ecclesia s. Radegundi reginae et viduae dedicata, erigi curavit ad annum 1462, prout hodie supra frontispicium ecclesiae hic idem numerus expressus testatur. Fundator, quemadmodum fratribus minoribus de observantia, quoad vixit, semper corde et animo erat coniunctus, ita neque post mortem ab eis disiungi voluit, sibi suisque illustri sanguine iunctis in medio ecclesiae tumulandis locum sepulturae apparando. Pientissime anno 1479 vita functus, hic sepultus est cum inscriptione: Post Christum natum anno 1479 in festo s. Annae mortuus est illustrissimus dd. Ioannes Sigismundus de Weispriach, fundator huius monasterii, cui Deus propitius sit, Amen.

Conventus pro paupertate franciscana omnibus numeris absolutus, per centum et plures annos a fratribus occupatus, etsi Turcarum furiis anno 1532 igne concrematus esset, ingruente vero Lutheranorum haeresi, ob gravissime illatas iniurias circa annum 1563 cum dolore dimissus et desertus est. Liberi barones de Teuffel, qui bona omnia extinctae familiae Weispriacenesis iure haereditario sibi vindicabant, sacras aedes cum claustro inhabitandas haereticis tradiderunt. Locus itaque abiit in museum et scholam lutheranae iuventutis, pro cuius instructione sex praedicantes seu lutherani magistrelli eo destinati per triginta quasi annos eundem inhabitarunt; sicque proh dolor! ecclesia, quae domus Dei erat, evasit in speluncam latronum animas falsis suis dogmatibus mactantium et in gehennam perdentium. A. r. p. Valentinus Friccius, tunc per utramque Germaniam commissarius generalis, pro recuperando hoc coenobio tum apud Rudolphum II. caesarem, tum apud Clementem VIII. pontificem indefessum egit oratorem, causam restituendi claustri remis et velis urgendo. Annuit cum pontifice caesar, non item illustrissimus d. Christophorus l. b. de Teuffel eiusque haeredes, utriusque aulae decretis sese potentissime opponentes. Verum urgente nimis rigido, etiam armata manu stipato principis terrae mandato, tandem expulsi sunt acatholici, et conventus cum ecclesia ad nostros rursus rediit, non parum sibi et nobis applaudentibus catholicis, vicinia, et magistratu Neostadiensi. Introductio igitur fratrum nostrorum in praesentia commissariorum caesareorum 12 Maii anno 1593 contigit sub Clemente pp. VIII. et Rudolpho II. imp. Primus post restitutionem conventus familiam regebat r. p. Ioannes Tauffer, serenissimi d. Maximiliani regis Poloniae concionator aulicus, qui tum apud regem tum apud populum potens opere et sermone, conventum tertio flammis Turcarum aliorumque hostium pene exustum integritati quasi pristinae restituit. Ferdinandus II. Rom. imp., fratrum nostrorum pro fidei catholicae dilatatione ac integra eiusdem per viciniam hanc restitutione exantlatos perpendendo labores, annuatim ducentos Rhenenses designavit pro facilioris sustentationis sublevamine. Ecclesia post tot ruinas ab eminent. s. r. e. cardinali Melchiore Kleselio, episcopo Viennensi et Austriaco-Neapolitani episcopatus administratore, una cum conventu aqua lustrali reconciliata fuit. Celebrat suum dedicationis anniversarium dominica post festum patrocinii s. Radegundis reg. et vid. (quod 13 Augusti recolitur) cum magno populi vicini confluxu. Arae sacrae et consecratae reperiuntur quatuor: ara maior, in cuius medio sculpta b. Virginis icon cernitur, dicata est divinae ecclesiae patronae, cuius picta effigies in altaris supremitate conspicitur. Ad latus dexterum neo-erectum altare s. p. n. Francisci pro confraternitate chordigerorum, quae sua initia sumpsit anno 1661. Ad latus sinistrum s. Antonii Paduani, quod eodem tractu sequitur sacellum et ara s. Ioannis Nepomuceni martyris. Aliud versus conventus ambitum sacellum exstat pervetustum, honoribus s. matris Annae dedicatum, aliquando domus capitularis nuncupatum, in quo fratrum defunctorum corpora conduntur. Ante ecclesiae fores celebre habetur Christi Domini sepulcrum, anno 1696 diversorum benefactorum sumptibus erectum. In hac s. Radegundis ecclesia praeter plurimorum nobilium cineres ex ill.^{ma} familia fundatoris etc. corpus quoque requiescit pientissimi cuiusdam fratris nostri Conradi laici, qui crebrioribus post obitum claruit miraculis, adeo quod non nisi per obedientiam sibi a suo patre provinciali, cui in vita obedientissimus erat, iniunctam ab illis patrandis cessaverit; meminit huius martyrologium Ordinis; verum postquam conventus cum sacris aedibus abiisset praedicantibus lutheranis in museum, locus sepulturae igno-

ratur, eiusque apud fideles memoria obliteratur. De aliis fratribus, hoc in loco martyrii palma illustribus, patre Francisco Plazer, Petronio Pfann clerico et fratre Zachaeo Werl laico, in supranominato s. Annae sacello conditis, cum iam alibi diximus, hic plura dicere reticemus.

Monasterium vetustate sua venustum 20 fratres alit, quorum pauperiem benefactorum, praecipue Neostadiensium largitas caritative sublevat; horto gaudet spatiosissimo, per totum quasi muro circumdato. Ast etsi spatiosus, minus tamen fertilis et fructuosus est ob plurimum arenosam et saxosam terram. Habet praeclarum fontem, qui pro omni conventus necessitate aquae sufficientiam subministrat; aqua omnis e fonticulo, tribus milliaribus italicis hinc distante, per canales ligneos immittitur. Beneficium debet superius nominato Christophoro l. b. de Teuffel, qui, in dies decrescentibus Lutheri asseclis, benevolentior in nos factus, non solum praedictam aquae scaturiginem lubens nostris transcripsit, verum et in praeterfluente fluvio Leutha libere piscandi facultatem concessit. Anno 1751 conventus pars, quae hortum respicit, tum rivulorum meatibus, tum vetustate sua multum ruinosa usque ad imum deiecta et pro noviter struendo tractu die 16 Aprilis a r. p. Emerico Metschacher, ministro provinciali, primus lapis terrae impositus est, atque ita mera beneficorum liberalitate ruinis proximis praeventum. Fons saliens sculpto lapide cinctus, alveus subterraneus et complures hic adnexae officinae plurimam iam et claustri structurae et fratrum necessitati conferunt utilitatem.

Sigillum huius conventus claustri patronam s. Radegundem, monialium habitu indutam, manu dextera crucem gestantem exhibet sub fornice stantem inter duas columnas; inscriptio est: SIG. CONV. FRANCISCAN. S. RADEGUND. 1652.

CAPUT XI.

§ 1.

Conventus Lancovicensis in Styria ad B. Mariam Virginem de Gratiis.

Castrum Lancoviz in plano constructum conventui nostro (qui quantum est iactus lapidis, ab eo distat) nomen imponit. Ab anno 1457 eius possessor erat nob. d. Georgius Gradner; subinde transiit ad fiscum caesaris et sub dominium d. comitis de Herberstein: iam vero monasterio canonicorum regularium s. Augustini in Steinz cum vicinis et aliis sat paucis aedieulis deservit. Distat conventus Lancovicensis Graecio, Styriae metropoli, leucis quatuor, in amoena planitie ad radicem Alpium, quas Stubenses vocant, aedificatus: montibus et Alpibus circumquaque cinctus versus occidentem innititur colli, qui alpinos ventos eorumque praepedit inclementiam, quare non iniucunda, temperata ac salubri perfruitur aura. Locum hunc fratribus nostris divinitus destinatum fuisse, prophetico spiritu pauperculus quidam et modicus, simplex tamen et rectus ac b. Virgini devotissimus homuncio, agricola paroeciae Salathiensis, Thomas Weis nomine (a struma, quam gerebat, passim Kropf nominatus) praesagium fecit: siquidem frequentius interrogatus, cur hunc locum (ubi

nostrum modo visitur monasterium, et tunc pratum erat) toties visitans etiam pernoctando, singulari adeo affectu prosequeretur, respondit: Venient huc suo tempore monachi habitus grisei seu subcinericei coloris, ad cultum Dei Matris specialiter deputati. Initio quidem numero pauci, sensim tamen longe copiosiores ac eousque in flore (tiliam digito ostendens teneram), quoad isthaec tenuis arbor ad iustam excreverit magnitudinem. Eo tempore peregrina fides, quam non coluere patres nostri, introducetur, veteri ac vera fide in his partibus aliquamdiu proscripta; haec causabit horum monachorum exilium, et tunc monasterium ab eis inhabitatum vulpibus erit in latibulum; revertentur tamen semper ibi permansuri.

Praeliminariter hisce notatis, primordia conventus Mariani referamus. Suprafatus d. Georgius Gradner, dominii et castri Lancovicensis possessor, eximii servi Dei b. Ioannis a Capistrano suorumque sodalium pio ac humili instituto commotus, circa annum 1455 amplum fundum pro struenda ecclesia et conventu larga cum beneficentia fratribus assignavit, obinde et ob porrectas pro structura auxiliatrices manus claustri huius fundator a plerisque nominatus; et merito, nam fundum ipse donavit, et aedificandi consensum a Friderico III. imperatore suis ipse precibus impetravit die lunae ante festa natalitia post Christum natum 1455. Hic locus, specialiter illa circumferentia, ubi collocanda erat ara gratiosae imaginis, miri odoris et differentis pulcritudinis rosas producebat, quae raritatis et admirationis causa primariis etiam personis deferri solebant. Antequam ad aedificii successum procedamus, gratiosae ac miraculosae iconis b. Virginis Mariae de Gratiis originem et suae huc translationis seriem, prout eam nostrum archivum authentice retinet, recenseamus.

§ 2.

Succincta originis enarratio miraculosae gratiarum matris B. Virginis in Lancoviz.

Est vicus quidam in inferiori Styria, Bartha nomine, a nobili civitate Raggerspurgensi duabus horis distans, ubi a longissimo tempore maxima confluentium fidelium devotione culta fuit imago b. Virginis, statuario opere sedentem Dei matrem, vultu ac habitu quasi ruri natam, dextero brachio sacrum Pusionem gestantem repraesentans; statua haec omnino humilis est, utpote vix palmo seu spithama maior. Ob recepta plurima et extraordinaria beneficia gratitudinis ergo tanta et tam pretiosa fiebant offertoria, quod de thesauro hic ad b. Virginem condito sibi tota pene gratulabatur Styria. Turca Soldanus Mechemet anno 1426 saepius in Styriae inferioris confinia irruens latentem hic thesaurum exploravit, Wartham vicum occupavit, ecclesiam quoque spoliando, thesaurum omnem una cum b. Virginis icone in praedam abstulit. Warthenses non tam de pretiosa nimis supellectili ablata, quam de miraculosa sua super aurum et topazion aestimata sacra icone, iam deperdita, doluerunt. Per integrum septennium imago delituit, in dumetum condensum a Turcis proiecta, miraculoso plane modo a bobus in illa sylva pascentibus per boatum et circumflexionem, quam armentarius stupens intuitus est, manifestata. Armentarius iconem elevare, non levare potens, rem insolitam parocho loci refert, cui idipsum,

quod armentario, accidit ad stuporem; plaustro, cui duo nigri boves iuncti erant, imponitur; verum contra parochi et parochianorum processionaliter praesentium spem et intentionem, non ad ecclesiam pristinam, etsi verberibus adigerentur, boves perrexerunt, sed per triduum absque pabulo, recto tramite versus Alpes Styriae superiores gressus moverunt apud tiliam, quae hodie extra fratrum ecclesiam virentibus adhuc conspicitur foliis, non dimovibiles substiterunt. Signum itaque manifestum censentes, in loco Lancovicensi b. Virginem gratum sibi destinasse habitaculum, cruci quidam sacram iconem qui nobile hoc depositum comitati sunt imposuerunt. Quatuor annos ita culta extitit, donec percrebrescentibus in dies miraculis Sigismundus caesar commotus, sacellum anno 1437 erigi praeceperit cum intentione, quamprimum bella, quibus undique cinctus erat, remitterent, templum Mariano honori construendi magnificentius. D. Georgius Gradner (de quo supra) capellae construendae curam gessit; vita functis Sigismundo et Alberto II. impp., ut magnificum templum plebis copiosioris huc constanter confluentis capax construeretur, Fridericum III. imp. cognomento pacificum, supplex accessit, et dum caesarem clementissime sibi annuentem expertus esset, fratres minores de observantia pro servis Marianis, utut potuit, commendavit; singula quae voluit, in gratiam gratiosae Virginis gratiosissime obtinuit, atque ita habitaculum, sedem, thronum in hoc loco figere dignata est b. Virgo, in sua imagine semper gratiosa miraculosa.

§ 5.

De ecclesiae et conventus Lancovicensis initiis.

Post obtentum Friderici III. imp. gratiosum consensum anno 1456 ecclesiae et monasterio initia data sunt, et post elapsum quadriennium structura quasi omnis perfecta (etsi solum ad duodenos fratres capiendos sufficiens) peregrinantium copioso numero ad plenum solatium fuit. Antefatus caesar amplas fratribus gratias ac privilegia contulit; libere in adiecta sylva ligna caedendi, per prata caesarea aditum habendi, annuam eleemosynam pro necessitate fratrum e suo aerario sumendi etc. Templum primaevum, etsi sat spatiosum, tribus solum instructum erat altaribus; consecrationis solemnia habita sunt secunda Octobris anno 1468, quae perfecit d. Georgius, episcopus Secoviensis, sacras aedes dedicando gloriosissimae Virgini Mariae de Gratiis.

Indies magis magisque peregrinantium devotione adaucta, ut veteri spatio maius adderetur, persaepe a Styriae Provinciae primoribus deliberatum fuit; pios conatus continuo sibi succedentes praepediverunt bellorum tumultus. Pacifice fratres nostri per annos centum hunc conventum Marianum incoluere, videlicet ab anno 1456 usque ad annum 1566, quo Lutheri haeresis ex remotioribus etiam regnis ditiones caesaris ac Styriae ducatum subdole penetrans, non solum grandiorem huius patriae partem, sed et potissima eius capita misere infecerat; hinc horum imperiis minus obsequentes romano-catholici irrisiones, opprobria, suppressiones continuo sustinuerunt. Sacerdotes et monachi ab eorum pacificis possessionibus, dominiis etc. exulare coacti fuerunt. Quod aliis alibi, idipsum nostris fratribus Lancovitii praememorato con-

tigit anno; siquidem relictis omnibus, ecclesia, sacra icone, omni supellectili, paramentis, libris, secretis litteris, denique sine pera vacui e laribus abire Marianis compulsi sunt, clavibus rigido ex mandato traditis Lancovicensis et Preissenneggensis dominiorum usurpatoribus. Lutheri secta infecti, tres currus onerantes cum ecclesiae supellectili, conventibus utensilibus, bibliothecae libris et, quod maxime dolendum, chartophylacii Mariani notatis miraculis, initium quoque et conventus progressum abstulerunt.

Non obstante graviori haeresum inundatione, gratiosae Virginis imago locum, quem sibi mirabiliter praeelegerat, non dimisit, e sacris aedibus, quamvis sine veneratione existeret et tanquam papistarum dea a plerisque lutheranis sarcastice execrata, nunquam alio delata. Plures sacram iconem papistarum idolum nominantes, vel alias cavillantes, infausto plane ac fatali vitae exitu sacrilegii patrati poenas solverunt. Aedes sacrae per viginti duos annos ab haereticis profanatae existebant, donec funestis his lutheranae sectae nebulis plurimum dispulsis, fidei romano-catholicae phoebus sub Rudolpho II. imp. regioni Styriae felicius rutilare coeperit, ac fide pristina restituta, monachis ad sua claustra, unde erant exules, redire permissum fuerit; quare nostri, adstipulante caesaris antefati auctoritate, in festo omnium Sanctorum anno 1588 ad conventum Marianum reversi sunt, invenientes desolationem abominationis in loco sancto et praeter nudos parietes habitaculi commoditatem nullam, per plures dies in saecularium aedibus hospitium petere coacti. Gaudium et stupor nilominus accidit illis: nam tilia, de qua supra mentio facta est, toto tempore absentiae arida et quasi luctuosa, ad regressum eorum in dicto festo pullulare coepit ac folia producere, demirantibus etiam fidei adversariis rei novitatem. Nec minus postquam nostri sedem denuo hic fixissent cultumque gratiosae imaginis publicum reassumpsissent, ipsa quoque, quae arbor vitae est, refloruit miraculis. Quae, cum excell. supremus Styriae mareschallus, d. Wolfgangus, comes de Sauran, inaudiisset, ipse etiam plura b. Virginis intercessione dona sensisset, anno 1651 suis sumptibus nobile b. Virgini de Gratiis fieri fecit altare, cui Ioannes Marius, episcopus Secoviensis, sacram iconem solemni in processione portatam die 25 Iulii eodem anno reverenter imposuit; elapso vero biennio, percrebrescentium miraculorum fama commotus, in festo s. Mariae ad Nives per solemne instrumentum gratiosam declaravit. Anno 1684 d. Ioannis Sigefridi, s. r. i. principis de Eggenberg et ducis Crumloviensis, permagnis sumptibus templum magis ampliatum, summa ara elegantius erecta gratiosae Virginis imago, ut devotis peregrinantibus spectabilior fieret, collocata fuit. Ioannes Ernestus, episcopus Secoviensis e com. de Thun, eandem aram cum suis lateralibus ac ipsa ecclesia solemni ritu dedicavit dominica secunda post pascha mox praedicto anno, quam consecrationis diem hodiedum celebrat. Innocentius XII. anno 1693 gratiose declaratam b. Virginis imaginem miraculosam nominavit.

Praeter altare maius ex parte evangelii primum dedicatum est s. Iosepho Christi nutritio, sumptibus excell. d. Nicolai com. de Lodron. etc., qui una cum consorte sub eodem in Domino quiescit; secundum s. Annae matris b. V. Ex parte epistolae pro ampliando magis ampliati templi spatio anno 1712 ararum loco duo sacella maiora adnexa sunt: primum cum suo altari stigmatizato nostro s. Patri, alterum Christo cruci affixo dedicatum est. Extra ecclesiam versus septentrionem exstat sacellum s. Antonii Paduani die 5 Maii 1666 a d. Maximiliano Gandulpho, e comit. de Künburg, consecratum. Anno 1729 post summum altare in loco gazophylacii ara s.

Barbarae accessit, quam consecravit d. Iacobus Ernestus, e comit. de Liechtenstein. Dictum b. v. gazophylacium largis nobilitatis Graecensis aliorumque Mariae devotorum offertoriis praedives est, auro, argento, unionibus, lapidibus pretiosis, supellectili sacra, vestibus etc. copiose instructum; quod potiorem potioris argenti portionem debet munificentissimo franciscanorum maecenati excell. d. Sigismundo, e comit. de Wagensperg, ducatus Styriae supremo capitaneo.

Conventus gratioso-Marianus, (cuius fabrica larga, ampla, bene fornicata ac per circuitum muro clausa existit), copia fratrum pro divino cultu, choro, ecclesia, sacro poenitentiae tribunali, tertius in Provincia est; quinquaginta enim et subin plures de familia religiosos numerat, inter hos viginti duos sacerdotes, constantes in exuberante messe dominica et confessionali operarios. Omnibus piorum Mariae Lancovicensi devotorum largitas vel ostiatim requisita, vel bonitate propria illecta vitae necessaria ubertim subministrat. Pro capiendis tot fratribus anno 1709 versus meridiem structurae conventus altera contignatio imposita fuit, potissimum exhibens philosophiae studentibus sub proprio magistro et lectore hic degentibus habitationem perquam accommodam; gaudet igitur conventus duplici dormitorio, competente bibliotheca, iucundo, non tamen amplo viridario, gratissimo rivulo irrigato. Mariani huius asceterii situs amoenitas maioribus nostris persuasit, ut id prae aliis eligerent ad danda tyronibus conversis religiosa spiritus seraphici fundamenta, vel neo-professis studiosis sanctiora asceseos fundamenta: hinc praeter studium philosophicum et professorium laicorum quoque tyrocinium habetur. Solent etiam in spiritu iam veterani patres pro amplius capienda quiete, magis hic a forensium tumultibus liberi, eo secedere, alii non raro sanitatis capessendae causa huc movere, a gratiosa Matre de Gratiis tutelam, a bona aura optatam valetudinem obtinentes. Ipse Fridericus III. imperator, dum aut venationis aut devotionis gratia hic diverteret, in claustro Mariano, quod semper in deliciis habuit, residere solitus erat. Unde in perpetuam dignationis suae reminiscentiam habitaculum ab eo inhabitatum hodiedum caesaris conclave nuncupatur; et lignea tabula per aureas litteras omni posteritati idipsum exprimit verbis sequentibus: SACRATISSIMI ET INVICTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS FRIDERICI III. CUBICULUM.

In Mariani huius conventus ecclesia praeter alias familias praecipue sibi conditorium elegit ill.^{ma} familia II. bb. et comitum de Herberstein, quorum cineres sub marmore clausi conspiciuntur. Sereniss. dux Crumloviae, s. r. i. princeps de Eggenberg, Ioannes Fridericus huius Mariani templi ampliator, quemadmodum in vivis totus corde suo loco huic affixus erat, ita post mortem in eodem cor suum ante summum altare recondi voluit.

Chordigerorum s. p. n. confraternitas anno 1614 introducta fuit, singulis primis mensium dominicis, post dictum e pulpito sermonem, suam celebrat processionem, pro qua devote comitanda ex remotioribus etiam locis et praecelsis Alpium cacuminibus plebs devota numerosissime accurrit.

Claustrum cum ecclesia quoad spiritualia subiacet d. episcopo Secoviensi, alias per Styriam vicarii generalis ipsius archiepiscopi Salisburgensis.

Sigillum conventus exhibet iconem b. Mariae Virginis de Gratiis per totum radiis circumdatam, in orbem vero has exprimit litteras: SIG. CONV. FRANCISCAN. LANCOVIZ. 1652.

CAPUT XII.

§ 1.

XI. Conventus Puppinganus in Austria ad s. Wolfgangum episcopum. De loco Puppingano.

Puppinga pagus est sat modicus, paucissima, si unam alteramve domum excipias, complectens tuguria, situs in Austria supra Onasum, versus occidentem ipsam Bavariam respicit, dissitus Lincio duobus, Vienna triginta, Passavio septem leucis germanicis. Lincium metropolis est superioris Austriae, archiduci obsequa, aedificiis, palatiis, monasteriis, viridariis, suburbiis maxime spectabilibus ad splendorem decorata; moeniis fortificata ac ponte insigni super Danubii flumen (quo urbs se transdanubialibus communicat) nobiliter provisa. Trinis vicibus sustinuit incendia 1441, 1509 et 1602. Ultimo tamen gloriosior a busto surrexit gloriosissimis sumptibus Ferdinandi II. caesaris eiusdemque augustae conthoralis Annae. Gaudet universitate et magnifica acropoli, quam incolit caesaris loco provinciae capitaneus etc. Passavium seu Patavium, Bavariae confinibus adsita urbs, est s. r. i. principi et episcopo Passaviensi subiecta, vetustate, venustate ac amplitudine percelebris. Danubium qua principem duosque alios fluvios Oenum et Ilzam, qui hoc loco ipsi illabuntur, accolit; unde in quatuor dividitur partes: una, quae adiacet Oeno ab hoc, altera, quae Ilzae ab illo, quae vero Danubio est contermina urbis Pataviensis nomen sortitur; quarta demum pars Oberhausen audit. Praeter ultimam, ubi supra collem s. Georgii castrum est episcopi, omnes satis munitae sunt contra hostium insultus.

Pagus Puppinganus, etsi de se ignobilis, de nobili nihilominus ac peramoena gloriatur vicinia: ad dexteram cum celebri castro Aschavium, oppidum ad ripam Danubii situm, aliquando caesareum, iam ill.mae familiae comit. de Harrach subditum, ad laevam civitatem Efferdingam nomine, arce munitam, quae familiae com. de Starrhemberg suis obsequiis veneratur, respicit; e regione vetustate et fortitudine praeclara arx in rupe sublimata Schaumburg dicta, opponitur, mox fatae famliae Starrhembergicae una cum pago Puppingano iure subiecta. Versus Aschavium cernuntur aedes parochialis ecclesiae, cui olim sacellum s. Ottmari (ubi nostra iam spectatur ecclesia) qua filia matri subdita erat. Singula modo recensita loca vix horula Puppinga dissita sunt; unde monasterium nostrum in virentium pratorum medio aliunde consistens situs iucunditate et gratiosa memoratorum locorum vicinitate perfruitur eo beatius, quo humiliori topo conspicitur erectum.

§ 2.

De ecclesiae et conventus origine.

Sigismundus et Wolfgangus, duo germani fratres, ac Udalricus et Georgius consobrini eorum, omnes ex nobilissima et vetustissima prosapia comit. de Schaumburg etc., thesauros sibi recondere volentes in caelis, fama sanctitatis b. viri Ioannis a Capistrano ac fratrum nostrorum vitae exemplaritate permoti, huius monasterii et ec-

clesiae fundatores ac fundi amplissimi datores exstitere. Erat e vicino arcis eorum, Schaumburg dictae, sacellum sat modicum d. Ottmaro abbati dicatum, alias, ut diximus, paroeciae Hartkirchensis filiale; quare cum id his viris illustribus singulari amori esset ex eo, quod s. Wolfgangus episcopus ibi secundum s. Ottmari prognosticon spiritum suum Altissimo reddidisset, unanimiter, stimulante cumprimis Wolfgango, statuerunt, pro ampliando Dei honore in honorem s. Wolfgangi hic tumulati templum et coenobium erigere. Advocant igitur fratres, fundum peramplum donant pro aedificanda ecclesia et conventu, spatium designant, consensum dioecesani d. Udalrici, episcopi Passaviensis, elaborant, tandem per solemnes litteras die sabbati ante Ascensionem dominicam 1477 fundum designatum tradunt. Attributo nobis s. Ottmari sacello ac parochiali aedicula huic immediate contigua, construendis in honorem s. Wolfgangi aedibus mox dicto anno initia fiebant, paucisve post annis machina magna, quae actu conspicitur, surrexit ecclesiae, quadratis lapidibus, praeclara latitudine, altitudine ac longitudine donata, ope praeprimis illustriss. comitum antefatorum, potissimum vero aliorum fidelium largitionibus ac spontaneis eleemosynis. Templum per rev.^{mum} d. Albertum, episc. Salonensem, honoribus ss. Wolfgangi episc., Ottmari abb., Francisci Seraphici, Bernardini Sen., ss. M. Magdalenae, Clarae v. et omnium Sanctorum die 10 Maii 1490 consecratum est. In eo praeter summum altare, etsi amplissimum esset spatium, non nisi quatuor minores arae erectae sunt: in cornu evangelii s. p. n. Francisci et s. Michaelis archangeli, in cornu epistolae b. Mariae Virginis immaculatae, et s. Ioannis a Capistrano. In superiori ecclesia seu saecularium choro durissimo ex saxo sese ex utraque parte longius diffundente aliae duae, nimirum: s. Luciae virg. et mart. et s. Stephani protomartyris conspiciuntur. Quinque priores VI. Iunii anno 1642 (cum, ut dicemus, tum a luthericolis, tum a tumultuosis rusticis vel destructae, vel una cum ecclesia profanatae essent), ultimo consecravit d. Bartholomaeus Kobald, episc. Lambsacensis et sereniss. archiducis ac episcopi Passaviensis suffraganeus. His anno 1665 variorum benefactorum subsidiis sacellum maius s. Antonii Paduani accessit, necdum consecratum.

In medio sacrarii ante gradus arae maioris iacent exuviae seu cor ac intestina s. Wolfgangi, episc. Ratisbonensis, huius templi tutelaris, quoniam in hoc loco secundum s. Ottmari adiutoris sui praesagium, postquam ad inferiorem Austriam descensurus subito infirmaretur, piissime migravit ad Dominum. Sepulcralem ex rubeo marmore lapidem circumdant teguntque cancelli ferrei et deaurati, supra quibus elevata conspicitur lampas ex aurichalco artificiose elaborata et cor repraesentans, ut in honorem huius Sancti perpetuo ardeat, devote fundata scriptura, marmori incisa, ex germanico in latinum translata, legitur talis: Hic defunctus est s. auxiliator, episcopus et confessor s. Wolfgangus post Christi nativitatem anno 994, dum eidem ante viginti duos annos a Deo [per] s. Ottmarum abbatem praenuntiatum esset, cuius loco et ad perpetuam memoriam hic eius habentur intestina.

Lapides mortuales rubei marmoris huius ecclesiae navim potiori ex parte tegunt, sub quibus nobilissimi cineres Schaumburgensis et Pettaviensis familiarum, in hunc conventum et ecclesiam aut fundatione aut subsidiaria clargitione semper beneficarum, artificioso opere clauduntur. Haecce de moderni s. Wolfgangi laribus, olim s. Ottmari aedibus satis sunto, quae, tametsi pervetusta templi fabrica seram eiusdem aetatem testetur, tamen fundamentis suis firma, structura sua stabilis, antiquitate sua nobilis ac ab initiis suis usque ad praesens immutata remansit.

Prima huius conventus structura quatuor supra viginti numerabat cellas; inter has una amplior erat d. comitis fundatoris, quam frequentius ipse, ut fratrum consortio potiretur, incoluit; franciscanorum ita fundator factus, fautor, sodalis, inquilinus. Invalescente in his partibus lutherana haeresi, nobilissimas etiam familias inficiente, fratribus nostris, qui strenue fortiterque sese illis opposuerunt eorumque dogmata et publice et privatc impugnarunt, omnis per circuitum eleemosyna denegata est, iisque demum claustro suo pulsis, ecclesia, sacra vasa, campanae etc. ac omnia conventus mobilia in sacrilega abierunt haereticorum spolia. Anna e familia Schaumburgensi ultima et fundi Puppingani domina, quoniam et ipsa labe Lutheri infecta erat, non eruhuit singula publico in foro venalia exponere turpis lucri gratia. Verum post annum vix elapsum vita functa est, fidei et facti sui Deo rationem redditura. Septuaginta pluribus annis in hoc conventu domicilium fixerunt haeretici eorumque praedicantes. Post plurimas cum acatholicis controversias, mandante Ferdinando II. imperatore et Maximiliano Bavariae duce (qui tunc superiorem Austriam gubernabat) exequente, fratres nostri armata manu in pristinam conventus possessionem missi sunt die 29 Augusti anno 1621. Verum in periculoso rusticorum lutherizantium tumultu, ob implacabilem eorum contra religiosos et nostros saevitiem, anno 1626 hic locus denuo ipsorum furori ac malitiae cessit, nostris, ut vitam solum salvarent, per plures menses iterum profugis. Demum seditione hac beate sopita, conventus haereticorum et rebellium rusticorum rabie plurimum devastatus p. Francisci Balpurgi, loci praesidis, cura iterum reparatus est, d. Maximiliano de Spindlern, s. c. m. consiliario, praeprimis largam eleemosynam contribuente. Anno 1641 ad frontispicium ecclesiae turris spectabilis adiuncta est variis benefactorum eleemosynis, eidemque s. Wolfgangi effigies bene deaurata superimposita.

Cum denique vetustate sua claustrum omnino ruinosum esset, celsissima principissa d. Eva de Estorhas, nata com. de Töckeli, s. r. i. principis Pauli palatini regni Hungariae relicta vidua, ultimis tabulis suis munificentissimam eius egit fundatricem, non solum, ut conventus quasi funditus de novo construeretur, constructus conservaretur, verum et plures fratres in eo collocarentur, amplissimum aes eleemosynarium designavit. Unde die 15 Martii anno 1728 novae fabricae (primum lapidem ponente reverendissimo d. Georgio Weindl, episcopi Passaviensis protonotario et prodecano) iacta sunt fundamenta sub provincialatu a. r. p. Crescentii Krisper, atque ita relicta sua vetustate conventus speciosissimam iam induit formam, et quidquid in eius structura splendidum, venustum dignumque visu est, largissimam antefatae cels. fundatricis depraedicat munificentiam.

Actu hic conventus 26 fratres alit; alimenta aliaque necessaria, praeter ea, quae ostiatim a largitate fidelium emendicantur, maternae dictae fundatricis manus exsolvunt. Hortus hic sat amplus et ornatus est ad singularem animi relaxationem, praecipue ob ambitum unum altissimis pinis ex utroque latere deliciose septum, cuius extremitas deambulantium oculis eremitorium s. p. n. obiicit necessariis omnibus, figuris plurimis, etiam agitabilibus aliisque curiosis obunde instructum. Conventus libraria, licet non modica sit, longe nilominus amplior foret, ni Lutheri temporibus potior eius pars in spolium et rapinam obivisset.

Viget quoque permagna in s. p. Franciscum stata pietas, quae tum ex tertio Ordine (cui plurimi utriusque sexus fideles etiam distantioribus ex locis sua nomina dederunt), tum ex eius sodalitate continuum sumit incrementum. Confraternitas haec

prope saeculum suae fundationis commemorat, siquidem erecta est anno 1636. Tertius vero Ordo initia firmiora habuit anno 1719.

Sigillum conventus s. tutelarem et episcopum Wolfgangum stantem exhibet, pontificalibus indutum, in sinistro baculum pastoralem, in dextera asciam tenentem; in inscriptione legitur: SIG. CONV. FRANCISCAN. PUPPING. 1652.

CAPUT XIII.

§ 1.

Conventus Neo-Lembacensis in Austria. De oppido Lembacensi.

Erat olim maximae vetustatis oppidum caesareum, vulgo Lengbacum, germanis Lengbach, ob amnem praeterfluentem longiorive tractu Tulnae fluvio sese iniicientem, ita vocitatum, multis imperatorum privilegiis cumulatum ac arce bene structa munitum. Semi altera hora abhinc posita erat in colle sublimiori domus venatoria pro commoditate caesaris, qui ad agitandas feras in adiacentibus sylvis numerose latitantes frequentius hunc locum accesserat, ad singularem iucunditatem constructa. Haec temporis tractu imperatoriis praecipue sumptibus in insignem excrevit arcem omnino, ut hodie videre est, spectabilem. Et quoniam in ea reperitur armamentarium diversorum armorum genere bene instructum ac turribus egregie custoditum, merito in locum refugii abiit totius vicinitatis; quare, ut ad eam res suas salvare ac imminente hostilis invasionis tempore ea qua loco praesidiario gaudere valeant, quaedam dominia pro huius digna conservatione seu in aere, seu in natura annuatim certa quaeque contribuunt in hodiernam usque diem. Magnifice huic arci sensim plures aediculae ac domus adnexae sunt, adeo quod actu nobilem exhibeat oppidi formam. Ab initiis suis immediate subdebatur caesari, postquam autem excell.^mus d. Ioannes Eusebius Khuen de Belasii etc., Rudolphi II. imp. consiliarius intimus et colonellus etc., pluries victoriosas de hostibus reportasset palmas, caesar gratitudinis ergo arcem cum omnibus ad eam pertinentibus perpetuo eidem iure adscripsit, qui subin arcem renovari ac expensis sat sumptuosis fortius muniri fecit; unde hic locus ad distinctionem veteris Lengbaci Neo-Lembacum a cunctis nominari coepit. Ecclesia parochiali pollet s. Nicolai episcopi patrocinium implorante, quae una cum suis parochianis quoad spiritualia subdita est s. r. i. principi ac episcopo Passaviensi.

§. 2.

De initiis conventus et ecclesiae Lembacensis ad Ss. Triadem.

Postquam Ottomanidum immanitas amoenissimum franciscanorum claustrum b. Virginis in Paradiso nuncupatum et a loco Lembacensi tribus solum milliaribus dissitum (ut alibi diximus) die 26 Septembris anno 1529 funditus exussisset, ac tractu

temporis penitus demollitum esset, altissimi Dei bonitas post saeculum vix emensuratum, mediante largissimi fundatoris munificentia, fratribus aliud monasterium suscitavit. Siquidem supra nominatus excell.mus d. Ioannes Eusebius Khuen de Belasii etc., oculis propriis cernens aliorumque relatu intelligens, fratres nostros lutheranismi tempore plurimam messem spiritualem fecisse, conterminos suae arci Lembacensi pagos, oppida, nobiles et rurales catholicae fidei restituisse; ultima Decembris, seu in ipsa anni 1615 clausula concludebat fratribus nostris construere ecclesiam, erigere conventum. Sequente igitur anno lapis primus fundamentis impositus est et, materialibus copiosissime comparatis, fabrica praeclare surgere incepit; verum coeptam plene consummare nequivit, quoniam pro centupliciter in aeternum recipienda mercede Deus eundem septuagenario maiorem ad caelos evocavit non abs gravi omnium egentium ac fratrum nostrorum luctu et lacrymis. Piissima intentione inchoata plene perfecit haeres universorum et lectissima eius conthoralis d. Maria, nata l. b. Werchin de Tauberleipp, quae morituri sui mariti voluntatem fidelissime executa, non solum aedificium ecclesiae et conventus strenue promovit et consummavit, verum et pro eorundem conservatione ac fratrum sustentatione ordinatam per ultimas tabulas fundationem, etsi sat amplam, lubenti cum promptitudine executioni mandavit; immo, ut ea pinguior redderetur, nobilem ex propriis superaddidit portionem, quae nihilominus ob infaustam temporum mutationem iam plurimum diminuta est.

Anno a partu virginco 1627 sub pontificatu Urbani PP. VIII. et imperio Ferdinandi II. in ipsa s. Catharinae v. et m. festivitate (ex felicissima serenissimi Ferdinandi Ernesti regis Hungarorum in regem Bohemiae coronatione ter memorabili) fratres nostri solemni cum processione et oppidanorum iucundo comitatu ad neoconstructum claustrum introducti sunt ad singularissimam piissimae fundatricis, quae una cum nobilissima sua prosapia huic actui intererat, laetitiam et exultationem. Primus huius loci praesidens, dein guardianus r. p. Ioannes Baptista Klöpfer nuncupatus est.

Fabrica omnis in quadro posita magnifica est, robustissimo innixa fundamento ac supra monticulo sese erigens; ad meridiem arcem Lembacensem, ad occidentem xenodochium oppidanum, versus septentrionem tripartitum conventus viridarium respiciens, versus aliam partem seu orientem peramoenam intuetur planitiem, arboribus, pratis, agris, monticulis, sylvulis etc. profuse septam. Aura hic saluberrima est, quoniam continui iique validi omni tempore venti; hinc ea plurimum fratrum consulit valetudini, ex eo vel maxime attendenda, quod in hoc conventu per centum et plures annos, seu ab initiis structurae suae usque in praesens non nisi triginta duo fratres mortem oppetierint, quorum plures senio, non pauci peste obierunt. Claustrum nullas sibi adnexas habet aedes; in suo dormitorio 24 continet habitacula et actu fratres 20 alit et unum, subinde etiam studium morale. Praeter fratrum cellas in infima contignatione promptuaria, camerae ac officinae bene fornicatae numerantur quamplures; tum ecclesiae et sacristiae, tum refectorii ambituumque claustri omnium pavimentum marmore stratum est. Hortus triplex, unus altero elevatior conspicitur, primus pomarium simul est et olitorium, alter florum arbusculorumque varietate decorus, tertius vites continet plures ad fratrum non modicum solamen. Singuli fontibus duobus, quorum unus ex lapidibus sectis spectatibilis est, irrigantur; fons alius his longe nobilior in medio conventus spectatur, antlia lympham dispensans sapidissimam, profunditatem 14 orgyarum habens, solidis per

totum et quadris lapidibus munitus ac in imis fundamentis cacabo ex marmore bene provisus.

Templum, cuius navis oblonga et admodum lucida est, firmissimis undique fornicibus circumplectitur, ac post aram maiorem choro fratrum, supra ecclesiae fores choro saecularium clauditur. Turris cupro tecta, bino aere campano, more franciscanae paupertatis sat modico resonat. Ecclesia cum claustro ac altari maiori Ss. et individuae Trinitati consecrata est. Consecrationis solemnia peregit eminentissimus s. r. e. cardinalis et episcopus Viennensis Melchior Kleselius die 14 Iulii 1632. Annuam vero dedicationis memoriam, ob s. Bonaventurae episc. doct. octavam, rev.mus d. Cyriacus Roccius, archiepiscopus Patracensis et Urbanii PP. VIII. ad caesarem nuntius, dominica post octavam ss. apostolorum Petri et Pauli auctoritate apostolica perpetuo fieri voluit. Duo in ea reperiuntur altaria lateralia immaculatae Dei genitricis, privilegio perpetuo diebus lunae et sabbati ad refrigerium animarum purgantium decoratum; alterum chordigerorum est s. p. n. Francisco sacrum; singulis ss. reliquias imposuit die 19 Maii 1717 rev.mus d. Raymundus e comit. de Lamberg, episcopus Aulonensis, suffraganeus Passaviensis. Altaribus praedictis adnumeratur ara cum sacello sat amplo s. Antonii Paduani, quod ex beneficio a. r. d. Petri Allabrandini, quondam in vicinia parochi, surrexit. Triplicem hocce templum subfossam tenet cryptam, et praeter fratrum sepulturam plures nobiles, praesertim nobilissimarum familiarum comitum de Khuen et Bortholloti de Portenfeld, sibi in ea conditorium destinarunt.

Sodalitas chordigerorum s. p. n. cum huius conventus erectione sua initia sumpsit anno 1632, cui praeter alios utriusque sexus nobiles ipsi fundatores primum sua nomina dedere et s. Patris chorda publice cingi petierunt in ipso Portiunculae festo, spectante innumera populi multitudine. Ex hoc conventu nostri christianam doctrinam turbae pusillorum dispensant, a potiori in paroecia cathedrali perficiunt, praeterquam quod diebus dominicis ac festivis verbum Dei in nostra etiam populo proponatur ecclesia.

Anno 1683, dum turcica arma Austriae metropoli exterminium superbo apparatu pararent, quaedam huius lunae cornutae et Tartarorum copiae Lembacum irruerunt, depraedare, conflagrare cupientes; cum vero arx bene munita tormentis muralibus, machinis uncatis aliisque armis militaribus egregie resonaret, strepitu bellico perterriti hostes, ulteriorem impetum in arcem et conventum tentare quidem non sunt ausi: verum Tartari fugae sese dare intendentes, horti nostri inferioris fores, quibus patentissima ad claustrum via est, perfregerunt, impetuose irruerunt, paramenta pretiosa ac optima quaeque a piissimis fundatoribus ecclesiae large oblata (demptis sacris vasibus, argenteis aureisque donariis antea in arcem salvatis) abripuerunt ac in conventu praeter busta nil prorsus reliquerunt. Duo fratres, reliquis securitatis gratia ad arcem mature fugientibus, spontanee, ut finem viderent, cordatiori animo remanserunt, videlicet: fr. Adiutus laicus, coquus, qui in quodam loco abdito mortem evasit; p. Bernardinus vero, natione Italus ac probus sacerdos, animam Deo commendans et hostium furori se ultro offerens, a Tartaris in horto capite plexus est; huius calvaria, ad pedes pictae imaginis s. p. n. Stigmatizati devote posita, hodiedum visitur. Monasterium cum ecclesia a busto surrexit plene iam reparatum piorum eleemosyna fidelium, in sudore vultus sui collecta per rel. p. Elzearium Demel anno 1689. Nunc et integritati restitutum et plurimum renovatum ob

structurae firmitatem, aurae et situs salubritatem inter amoeniores Provinciae conventus reputatur. Postquam arx Lembacensis per solemnem emptionis contractum cum omnibus appertinentiis pleno iure transiit ad illustrissimam familiam comit. de Bortholotti etc., conventus iam d. Carolum Ludovicum, ex eadem familia comitem et in utroque Lembaco dominum ac sacrae caesareae maiestatis consiliarium, fundatorem veneratur.

Sigillum exprimit Ss. Triadem in nubibus sublimatam et B. Virginem coronantem; litterae vero per orbem hae visuntur: SIG. CONV. FRANCISCAN. LEMBACEN. anno 1652.

CAPUT XIV.

§ 1.

Conventus Greinburgensis in Austria ad s. Antonium Paduanum. De loco Greinburgensi.

Greinopolis, Grein seu Greinburgum, olim Henricoburgum (ex eo, quod arx spectatissima supra rupem excelsam a quodam domino Henrico de Hartegg pretiosioribus sumptibus constructa fuerit) nuncupatum; hodie superioribus Austriae urbibus adnumeratur. Tametsi enim a suis initiis oppidum erat, Fridericus III. augustus, dum per Danubium fluvium, qui ad pedem montis, arcis et loci pleno, ast placido cursu praeterfluit, in navi aliquando viam descenderet, urbem constituit circa annum 1490. Variis dominis hic locus paruit; anno 1621 transiit iure emptionis ad excell.mum d. Leonardum Helfridum comit. de Meggau, franciscani claustri, ut infra dicemus, fundatorem. Arx sua natura non solum, verum et arte, catapulta machinisque militaribus sat munita insignis est ac decora; insignior tamen, magisve decora redditur a quadam picta B. Virginis icone, quae in eiusdem arcis magnifico sacello publicae exposita est venerationi, a vulgo nigra mater Dei (quoniam in nigra se suumque Filium praesentat facie) passim appellata; plurimis corruscat gratiis, obinde ad eam non raro copiosus est accursus. Situs loci, dempto rigidae hyemis tempore, ob continuo transeuntes naves, quae ex Bavaria, Tyroli, imperio aliisque superioribus provinciis, mercimoniis variis repletae, in inferiorem Austriam, etiam in Hungariae regnum plane abeunt, est iucundissimus, auraeque constanter saluberrimae temperies. Planities, quam ex una parte respicit, maximae frugis est, optata cum liberalitate suum exsolvens colonum. Octo ab hoc loco stadiis binae pervetustae omnino ruinosae ac in ruderibus iacentes spectantur arces, una a dexteris, quae Werffenstein, altera a sinistris, quae Mittenburg appellatur; prior ob grandem suam voraginem, posterior ob gravissimos scopulos omni navigio quasi Charybdis et Scylla rarissime non est non infensa, propitia nihilominus nautis magis peritis. Hac licet navigantibus exitiabiles, contra hostiles invasiones tamen maxime utiles; quoniam pro fortissimo deserviunt repagulo, catenae siquidem ferreae ab una ad alteram fluminis ripam oratim protensae omnem per aquam descendendi aut ascendendi viam praecludunt, omneque impediunt navigium.

§. 2.

De conventu et ecclesia fratrum nostrorum.

Ut plenum meritoriae messis manipulum reportaret, Deum aliquando visurus in Sion, de virtute in virtutem, seu de beneficio in beneficium gressus faceret continuos excell.mus d. comes Leonardus Helfridus de Meggau etc., Rudolphi II., Mathiae et Ferdinandi II. trium imperatorum ab intimis consiliis etc. non satis erat sibi bene vivere, nisi etiam studuisset aliis bene facere, beneficia beneficiis cumulare. Praeterquam enim quod in conventus Viennensis structuram eiusdemque templi s. M. Magdalenae sacellum ac aram munificum egisset maecenatem, seraphici Patris nostri meritis fratrumque nostrorum piis confisus suffragiis, maxime praeclara opera in reducendis ad fidem orthodoxam haereticis illo aevo sedulo impensa commotus, ad arcem suam Greinburgensem propriis impendiis resolvit fabricari ecclesiam cum conventu omnemque structuram supremo numini, Dei Matri, nostro s. Patri eiusque magno filio s. Antonio Paduano dedicari. Anno 1623 fundamentalem lapidem terrae imposuit rev.mus d. Maximilianus, canonicis regularibus s. Augustini ad s. Ioannem Evangelistam Waldhusii praepositus; quinquennio nedum completo aedificium, quod fratres 12 caperet, benedicente Domino, absolutum est, templum vero die 22 Aprilis anno 1628 honoribus d. thaumaturgi Paduani consecratum per rev.mum d. Augustinum ordinis s. Benedicti, Viennae ad Scotos abbatem et episcopum Germanicensem. Ecclesiam festive dedicatam paulo post munificentia fundatoris suaeque lectissimae consortis pretiosis auro argentove refulgentibus paramentis ditavit, ac omni, quae ad cultum Dei facit, sacra supellectili adornavit; conventum vero bibliotheca, quae multum nunc operibus numerosior est, liberalissime locupletavit.

Postquam nostri stationem fixissent Greinburgi, ac sedulos continuos labores in extirpandis funditus Lutheri erroribus ad singulare pientissimi fundatoris solamen impendissent, ut fides catholica, Deo incrementum dante, in dies magis magisque accresceret, pristinae fidei restituti fratrum adiutorio amplius in coeptis pietatum exercitiis solidarentur, praeprimis chordigerorum s. p. n. confraternitatem institui voluit anno 1637. Anno 1639 ad conventus muros aedes b. Virginis Lauretanas ad amussim illarum, quae per angelicas manus Tersacto per mare portatae, in agro Piceno collocatae visuntur, construxit, peculiari sacristia ac extra illam s. matris Annae ara nec non pulcro ornatu instruxit. Praefatae sacrae aedes die 17 Iunii anno 1640 consecratae sunt a rev.mo d. Ioanne Casparo Strodele, episcopo in Sarepta et suffraganeo Passaviensi etc. Gazophylacium, quod hic reperitur, multum dives redditum est imp. Ferdinandi II, augustissimae eius coniugis Leopoldinae ac Leopoldi Gulielmi archiducis donariis ac muneribus variis; excell.mus d. comes fundator virgam sanguine conspersam, qua Salvator noster a iudaeis caesus traditur, a caesare sibi pro pretiosissimo munere oblatam, eidem imposuit auro, argento ac unionibus speciose exornatum; varia beneficia tam spiritualia quam corporalia, vel ad solum eius contactum, vel per res ad eam attactas pluries recepta, sacratissimum hoc reliquiarium reddit huc peregrinantibus perquam aestimandum sagisque, uti ex earum confessionibus habetur, tremendum. Praeter recensita reservat quoque particulam ligni s. Crucis, binas spinas de corona Christi; item duo grana ex corollario bb. Ioannae a s. Cruce

et Ludovicae sanctimonialium, ut fertur, in caelo benedicta, per quarum venerationem aut contactum Deum mira multa iam patrasse omnino probatum habetur.

Anno 1641 piissimus fundator initia dedit mortui Redemptoris sepulcro, quod suo originali Ierosolymitano omnino conforme est; idem cum sua ara praenominatus consecravit episcopus. Paucis admodum abhinc passibus supra eminentiorem longe petram strui curavit montem Calvariae, ac in eo salutiferi ligni triumphalis crucem collocari; ad hunc per amplas ac longas plurium graduum scalas patet accessus, et, ne invisentibus eum qualiscumque caeli inclementia a concepta deterreat devotione, ascensus omnis per totum tectus est, neve illis difficilis accidat per gradus lapideos conscensio, amarissimae passionis stationes septem celebri penicillo pictas apponi mandavit. Ut et fratres suum quoque amplius in pietate haberent oblectamentum, s. p. n. Francisci vitam vitaeque miranda, dum a dicto monte descenditur ex latere dextero, statuario opere superaddidit. Locus ob salientis aquae et collis gratiam peramoeno gaudet situ; visitur in eo mons Alverniae artificiose formatus, ubi seraphicus Patriarcha, crucifixi Numinis amore inflammatus, a Seraphino sacris stigmatibus insignitur; singula ad imitationem eremi devotissime coadunata sunt. Subter montis ac muri hiatu repraesentatur aedicula s. Mariae angelorum, crypta s. patris n. etc. Demum ne fratres nostri diebus solemnioribus ob magnum poenitentium numerum a sacri tribunalis sessione arceantur, liberalitas munificentissimi fundatoris musicam figuratam ad divinum officium, quotiescumque id ad altare solemni ritu peragi necesse est, figuraliter celebrandum larga fundatione constituit, aedes seu domum capellae pro duodecim iuvenibus, qui a proprio magistro tum litteris humanioribus tum musicae praeceptis solerter imbuuntur, suis impendiis adaptavit ac perpetuo dotavit. Et hi sunt praeclarae pietatis partus, magna munifici fundatoris monumenta, continua sui in nostros affectus testimonia.

Ecclesia satis capax, quinque decoratur aris: prima et maior dedicatur b. Virgini in caelos assumptae; secunda s. Cruci; tertia s. Antonio Paduano ecclesiae patrono; quarta ss. quatuordecim Auxiliatorum honoribus; quinta s. Petro de Alcantara. Duae ultimae recentius erectae necdum, priores vero una cum templi dedicatione consecrationis beneficium eodem anno ab eodemque episcopo, ut supra innuimus, obtinuere. Praeter superius enumerata devotionis loca, etsi ea sola sufficerent ad augendam concurrentis plebis pietatem, anno 1728 dolorosa crucis Christi via hoc in loco erecta fuit; quo quoque anno etiam introductus est tertius s. Patris n. ordo.

Religiosum hoc fratrum coenobium tanto fundatore dignissimum, in editiori colle situm, perfectum quadrangulum efformat, duo numerat dormitoria, cellas quamplures, quae quasi omnes singularissimo fundatoris beneficio calefiunt hyemis tempore, qua ratione patres seu meritis seu aetate consummati huc collocari solent; universim vero tum ex fundatione tum piae viciniae subsidiariis eleemosynis 20 fratres sustentantur. Hortalitium nonnihil anxium, perlongum tamen est ac fratribus in illo ambulantibus vel maxime obinde iucundum, quod ex illo omnes per Danubium deorsum remigantes, vel etiam equorum octoginta, subin plurium tractu ascendentes naves, plurimis mercibus aut vini quantitate onustas, hilari obtutu conspicere liceat. Ascenditur ad hunc conventum per scalas graduum 32; anno 1682 tanta erat Danubii inundatio, quod aquae e suo consueto littore rumpentes memoratas nostri conventus scalas usque ad decimum gradum ad omnium terrorem attigerint. Ut huius fati perennis haberetur memoria, sequens legitur scriptura: Notate posteri!

anno 1682 die 2 Ianuarii in hanc altitudinem Danubium exundasse ac duobus diebus substitisse; Deus hoc malum a nobis imposterum avertat. Anno 1642 aliud fatum non tam claustro quam civitati obtigit, dum per enorme incendium, ex incuria subortum, domus quasi singulae, paucis solum exceptis, in cineres redactae sunt. Furens flamma ecclesiae et monasterii nostri tectum dumtaxat obsumpsit, statuam vero s. Antonii Pad. ligneam, afforis frontispicio ianuae conventus impositam, etsi circumquaque cuncta conflagrasset, ad intuentium demirationem reliquit intactam. Post excell. d. comitem de Meggau, etc., Sigismundum e com. de Dietrichstein etc. eius generum, dein excell. d. Ferdinandum de Sallaburg, generalem campi mareschallum etc., nunc vero eius haeredem illustrissimum d. Norbertum Oswaldum com. de Sallaburg s. c. m. et superioris Austriae provincialem consiliarium, conventus hic amoenus ac devotus collit fundatorem.

In sigillo exprimitur s. Antonius Paduanus stans, dextera lilium, sinistra d. Pusionem tenens, in circumferentia orbiculari hanc habet inscriptionem: SIG. CONV. PP. FRANCISCAN. GREINBURG. 1652.

CAPUT XV.

§ 1.

Conventus Cisterstorffensis ad s. p. n. Franciscum stigmatizatum. De urbe Cisterstorffensi.

Locus hic, a quo nomen suum conventus fratrum derivat, olim vicus erat, ut aliqui non in vanum autumant. Cisterzdorff, seu Cistercii vicus, eo quod s. Cisterciensium ordini aliquando parebat, nuncupatus; hodie Cisterstorffium communi vocabulo audit. Qua aetate oppidum aut urbs compellari coeperit, cum flamma et ferrum frequentiüs per hostium graviores insultus monumenta absumpserit, certius edisserere nequimus. Fama nihilominus vulgatum habetur, ante sex circiter saecula locum hunc a nobilibus dominis de Küenering erectum fuisse. Distat Vienna Austriae sex milliaribus ex sinistra Danubii fluminis parte ad Marcham amnem situs, Moraviae Hungariaeque confinia claudens; amplitudine sua minus (cum in circuitu vix mille numerat passus), obsidione tamen, hostium occupatione ac clade non rara sat memorabilis, anno 1645 a corona suecica eiusque copiis cincta, et sabbato ante dominicam Palmarum occupata; anno 1706 in mense Octobris a rebellibus Hungaris obsessa, capta et exusta fuit, quae nihilominus, quoad fieri licuit, etiam feminis virilem animum induentibus et dimicantibus, inimicorum ferocitati restitit, etsi non sine caede suorum. Haec urbecula spectabilis redditur ex nobili arce et voluptuoso viridario illustrissimae familiae e comit. de Althann, cuius dominio subiicitur. Penes fratrum nostrorum templum aliud spectatur, s. Nicolao episcopo sacrum, quod filiale est; parochiale enim minus amplum extra muros ad b. Virginem dolorosam in Moos, eo quod olim locus ille omnino ulvosus erat, de ulva dictam, spectatur; a gratiis, quas sculpta Deiparae imago in eo publice exposita non parce elargitur, multum per viciniam illustre. Huius loci parochum reverendissimus d. abbas ord. Cisterciensium in Zwethal agit, qui sui loco vicarium ac unum alterumve coopera-

torem ex religiosissimo suo coenobio substituit; alias quoad spiritualem iurisdictionem subditur episcopo Passaviensi.

§ 2.

De claustri et ecclesiae erectione.

Bene extructus hic conventus et ecclesia prima sua fundamenta debet excell. d. Rudolpho l. b. a Teuffenbach, caesaris consiliario intimo ac generali campi mareschallo etc.; is enim, etsi Lutheri toxicum cum lacte matris suxisset, postquam de catholicae veritatis fonte aquam vitae aeternae in se habente bibisset, praeclaro suo exemplo non solum fratres suos ab erroribus ad viam veritatis reduxit, verum ut alii quoque nobiles falsa dogmata abiurarent, vera amplecterentur, plurimum verbo et opere coadiuvit, nostrorum praeprimis fratrum opera usus. Et quia potiores eius per Cisterstorffensem viciniam subditi ad fidem catholicam per nostros reducti essent, proposuit, quamprimum post prosperum ex castris reditum liceret, fratribus in loco suo Cisterstorffensi erigere claustrum. Die igitur 4 Octobris anno 1627 ipsemet comes fundator primum pro construendo templo terrae lapidem imposuit ac in sua absentia promovendi aedificii curam nostro p. Thomae Holbe plurimum commendavit. Perfecto universo opere, templi dedicationem (quae singulis annis dominica post b. Virginem natam recurrit) in festo ss. Stigmatum anno 1640 peregit reverendissimus d. Bartholomaeus Kobald, sereniss. Leopoldi archiducis Austriae et episcopi Passaviensis vicarius generalis, etc., qui, postquam tres quoque aras consecrasset, argenteum auro ornate obductum calicem in singularis erga s. Patrem n. devotionis anathema obtulit.

Anno 1683 Turca, cum Viennam obsideret totique Austriae ruinam minitaretur, devastata et conflagrata civitate Cisterstorffensi, nostrum etiam conventum cum ecclesia in cineres redegit, non nisi muris exustis remanentibus. Vix a busto vindicata fuere omnia, rebelles Hungari, Curuzii dicti, sub capite Rakozio et duce Simone Forgach civitatem et arcem depillantes, flammis et ferro cuncta devastarunt ac die 17 Octobris 1706 conventum, ecclesiam, altaria, chorum etc. misere incinerarunt. Utraque vice inter tantas flammas illaesa remansit quaedam picta b. Virginis imago, Maria de Vinea dicta, a fundatore etiam in castris culta, atque ut publice amplius coleretur, nobis oblata; hinc quasi materfamilias contra incendium a cunctis habetur, iam in claustri ambitu, extra tamen clausuram, super aram collocata praeclaro sacello, cratibus ferreis munito, clauditur et frequentius a devotis Christi fidelibus, cum ad aram citatur, invisitur.

Post ultimas flammas templum cum conventu variis benefactorum eleemosynis plene restauratum est; exhibet igitur post iteratas ruinas praeter summam aram stigmatizato s. p. Francisco sacram, opere fabrili ac statuario erectam, tria altaria: in cornu epistolae s. Leopoldi, marchionis Austriae, in cornu evangelii b. Mariae Virginis et penes templi ianuam s. Antonii Paduani. Singulis hisce aris cels. s. r. i. princeps et episcopus Passaviensis d. Iosephus Dominicus e comit. de Lamberg etc. die 29 Iunii anno 1726 novae consecrationis beneficium contulit. Ecclesia supellectili sacris usibus dicata sat bene instructa est, insignioribus praecipue s. Donati episc. et mart. reliquiis decorata, quae pro avertendo fulguris et tempestatis nocumento ad

fidelium frequens solatium publicae exponuntur venerationi. Confraternitas chordigerorum (quae quoque Poystorffii, oppido una leuca a nobis dissito, anno 1666 per nostros introducta est) anno 1681 singularius reflorere coepit, in dies maius accipiens incrementum et plura sodalium millia numerans. Anno 1727 tertius s. P. n. ordo erectus est et in suis professoribus iam plurimum numerosus; maxime opportunam pietatis augendae occasionem praebet dicto anno erecta *via crucis*, quae ab his et aliis passo Redemptori devotis pro impetrandis indulgentiis crebrius invisitur.

Conventus in perfecto quadro positus quasi duplici gaudet dormitorio; inferiorem siquidem ambitum fratres laici, superiorem pp. sacerdotes et clerici studiosi inhabitant. Viget hic a potiori studium philosophicum, subinde theologicum morale sub uno lectore. Fratres hic numero 27 meris piae viciniae eleemosynis victitantes, etiam post hostium frequentiores incursus, devastationes et incendia pro vitae suae necessariis auxiliatrices continuo persentiunt beneficorum manus, omni prorsus fundatione carentes, intuitu utique sacrorum laborum ac religiosorum officiorum tempore lutheranismi, belli suecici, turcici, tumultus hungarici, pestis etc. a nostris ad plenissimum huius viciniae solatium impensorum, quos sub dato 10 Novembris 1646 senatus Cisterstorffensis publico recognovit instrumento. Aliud de his testimonium scripto relictum adducimus r. p. Seraphini Bernardi anno 1645, per tres annos huius loci guardiani, qui operam nostrorum pro salute animarum impensam sequentibus explicat: conventus iste quasi centum sua circumferentia pinguissima complectitur oppida ad fratres 24 facillime nutriendos, praesertim lauro pacis per Austriae partes florescente. Seges tamen spiritualis amplior ceteris fratrum operam plurimum in eo cumulavit, quod longe lateque pagi, oppida, maxime ill.[mi] d. a Teuffenbach subdita loca horum labore, industria et sudore ad fidem orthodoxam reducta, et in praesens religiosis officiis divinique verbi pabulo ubertim saginentur. Belli suecici tempore, mei tunc guardianatus, parochis transdanubianis singulis fuga elapsis, nisi fratres in summo rerum discrimine, pestis saevitia, famis inedia, constantes perstitissent, loca omnia curis ecclesiasticis providissent suaque praesentia homines in fide et pietate titubantes solidassent, indubie loca plurima, si non omnia, plene fuissent desolata etc.

Cum, ut diximus, conventus stigmatizato s. p. n. Francisco ex fundatoris intentione sacer sit, hinc sigillum exhibet ante crucem genuflexum s. Patrem, stigmata a Seraphino in nubibus sibi apparente recipientem; per gyrum legitur: SIG. CONV. FRANCISCAN. ZISTERSTORFF. 1640.

CAPUT XVI.

§ I.

Conventus Enzerstorffensis in Austria ad s. Mariam Magdalenam. De pago Enzerstorffensis eiusque vicinia.

Enzerstorffium pagus sat amplus est; temporali imperio ill.[mi] d. Iosephi e l. b. de Waffenberg, domini in Liechtenstein, arce Moedlingensi etc., spirituali vero iurisdictioni subiacet dioecesi archiepiscopi Viennensis. Plurimum commendabilis ex peramoeno situ, aurae salubritate, illustri vicinia et copiosissimis vineis, non nisi

optimum liquorem proferentibus. Locus Vienna altero milliari distat, nobilioribus aedibus ac aulis decoratus, inter quas primatum obtinet splendida domus d. de Ehrenthall, superbiori altitudine, magnifico peristylio, speciosissimo viridario spectabilissima. Ecclesia huius s. Ioanni Baptistae sacra, quo magis angusta et obscura est, eo magis amplam, aris, paramentis aliaque eiusmodi supellectili exornatam, qua filia matrem, colit ecclesiam parochialem Brunnae, quae cum oppido octo stadiis vix dissita est, ad s. Cunegundem imperatricem et virginem intitulata. Musica, quae per omnem viciniam celebris est, sereniss. d. Emmanuelem, principem Lusitaniae, fundatorem depraedicat. Arx Liechtenstein olim, uti rudera hodiedum exhibent, munitissima ad vicinos saltus et declives montes supra petra eminet, a cuius regione in colle sublimi castrum spectatur, sua cella vinaria, in durissima petra excisa, tota fere Austria celeberrimum. Numerat in sua longitudine orgyas germanicas 37; dolia maioris magnitudinis quamplura, horum maximum circa trecentas, reliqua centum quinquaginta urnas continent; unde universa cella viginti duorum et plurimi millium urnarum capax est; vini copiositate, qualitate, antiquitate ubique non solum in nobilioribus, sed et augustissimis dapibus depraedicata. Laxenburgum, augustorum caesarum vernale palatium, Vienna duodecimo quasi lapide meridiem versus declinat, a pago Enzerstorffensi vix hora remotum. Arx, quae vasta se mole erigit, nobilis structura est Alberti III. cum Trica cognominati, qui una cum coniuge hic obiisse fertur et sepultus anno 1390. Vicinia amoenitas omnem deliciarum praebet affluentiam; nemus spatiosissimum, quod arci conterminum est, per viam opacam iam in carissima ambulacra, iam in umbrosa theatra, variis frondium virentium scenis distincta, sese explicat, varienigeni coloris vocisque avium nidis repletissima, praeterquam, quod mirum ardearum aucupium terrae principem, ab imperii negotiis respirantem, ad supremum hic recreet oblectamentum. Badena, a thermis, sale, sulphure etiam alumine scatentibus, germanis Baden, Enzerstorffio duabus horis distat; archiducalis urbs est sat spectabilis et plurimum desiderabilis iis, qui quaecumque virium debilitate pressi, hisce thermis ex medicorum praescripto utuntur, pro integranda valetudine huc etiam ex remotioribus provinciis confluentibus.

§ 2.

De origine huius conventus.

Udalricus Ciliae, Ortemburgae et Zagoriae comes, Dalmatiae et totius Sclavoniae banus ac praeses etc., post regularem s. p. Francisci observantiam a s. Ioanne Capistrano in has terras introductam, insignis huius viri fratrumque suorum exemplaritate inductus, nostris anno 1455 sub arce sua Liechtensteinensi in vico Enzerstorff fundum aedesque assignavit pro construendo temporis tractu monasterio: hunc in finem ante coeptam fabricam aliquot fratres, qui eas inhabitarent opusque inchoatum promoverent, inibi collocavit. Remis velisque obstitit plebanus oppidi in Mödling, fratres ex possessione sua potenter adeo exturbare nisus, quod omnino recedere iam resolverint, ipso etiam s. viro Capistrano, cuius consilium implorabant, annuente. Fratrum abitum aegre ferens comes Ciliae sequenti epistola, ut permansionem iuberet, b. virum rogavit:

Venerabili ac religioso viro fratri Ioanni de Capistrano. Venerabilis et religiose vir, amice noster dilecte! Intelleximus ad aures amicitiae vestrae pervenisse, qualiter erectio monasterii novi, quam sub castro nostro Liechtenstein, videlicet in Enzerstorff, fieri affectavimus, per plebanum in Mödling impediatur; ob quod fratres vestri dehinc recedere deberent ex commissione vestra. Unde rogamus amicitiam vestram, quatenus praedictos fratres ad id novum monasterium deputatos ibidem morari et permanere facere velitis, non advertentes aliquod impedimentum de praesente occurrens; nam si aliqua fuerint obstacula, possumus eadem per Dei gratiam penitus amovere, et dicto monasterio de quiete bene providere. Tum erga nos amicitiam specialem et solitam ostendite, pro qua nos ad beneplacita vestra etiam habere poteritis paratissimum.

Datum Viennae feria secunda post dominicam in ramis palmarum anno Domini 1455.

Udalricus Dei gratia Ciliae etc. comes.

Annuit pius pater pientissimis comitis Ciliae precibus et fratres in eodem loco remanere permisit; pro quorum pacifica permanentia legitimus fundi possessor supradicto anno a Ladislao archiduce Austriae et rege Hungariae non tam consensum quam confirmationem accepit. Ultra decennium nostrates hunc locum velut residentiam incoluerunt. Ad caelos evocato comite de Cilia, ultimo huius stemmatis superstite, nobilis eques et d. Ioannes Holobarzi et d. Margarita amantissima eius consors, qui pleno iure in arcem omnemque ad eam pertinentem fundum successerunt, videntes locum pro capiendo claustro et ecclesia nimis anxium, fundum alium multo capaciorem a d. Stephano Pluzpair coemerunt, ac hunc cum priori, interveniente Friderici III. caes. consensu, permutarunt fratribusque nostris anno 1465 dono dederunt, quatenus nimirum in honorem Dei omnipotentis, B. Mariae semper Virginis, s. Mariae Magdalenae ac ss. pp. Francisci seraphici et Bernardini Senensis monasterium cum ecclesia construeretur. Prospere igitur horum aliorumque benefactorum munificentia tum templi tum claustri aedificium coeptum, ac ad annum 1472 in forma quadrangulari, benedicente Domino, perfectum est.

Locum hunc per 57 annos in pace possidebant fratres, cunctis temporibus mendicatu panem et victum ostiatim quaerentes et, suffragante beneficorum christianorum caritate, iugiter obtinentes; donec anno 1529 infensissimus christianitatis inimicus Turca, dum Viennam obsideret omnemque viciniam per emissarium suum militem igne ferroque devastaret, hunc quoque locum die 24 Septembris una cum conventu et ecclesia depopulasset, conflagrasset. Patres duo Wolfgangus de Steinkirchen, fervens concionator, et Germanus de Kreüfbach, probus sacerdos, aliis pridie abeuntibus, remanserunt pro Christi nomine cervicem dare parati; neuter fraudatus est desiderio suo, siquidem barbari in ecclesiam irruentes, ambos coram summo altari flexo poplite Deo agonem suum commendantes impia manu crudelissime necarunt. Vix terga verterunt Turcae, confuse repulsi, en! novum et longe periculosius universae Austriae prominebat spiritualium nequitiarum certamen. Gliscens enim undique exitialis Lutheri haeresis in publicam iam flammam erumpere et omnis quasi Austriae regio Lutherum olere coepit. Pagi huius inquilini, eadem execrabili lue infecti, fratribus post Turcae abitum redeuntibus vitae necessaria omnino denegarunt et incolatum; adeoque, anni huius circulo nedum emensurato, angustiati nimis et

mortificati ad faciendam alibi poenitentiam cum benedictione Dei ex hoc loco discesserunt, quoniam ob miserrimam illius aetatis conditionem in comitiis provincialibus Puppingae die 5 Februarii anno 1535 a r. p. Dionysio de Rein ministro Austriae, consentientibus omnibus vocalibus, ut deseratur conclusum erat. Derelictus et desolatus ita conventus per plures annos a nullo habitabatur; obinde consensu nostrorum Ferdinandus I. Rom. imp. eundem una cum appertinentiis d. Diego de Sarava, regiorum ephebororum magistro, qui de eo omnem Provinciae nostrae satisfactionem dare adpromisit, traditus est anno 1542. Eo mortuo ad alios etiam transiit; quia vero Lutheri labe infecti sibi eum omnino appropriarunt successores, subreptitium desuper Maximiliani II. imp. consensum extorquentes, hinc conventum omnemque ad hunc spectantem fundum ultimis etiam tabulis legare, donare non erubuerunt. Itaque per 80 plures annos sub iniqua haereticorum usurpatione locus hic misere ingemuit.

Incolae Enzerstorffenses et spectatae nobilitatis viri fratrum nostrorum reformationis Austriacae tempore exantlatos labores ac assiduitatem pensantes, creberrimis precibus institerunt, ut conventum, aliquando fratrum nostrorum sanguine purpuratum, ab iniusta haereticorum usurpatione denuo vindicaremus, nobis omnem assistentiam et subsidium spondentes; quare, cum omne quoque interponeret patrocinium episcopus Viennensis, supplices preces porrectae sunt caesari Perdinando II., pientissimo principi et strenuo fidei propugnatori, qui auditis per biennium utriusque partis rationibus, definitivam tandem in favorem nostrorum decidit sententiam, sub dato 5 Aprilis anno 1632 per excelsum regimen pronuntiatam, atque ita eodem anno vindicatus ab iniquis possessoribus conventus fratribus ad incolendum per caesareos deputatos traditus fuit. Die 15 Februarii anno 1633 ecclesiae aedificium reparari incepit, post anni unius spatium iam perfectum. Nec labores praetermissi, quatenus et conventus vix occupati fabrica, quae a potiori vitiosa et fratrum habitationi inepta erat, ad meliorem redigeretur formam, quod et successu temporis, contribuente ut plurimum oppido Mödlingensi lateres coctos, factum est.

Ecclesiam solemni ritu dedicavit s. Mariae Magdalenae honoribus dominica 18. post pentecosten die 22 Septembris anno 1641 cels. princeps et episc. Viennensis Philippus Fridericus, comes a Breüner, qui anniversarium dedicationis haberi praecepit singulis annis dominica festum s. Matthaei apost. et evan. statim sequente; in eadem solemni functione tribus aris ss. reliquiae impositae sunt, nimirum arae maiori in honorem tutelaris ecclesiae, e cornu evangelii s. p. n. Francisci, et b. Virginis Mariae; anno 1652 impendiis ill.mi d. Georgii Augustini l. b. de Khevenhüller loco arae sacellum maius erectum est cum altari b. Virginis Mariae eo pacto, ut is cum suis descendentibus post obitum haberet sub eo conditorium. E cornu epistolae spectabatur ara divi Antonii Paduani.

Anno 1683 Turca, Tartarorum copiis adiutus, rursus Austriam invasit, metropolim Viennam durissima denuo angustians obsidione, sub qua praeter Kazlstorffensem et Haimburgensem Enzerstorffensis etiam conventus a barbaris depraedatus et exustus fuit. Crudeli harum manu multis vulneribus sauciatus et tandem capite truncatus fuit fr. Guttwertus Lenz laicus, coquus, in ambitu conventus devote terrae mandatus. Conventum et ecclesiam penitus exustam diversorum beneficorum munificentia successive restauravit; ara maior d. Philippum de Schnepfenau maecenatum habuit; tres reliquae piorum subsidiis et fratrum nostrorum manuali labore temporis

tractu erectae sunt, quibus 11 Iulii anno 1726 ex indulto archidioecesani consecrationis beneficium contulit rev.mus d. Nicolaus Stanislavich, Ordinis Minorum observantiae episcopus Nicopolitanus. Templi navis bene ordinata, longa, lucida ac satis capax est, ad excitandam fidelium devotionem multum accommoda; etenim praeterquam quod ad consuetas devotiones, dominicas et festivas conciones plebs vicina copiose accurrat, chordigerorum s. patris n. sodalitas post dictam invasionem turcicarum denuo resuscitata, sicut et anno 1750 erecta *via crucis* permagnam statis diebus habet populi frequentiam. Anno 1727 choro, supra fores ecclesiae ad pridem optatum nostrorum solatium translato, organum impositum est itidem novum et praeclarum, ultra quam desiderabatur, statuaria arte venustum, coloribus splendidum, voce sonorum. Anno 1728 pretiosis sumptibus excell.mae d. Mariae Franciscae, comit. de Fürstenberg, natae principis de Schwarzenberg etc. ad locum amplati sacrarii ad latus dexterum nobilis ara surrexit in honorem s. Ioannis Nepomuceni martyris. Renovata ecclesiae facies summam quoque aram obtinuit, et haeC pIIs benefaCtorVM sVbsIDIIs sVrreXIt. Opus architectonicum in ea minime vulgare est ad singularem huius templi nitorem; imago s. Mariam Magdalenam nubibus excelsam et in gloria sublimatam viva in effigie exhibet, quam caelestes genii ambiunt, mortificationis instrumenta pro decore s. poenitricis circumferentes; haec artificium est pientissimi viri et pictoris d. Francisci s. r. i. equitis de Roultiers. Visuntur in hac ara supra conservatorium Sanctissimi lipsana, seu integrum corpus cum vitro sanguinis Christi athletae et martyris s. Felicis, arca floribus ac unionibus venustius exornata clausum. Sacras has exuvias in fiducia visitantibus non semel in discrimine auxilio fuisse ac solatio, fidem faciunt tabulae hic palam pendulae.

Conventus structura ab initiis in quadro surrexit, pro 20 fratribus numerans cellas sat angustas. Quia vero pars viam et vineas respiciens tempore, quo eam haeretici incoluerunt, plurimum immutata, forinsecus faciem nonnisi aedium saecularium praeseferebat, haecque vetustate sua iamiam ruinosa erat, hinc opportunitate suadente ac necessitate perurgente, ad praecavendum ruinae ampliori anno 1725 decisum fuit, hanc claustri partem in integrum deiicere, tractumque novum variis benefactorum eleemosynis post horum obitum relictis construere. Igitur 18 Octobris anni eiusdem novae structurae initia data sunt, post elapsum triennium una cum spatiosiori sacristia ad perfectionem perducta. Omnis huius aedificii prospectus per vineas et colles frondosos sese amoenissime diffundit e quatuordecim cellis (quarum una spatiosior bibliothecam claudit) longiori tractus serie bono ordine adaptatis; e platea 20 fenestrae cratibus ferreis non abs modesto splendore cernuntur munitae. Iam hic conventus ex aurae saluberrimae, sapidi vini, nobilis panis, iucundissimi situs beneficio ac commodissimo pro religiosis incolis aedificio inter Provinciae claustra celebris est. Hunc 22 a potiori inhabitant fratres, pura beneficiorum fidelium eleemosyna sustentati. Hortum sat amplum spatiosumque colit muro septum, arboribus fructiferis, floribus, oleribus divitem, quem gratissimus fluviolus constanter perluit ac dividit ad irrigandum aptissime dispositus.

Anno 1679 gravissima pestis lues, nulli aetati parcens hominum omnemque affligens Austriam, hanc quoque infecit viciniam; unde duo patres Antoneus Neurwayr et Ildephonsus Zwick ex hoc conventu in pestiferorum obsequium expositi, morbo contagioso et ipsi infecti sunt, paulo post in Domino obeuntes, in coemeterio paro-

chiae Brunnensis (ubi nostri hodiedum diebus dominicis ac festivis verbi Dei praecones agunt) tumulati fuerunt.

Sigillum conventus iconice s. Mariam Magdalenam tutelarem exprimit stantem, in sinistra calvariam supra mensulam, crucem dextra gerentem, sphaerice vero legitur: SIG. CON. FRANCISCAN. ENZERSTORFF. 1652.

CAPUT XVII.

§ 1.

Conventus Ybbsensis in Austria ad sanctum Spiritum. De civitate Ybbsensi.

Ybbsium aut Ibissa, germanis Ybbs, haud magni ambitus urbs archiducalis est, in Austria inferiori sita, muris sat bene custodita, a meridie Danubii ripam insidens. Quia versus orientem a fluviolo eiusdem nominis alluitur, eam aliqui Isipontum appellant; distat Vienna milliaribus quindecim, non amplitudine, sed vetustate sua commendata. Sunt enim nonnulli, qui urbem hanc eadem aetate, qua anno Christi 370 arx nobilis Pösenboigium (Persenbeüg) ex adversa Danubii parte, civitati Ybbsensi opposita, constructa refertur, aedificatam opinantur. Conditorem romanum belliducem Equilium, tunc Laureaci seu in urbe Anisia, aut Ensia cum suis copiis commorantem, recensent civitatis monumenta. Urbi iam dominatur ipse archidux Austriae, arx vero Persenbeügensis cum oppido familiae comitum de Hoyos haereditario nunc iure subiecta est quoad temporalia, quoad spiritualia vero subduntur episcopo Passaviensi. Pastoritiam in urbe curam gerit vel parochus vel decanus, a potiori philosophiae aut theologiae laurea insignis. Locum praeter parocciam ad s. Laurentium, in qua fratres nostri concionatores agunt, spectabilem reddit magnum caesaris telonium, quod omnes omnino naves transeuntes mercibus repletae, dando caesari quae caesaris sunt, adrevereri tenentur.

§ 2.

De fratrum nostrorum conventu.

Priusquam perniciosissima Lutheri dogmata, veluti lues mortifera, omnem pene Austriam inficerent et insanabili toxico eam ex formosa Christi sponsa in adulterinam commutare niterentur ancillam, hoc in loco, ubi noster iam constructus cernitur conventus, ducentis sexaginta tribus videlicet passibus ab urbis moeniis dissito, non vulgare pro usu et domicilio monasterium habuerunt Deo sacratae sponsae et moniales ordinis Cisterciensium s. Bernardi, id aliquibus retroactis saeculis religiose incolentes; nam conventus archivum exhibet, templum sanctissimo Spiritui Paracleto solemni consecrationis ritu iam dedicatum fuisse sexto calendas Iunii 1291, cuius

anniversaria dies dominica ante ascensionem Domini, patrocinium vero feria secunda pentecostes hodiedum recolitur. Diffusa autem per afflictam Germaniam haereticorum lerna, indies magis magisque sese dilatante veneno, sacrae virgines furentium haereticorum impetum hic amplius sustinere non valentes, partim ad alias partes dispersae, partim multifarie afflictae et morte sublatae, locum hunc, ab illis per tot annos devotissime possessum, omnino deseruere.

Divanescentibus sanctimonialibus, per centum quasi annorum spatium (quoniam rigido interdicto Lutheri sectarii omnia divina vetabant) claustrum hoc a religiosis nullatenus habitabatur; donec confracta potentiorum heterodoxorum auctoritate Rudolphus II. Rom. imp. idem cum omnibus bonis ac redditibus sanctimonialibus regii monasterii s. Clarae (quod regina Elisabetha, archidux Austriae et caesaris soror, Caroli IX. Galliarum regis vidua, anno 1581 propriis sumptibus e fundamento construxerat) pro commodiori sustentatione placidis earum usibus perpetuo transcripsisset. Post saeculi dimidium vix elapsum, cum structura omnis ruinam iam minitaretur supremam, nostri patres pro obtinendo hoc ruinoso coenobio coram dicti regii monasterii abbatissa, Agnete dicta, supplices fuerunt, quae precibus facile inclinata, ab augustissimo caesare Ferdinando II, quatenus praeter redditus claustrum Ybbsense ad sanctum Spiritum fratribus nostris in domicilium abiret, consensum impetravit. Igitur 6 Iulii anno 1631 ruinosi huius claustri traditio facta est per r. p. Michaelem Denck, tunc regii monasterii sanctimonalium commissarium generalem. Anno 1632 calendas Maii sub Urbano papa VIII., Ferdinando II. caesare, Bernardino de Senis generali ministro, Prospero a Galbiato provinciali, Bonaventura Christ primo loci praesidente, coeptum est novum aedificium, structuram dirigente et promovente strenuo d. Alexandro de Pestalluzi. Verum interveniente peste, ob operariorum defectum primum die 22 Maii anno 1649 suae consummationem finem adeptum est.

Ecclesia nullatenus ampla, sed a sua antiquitate augusta, intrinsecus iam polita, renovata et sat lucida est, tria continens altaria: primum et maius s. Spiritui, alterum b. Virgini, tertium ss. Francisco Assisiati et Antonio Paduano dedicavit die 26 Iunii anno 1659 d. Martinus, episcopus Lambsacensis, Passaviensis suffraganeus. Verbum Dei nisi per fratres nostros in ecclesia parochiali exponitur, singulis diebus dominicis et festivis populo ex urbe et conterminis locis copiose convolanti evangelizatur: cui multum devotionis superaddit confraternitas s. p. n. Francisci et florens hic tertius ordo: hic initia sumpsit 1706, prior vero anno 1672. Et quia nostri in vicinis quoque locis sedulos sese exhibent in vinea Domini operarios, devoti christifideles, pro spiritualibus temporalia rependentes, pro fratrum 18 (ordinarie in hoc conventu degentium) sustentatione opitulatrices ultro aperiunt manus. Inter has supereminet pientissima caesaris largitas, quae, praeter certas salis statuas, pauperi conventui annuam ex suo huiate telonio clementissime dispensat eleemosynam.

Conventus minus amplus quadrangularem induit formam, cuius anterior prospectus sese per Danubium diffundit, ac circumiacentia oppida, castra etc., posterior vero hortum fratrum, agros, campos et colles nonnihil viniferos sibi obiicit. Situm occupat omnino planum, extra vero ecclesiae valvas ripam sat declivem ad littus fluminis, ad quod per gradus descensus fit, subinde minus commodus. Claustrum unicum complectitur dormitorium, competentia pro fratribus habitacula, conservatoria et pauperem bibliothecam. Hortus ab initiis suis minime spatiosus ut amplior

fieret, d. Sigismundus Ernestus com. de Zinzendorff aedes cum hortulo a dextris claustro contiguo eidem adnexuit ad singulare fratrum solamen.

Utitur hic conventus sigillo effigiem s. Spiritus in specie columbae splendoribus ac nubibus circumdatae exprimente; per oram vero sequentes visuntur litterae: SIG. CONV. FRANCISCAN. YBBSENS. 1652.

CAPUT XVIII.

§ 1.

Conventus ad s. Vitum in Carinthia ad b. Virginem Annuntiatam. De urbe Vitensi.

Sanctus Vitus urbs est inferioris Carinthiae, quo in loco, uti fama et vox antiquorum fert, antiquum Romanorum Sianticum stetit; eo destructo et provincia cum magna incolarum parte ad christianam fidem conversa, pagus erectus est cum sacra aedicula s. Ioanni Baptistae praecursori dedicata, deinceps a vulgo s. Ioannes in Erle seu Alneto nuncupatus. Isthaec ecclesia hodie conspicitur in suburbio et pertinet ad militaris ordinis teutonici commendam in Pulst. Anno post reparatam salutem 902 Eberhardus, archidux Carinthiae, exercitum suum dirigens adversus Hunnos seu Hungaros, in hoc loco per somnium praemonitus de victoria voto se obstrinxit, quod obtentis palmis nobile fanum exstruere velit honoribus s. Viti m. Parta victoria, et occisis in proximo campo, Krapffeld dicto, octodocim Hunnorum millibus, votum Deo reddidit et s. martyri magnificam erexit ecclesiam, a qua deinceps nomen desumens, hic locus s. Vitus in Erle seu in Alneto, eo quod alni copiosi et fruteta perampla conspiciebantur, passim appellari coepit. Adiunctis successive aedibus pluribus, in oppidum mutatus est; et quia in eo Udalricus, archidux Austriae, castellum et aulam sibi construi iusserat, in eius residentiam abiit, donec anno 1280 Maynhardus, comes Tyrolis et XXIX. archidux Carinthiae, hunc locum in urbem evexisset; dein anno 1390 metropolis Carinthiae constituta non raro archiducum erat domicilium. Civitas igitur ad s. Vitum in amoena planitie ad Glanum fluvium visitur, duplicato muro per quadrum circumcincta ac portis seu turribus quatuor satis munita. Castellum seu archiducalis olim sedes intra urbem hodie adhuc spectabile est. Urbem secat, eamque in superiorem et inferiorem dividit rivulus per medium fluens. Superiorem singulari spectabilitate decorat fontana sat grandis ad formam conchae ex durissimo et integerrimo saxo elaborata; in huius medio vir, statuario opere ex aurichalco fusus, auro splendens, per tubam, quam ori applicat, conchae et omnibus ex ea haurientibus lympham dispensat. Concha una cum idolo quondam eruta est ex vicino ac vastissimo campo, a Germanis Zollfeld nominato, ubi olim sita erat illa famosa urbs, Sala dicta, ante Redemptorem natum trecentis septuaginta duobus annis aedificata, et post eius in orbem adventum anno 455 ab Attila Hunnorum tyranno, cognomento flagellum Dei, funditus diruta. Sancto-Vitensis civitas iure feudi imperio paret augustissimae domus Austriae, quae eam per suum vicedominum gu-

bernat. Supremum in spiritualibus ordinarium dioecesanum agnoscit archiepiscopum Salisburgensem. Gaudet iure gladii et proprio per ipsosmet cives electo consule, iudice, senatoribus etc. Habet ibidem officinam monetariam cum privilegio cudendi nomine archiducatus Carinthiae. Anno 1334 hanc urbem contra famosam illam Margaritam, vulgo Maultasch appellatam, heroina virtute protexit Conradus I. de Kraygd, generosissimus Carinthiae bellidux, qui adiutorio d. Friderici de Auffenstein, tunc supremi capitanei, eam gloriose devictam ex hac patria abire coegit.

§ 2.

De conventus initiis et fratrum nostrorum introductione.

Postquam post Salvatorem natum anno 1325 abs haerede defuncto Henrico V. Carinthiae archiduce, Otto Austriae dux, Alberti imp. filius, archiducatum Austriae iure feudi primus possidendum obtinuisset, d. Fridericus de Auffenstein haereditarius Carinthiae mareschallus, et supremus, quem ultimo nominavimus, capitaneus, qua Ottonis locumtenens in Sancto-Vitensi urbe commoratus ac superius memoratum castellum incolens, monialibus ordinis s. Clarae monasterium extra civitatem versus Villacum suis sumptibus construi fecit ad b. Virginem (quae etiamnum hodie in medio summi altaris ex lapide sculpta colitur) communiter nuncupatam, tametsi nonnulli, quia pro clarissis erectum, ecclesiam ad s. Claram intitulaverint. Sanctimonialibus itaque hic incolis Austriacorum archiducum benignitas certos redditus ac bona immobilia largiter concessit, quod secundum religiosum earum institutum, ducentos ultra annos in eodem monasterio degentes, commode fuerint sustentatae. Verum ingruente lutheranae haereseos saeculo (cuius infelicitas potius deploranda quam calamo exprimenda est) in dominici huius gregis caulam haeretici quasi lupi rapaces horrende saeviebant, minis, lenociniis ad mutanda sancta proposita in eas irruentes; hinc aliae de fuga sibi consulebant, aliae miseriis confectae et ad claustri iura tuenda incapaces mortem ipsam magis felices obibant, atque ita, singulis deficientibus ac e vita sublatis, nec aliis ob statum rerum pessimum succedentibus, claustrum per aliquot annos desertum remansit. Carolus archidux Austriae circa annum 1542 monasterium, ut id facilius e manibus haereticorum eriperet, in xenodochium quindecim pauperum permutavit. Post annos octoginta Ferdinandi II. consensu anno 1622 cum omnibus redditibus, fundis, agris, sylvis etc. monasterium rr. pp. Societatis IESU traditum est ea conditione, ut iuventutem doctrinae christianae ac litteris imbuant. Tandem, ut optatum civitatensibus obveniret solamen, sub 5 Iunii anno 1658 inclytus huius urbis senatus instantissimis plane precibus nostros patres a Provinciae superioribus flagitavit, ultro sese offerens nostris pro construendo in urbe monasterio locum assignare et ecclesiam, etsi non nihil angustam. Pro verbi Dei praecone p. Franciscus Eckstein et p. Ludovicus Rheinthaller, indefessi animarum zelotes, submissi sunt, quorum sedula in vinea Domini constanter impensa opera illectus senatus populusque Vitensis (ne cumprimis intentionatum spatium nostris nimis anxium fieret) recuperandum ac restaurandum magis amplum s. Clarae mo-

nialium extra urbem coenobium fratribus in futurum domicilium proponunt. Adversariorum itaque conatibus beate devictis, suprema imperii principis auctoritate die 15 Iunii anno 1640, praesente plurima nobilitate, senatu populoque Vitensi applaudente, per ill.$^{mu:m}$ d. de Ioechlingen, Carinthiae vicedominum, nostris perantiquum sanctimonialium extra muros monasterium traditum est, rr. pp. Societatis IESU bonis immobilibus et annuis redditibus, quorum franciscana paupertas perpetuo incapax est, omnino relictis usque in hodiernam diem.

Templum praeprimis, dein conventus, quoniam singula ruinosa erant, piorum eleemosyna, praeprimis magistratus Vitensis et Carinthiae domus provincialis maioribus subsidiis restaurari coepit. Omne opus cum claustri religiosi statum ac formam induit, quod tunc decem, hodie verò quindecim fratribus commodam praebeat habitationem. Conventus situm habet periucundum, extra urbis moenia vix ducentis passibus distans et plurimorum agrorum ac virescentium camporum gratissimam seriem intuens. Dormitorium numerat unicum, non nimis amplum, quoad potiorem cellarum partem reparatum, tametsi plurima adhuc vetera monialium exprimat vestigia. Bibliotheca hic libris pauca est, conventus tamen sua munditie et paupertate venustus. Hortus multum spatiosus est, muro sat procero clausus, variis pomigeris arboribus etc. et fonte excultus; amplitudine sua claustrum ex tribus partibus orientali, meridionali, occidentali circumdat, ex septentrionali vero ecclesiae adnectitur.

Templum antehac profundum, nunc elevatioris introitus, sat capax et fornicatum, titulo et patrocinio gaudet b. Virginis ab archangelo salutatae, in cuius honorem die 28 Octobris anno 1648 id consecravit rev.^{mus} d. princeps Franciscus comes a Lodron, episcopus Gurcensis, cuius dedicationis solemnitas dominica post festum s. Michaelis archangeli singulis annis recurrit. Eodem die et anno idem episcopus sacellum s. Barbarae, inter sacristiam et ecclesiam situm (anno 1646 sumptibus d. Andreae Mayr civitatensis senatoris restauratum) cum aris ss. Francisci et Antonii solemniter dedicavit. E regione huius sacelli ex latere séptentrionali anno 1662 beneficorum eleemosynis erecta est capella maior in honorem s. Antonii Paduani cum sua ara; praeter quam et aram maiorem, quae ut diximus, b. Virginis Mariae iconem ex lapide sculptam exhibet, tres iam spectantur ex altero latere arae et capellae, nimirum: b. Virginis Mariae, s. Crucis et s. p. n. Francisci: omnes tres fundatorem eloquuntur generosissimum d. Ioannem Preiss di Sotto, hispanum, sub ara s. Crucis tumulatum, qui quoque sacristiam sacra ex argento supellectili liberalissime locupletavit.

Chordigerorum s. patris n. confraternitas initium sumpsit anno 1646. Altera sodalitas s. Antonii Paduani sub r. p. Ludovico Kriechenhoffer provinciali, confirmante Alexandro VII., successit anno 1665. Sacer tertius ordo iuxta illius regulae praescriptum, ordinate constituta communitate, hic ad magnum pietatis incrementum introductus fuit anno 1724. Pro amplianda huius et aliorum devotione anno 1726 *s. via crucis* erecta fuit, inde etiam ad oppidum Saxenburg ad Dravum fluvium item Villacensem urbem superioris Carinthiae propagata. Turris vetustate sua vitium faciens anno 1726 novam et longe pulcriorem faciem induit, celsissimo principe et episcopo Gurcensi ac magistratu Vitensi praeprimis subsidiariam eleemosynam contribuentibus.

Sigillum conventus exhibet b. Virginem in gloria stantem ac a s. Spiritu obumbratam cum litteris per orbem: SIG. CONV. FRANCISCAN. S. VITENS. 1652.

CAPUT XIX.

Conventus Feldspergensis in Austria, ad confinia Moraviae, ad s. Michaelem archangelum. De urbe Feldspergensi.

§ 1.

Feldsperga, aliis Feldspurgum, civitas in marchionatus Moraviae confiniis Teyae fluvio adiacet; a Nicolspurga urbe et arce, s. r. i. principibus de Dietrichstein subdita, leuca una, Vienna octo milliaribus germanicis semota. Magnum splendorem civitas nanciscitur ab ecclesia paroeciali, quae altitudine, amplitudine, venustate, magnificentia sua omnino spectabilis est. Maximus autem decor et aestimatio huic loco accrescit ex nobilissima arce, quae in colle sublimiori augusta molle sese erigit, in eam et urbem serenissima domus de Liechtenstein pleno iure dominatum exercet. Perpetuis vigiliis nobilissimam et fastuosam hanc arcem excubant milites, quos sibi principes regentes qua duces Oppaviae conscribunt, potiori tempore, ni caesaris officia aliud suadeant, in ea residentes. Aditus ad eam tam pro reverentia quam maiestate principis maxime est superbus, et arx ipsa plurimum retinet belli apparatum et armorum varietatem. Tametsi haec structura sumptuosa sit a suis initiis, sumptuosissimis tamen impendiis eam non tam innovavit, quam reparavit modo gloriose regnans Iosephus Ioannes Adamus s. r. i. princeps de Liechtenstein etc., qui, ut eam ad omnium intuentium admirationem suprema pulcritudine coronaret, permagnificum, veteri funditus everso, construi fecit in arce sacellum ingenio, architectonica arte, marmore, penicillo, auro ac pretio omnino excellens, quod dicere verum, emicat e cunctis maiestas, gloria, virtus. Arx sumptuositate et situs amoenitate celeberrima primam aulae caesareae nobilitatem, serenissimos duces, celsissimos principes, etiam purpuratos frequentius hospites excipit. Extra civitatem monasterium cum ecclesia fratrum misericordiae anno 1605 pretiosis sumptibus erectum, sicut et supradictum parochiale templum munificentissimam largitatem depraedicat serenissimorum principum de Liechtenstein etc.

§ 2.

De conventus veteris et moderni exordio.

Tametsi extra omne dubium sit, in hoc ipsomet fundo, ubi nostrum actu Feldspergense monasterium situm reperitur, olim aliud fratrum nostrorum, et quidem circa annum 1487 aut citius, iam extitisse; eius tamen initia et conditores, etiam post summe impensum conatum, ob illorum temporum gravissimas iniurias, bella, incendia, pestes, haereses aliasque publicas calamitates liquido referre nescimus.

Nam in veteri conventu plurimos fratres nostros pie in Domino requiescere, gothico charactere conscriptus nostrae Provinciae defunctorum catalogus manifeste recenset, primumque in eodem loco anno 1494 defunctum nominat fr. Felicem laicum aliosque complures ibidem tumulatos usque ad annum 1541 commemorat. Reverendissimus p. Franciscus Gonzaga, quondam ordinis minister generalis, in suo opere *de origine seraphici ordinis* anno 1587 edito refert: praeter alios plures conventus Egenburgensem, Kuzlstorffensem, Puppingensem, Steinensem, etiam Feldspergensem fratribus, qui se incolant, carere, et a Turcis olim, vel ab haereticis non ita a multis annis dirutos ac solo aequatos fuisse. Nostrae Provinciae protocollon ante octuaginta quinque annos congestum, se ad vetustius referens, sequentia verbatim habet: Feldspergense monasterium feritate quoque turcica deletum est: nostrae inhabitationis monumentum solum servant sacrae aedes superstites; verum pleni nostrorum recessus causa exstitit d. Hartmanus de Liechtenstein lutheranus, dum suis subditis, ne quampiam fratribus eleemosynam porrigerent, sub gravissima poena inhibuit atque ita nostros hoc loco abigere studuit. Cum hoc modo fratres summa eleemosynae penuria, praesertim lignorum, in rigidissima hyeme laborarent, in capitulo provinciali ad s. Hippolytum celebrato 5 Maii anno 1556 conclusum fuit, quod fratres, facta prius regiae maiestati insinuatione, inde recedere possint etc. Ex his sat clare constat, fratres nostros ante bina iam saecula hoc in loco domicilium fixisse, non tam Turcarum invasione, quam haereticorum persecutione, praecisis eleemosynis, summaque rerum omnium penuria misere pressos, diutius morari non valuisse adeoque religiosam stationem suam deseruisse.

Desertum itaque et non nisi a saecularibus inhabitatum claustrum, quod longiori temporis tractu omnem religiosi domicilii formam perdiderat, in fratrum nostrorum solatium resuscitare resolvit serenissimus princeps et d. Ioannes Adamus Andreas s. r. i. princeps de Liechtenstein, dux Oppaviae et Iägerndorff etc., Leopoldi I. consiliarius intimus etc., suorum etiam maiorum exsecuturus voluntatem, gloriosissima cum munificentia supremam operi struendi monasterii manum apponendo et plenam consummationis coronidem imponendo. Die 18 Februarii anno 1686 noviter construendo conventui primordia data, fundamenta antiqua eruta, vicinae aediculae, quae designato spatio obsistebant, dirutae sunt; ipso principe fundatore et serenissima consorte domina Erdmunda Theresa, nata principissa de Dietrichstein, praesentibus, nonnulla pro nova fabrica benigne ordinantibus primumque lapidem terrae imponentibus. Emensurato sexennio structura conventus in tantum pro fratrum habitatione adaptata surrexit, quod 5 Iulii anno 1692 eandem serenissimus fundator r. p. Benigno Schimaditsch, Provinciae ministro, in possessionem tradiderit. Anno denique 1698 post duodecim annorum sine interruptione continuatos labores monasterii et ecclesiae aedificium tandem perfectionis suae fastigium attingit et ab occasione surrexit eo augustius, quo profundius antea iacebat in ruderibus. Omnis persplendidi huius conventus ac sumptuosissimae ecclesiae machina celsissimi principis et fundatoris maximos sumptus copiosissima cum liberalitate impensos eloquitur; qui sane praeclaram hanc augustam et tanto fundatore dignam fabricam splendori simul ac aeternitati condere voluit ad perpetuam serenissimae domus gloriam et nominis immortalitatem.

Templi nitor sua magnificentia omnes alias per provinciam ecclesias facile superat: huius siquidem navis perlonga, lata, alta, luminosa est, picturis, figuris,

elegantia ex omni latere pollens; neque his privantur in altum surgentes ecclesiae fornices, in quarum medio sat ampla penicilli et scalpri arte ornata exsurgit testudo. Pavimentum, secto marmore stratum, subsellia sustinet nobilia piorum devotioni peraccommodata; quinque erecta conspiciuntur altaria ad nitidissimi marmoris similitudinem gypsario opere pretiose efformata, quorum effigies artificia sunt celeberrimorum pictorum a serenissimo fundatore ex Italia vocatorum. Maius altare s. Michaelem archangelum (qui ut conventus et ecclesiae tutelaris colitur) praeclaro itidem penicillo exhibet, architectonico labore, pictura et marmoris nitore magnificum. Tabernaculum Sanctissimi divite auro per totum resplendet. Primum e cornu evangelii altare honoribus b. V. Mariae, alterum s. Antonio Paduano, tertium e cornu epistolae s. p. n. Francisco et quartum Redemptori, in cruce exspiranti, inauguratum est. Die 7 Iunii anno 1699 in sacra Pentecostes solemnitate ecclesia et arae omnes ab eminentissimo s. r. e. cardinali Leopoldo e com. de Kollonitsch etc., spectante plurima fidelium multitudine, consecratae fuere, impositis ss. Vincentii et Candidi mm. reliquiis; hodie vero dedicationis anniversaria solemnitas dominica post resurrectionem Domini sexta celebratur.

Ad mox dictum s. Crucis altare anno 1714 integrum corpus s. Iusti m. Romae ex coemeterio Calixti extractum, pulcherrime exornatum, principis fundatoris ordinatione collocatum est; huius Sancti patrocinium eodem anno, quo eius s. lipsana huc transferebantur, urbem a contagiosa lue post votum a Feldspergensi communitate emissum, protinus liberavit. Praeter chordigerorum s. Francisci confraternitatem anno 1701 coeptam, hic quoque anno 1722 tertius ordo innotuit plurimum iam in suis utriusque sexus professoribus dilatatus. Anno 1728 sumptibus serenissimae Annae Mariae, principissae de Liechtenstein fundatricis, mysteriosa *via crucis* erecta est.

Conventus in perfecta quadratura positus spatiosos suo dormitorio habet ambitus, quibus omnino similes correspondent in inferiori; pluribus conservatoriis, officinis etc. pro necessitatis exigentia provisus, ac plurimis Sanctorum ordinis imaginibus praeclare exornatus. In hoc claustro tum munificentissimorum fundatorum annua eleemosyna, tum implorata per vicina loca piorum beneficentia 25 fratres victitant; inter quos et philosophiae studiosi sub uno lectore, qui non semel sub faventissimis serenissimorum fundatorum auspiciis doctrinam suam publicae ventilationi exponendi gratiam habuere. Viridarium minus amplum, sat ampla nilominus subministrat ambulacra virore decora, ac arboribus fructiferis consita, quae fons vivus recentiori refrigerat aqua.

Anno 1705 inter fratres misericordiae hic in suburbio degentes et nostros controversia suborta est, illis contra nos digniorem in publicis processionibus locum et praecedentiam postulantibus, ex eo quod bullam Gregorii XIII., quae incipit: *Exposcit* etc. ipsis favere seque ante nos hinc domicilium fixisse iudicaverint; verum rigide examinatis utriusque rationibus, lis omnis sublata et 19 Ianuarii anno 1707 in favorem nostrum a consistorio Passaviensi sententia lata, lecta et publicata fuit.

In sigillo exprimitur s. Michael archangelus huius loci patronus, in dextera ensem flammigerum, in sinistra libram gestans cum inscriptione: SIG. CONVENTUS. FELDSPERGENSIS. FRANCISC. REFOR. 1692.

CAPUT XX.

§ 1.

Conventus Stockeraviensis in Austria ad s. Colomannum regem et martyrem. De oppido Stockeraviensi.

Si Lazzio, chronicae Austriacae scriptori, fides, locus, quem modo Stockerovium seu Stockeraviam dicimus, inter omnia per universam Austriae regionem loca antiquissimus est; refert enim, hunc locum ad Danubium situm octingentis et decem annis post diluvium iam innotuisse Hebraeis, ex Iudaea remotissimis provinciis huc remigrantibus. Sunt et nonnulli tenentes, ante Christum natum Romanos civitatem Austuram (quam Cuspinianus Stockeraviam vocat) prope urbem Comagenum, ad montem Cetium incoluisse, in eademque praesidiarium suum militem collocasse. Verum transmissis his fidei placidae datis, Austura modo Stockeravium quinto iam post mundum redemptum saeculo s. Severino abbati et Austriae apostolo incolatum praestitit, qui, uti in eius vita legitur, post aliqualem in hoc loco moram, quatenus urbis excidium evaderet, hinc ad alias partes transdanubiales declinavit. Chronicon ipsumque archivum Viennense huic loco prae ceteris (quoniam potior Austriae pars non nisi lucus, non habitatum nemus, virgultum dumis opacum erat) primoritatis praerogativam attribuit; ab antiquitate denique locus hic specialem sibi vendicat laudis ac existimationis memoriam. Quando hoc oppidum, relicto nomine Austura, Stockeravium appellari coepit, non deprehendimus: opinamur tamen cum non paucis, hocce nomen post gloriosum martyrium s. Colomanni, ex regio Scotorum stemmate oriundi, anno 1010 consummatum, eidem honoris causa, cum sanctus in arida arbore pendulus animam hic egerit, obvenisse; siquidem Stockeravium, germanis Stockerau, vel Stock an der Au, seu *truncus ad nemus* audit: quare locus hic in insigni gentilitio truncum exhibet aridum cum ramulo ex altera parte virescente, quoniam arbor s. martyris arida, post pretiosam in conspectu Domini mortem virere ac mirabiliter folia producere coepit. Stockeravium iam celebre ac amplum oppidum archiducis Austriae imperio subiicitur; quoad spiritualia subditur episcopo Passaviensi, cuius pastoritias vices hic gerit decanus. Ecclesia parochialis, honoribus s. Stephani protomartyris consecrata, turri gloriatur altitudine, firmitate, venustate, aere campano per totam Austriam, si metropolim excipias, spectabilissima, quae pretiosis oppidanorum sumptibus erecta est anno 1724. Hoc oppidum a tritici et copiosissimi frumenti mercatura, quae singulis diebus lunae in eo celebris est, singularem habet apud adiacentes provincias commendationem. Distat Vienna 4 leucis, sinistram Danubii ripam vel potius eius ramum accolens, iucunda planitie, pomeriis, vinetis, agris, silvulis etc. circumseptum; hinc haecce vicinia pro aprorum cervorumque egregia captura supremis imperii monarchis frequentius in deliciis.

§ 2.

De conventus ad s. Colomannum initiis.

Quasi per quinque saecula, demptis solum irrumpentis sectae lutheranae temporibus, locus martyrii seu aedicula s. Colomanni mart. devoto populo in peculiari exstitit veneratione. Nam recepta inde a Deo per sancti intercessionem plura beneficia cum magis magisque divulgabant; et quia Stockeravienses oppidanos non semel a praesenti discrimine eripuere sancti regii martyris apud Deum merita, hunc in patronum deligunt, immo pro ampliori devotionis augmento in Dei et eius honorem ecclesiam cum claustro fabricare unanimiter constituunt. Fratres nostri e Claustroneoburgensi conventu (qui solum altera hora transdanubium Stockeravio dissitus est) pluries huc ad sacros labores vocati, postquam praecipuam quoque in reducendis ad fidei veritatem haereticis locassent operam, prae ceteris, ut pietatem in sanctum dignius promoverent, utiles iudicantur; offertur his sacelli et fundi amplioris circa locum martyrii traditio, spondetur subsidiarii aeris pro fabrica elargitio, in omni necessitate assistentiae omnis exhibitio. Demum acceptatione nostrorum facta, oppidani inchoando operi manum admovent omnem, consensum tum imperialem a Ferdinando III., tum dioecesanum a Leopoldo Guilielmo, archiduce Austriae et episcopo Passaviensi suppliciter postulant, benigne obtinent. Obtenta itaque principum facultate, anno 1644 aedificio novae ecclesiae et conventus initia data sunt, ac per magistratum civicum fratres in eorum possessionem missi; sumptus structurae potiores dicti magistratus et oppidanorum liberalitas solvit, tametsi loca contermina, arces et dominia subsidiarias etiam porrexerint manus. Anno 1647 templi fabrica et una conventus parte iamiam constructa, in festo s. Thomae apostoli solemni cum processione in hunc locum introducti sunt. Demum consummato omni aedificio, per r. p. Antonium Stöckler provincialem die 18 Novembris anno 1652 locus hic ex residentia in formalem conventum sub onere chori et clausurae permutatus est.

Ecclesiae s. Colomanni facies paupertate franciscana nitida, mediocris est amplitudinis, formosa tamen, cum actu templi sacrarium tria, praeter haec duo ex utroque latere altaria numeret; ex cornu evangelii sacellum cultui divi Paduani thaumaturgi dedicatum, cratibus ferreis ornate munitum conspicitur. Altare maius (in loco martyrii s. Colomanni erectum) in elegantem hodie surrexit formam, auro, ficto marmore, architectonica arte splendicantem; in medio effigies templi huius et Stockeraviensium patronum regium martyrem sub specie peregrini, nubibus sublimem, artificiosa pictura exhibet. Sacellum s. Antonii Paduani cum eius ara plures illustrissimi maecenates et vicini rr. dd. parochi strui fecerunt. Altare b. Virginis, huius sculptam retinet imaginem. Altare s. p. Francisci chordigerorum erectum est impendiis nobilis d. Geyer de Edlbach. Enumeratis hisce aris, dempto sacello Paduano necdum consecrato, sacras reliquias imposuit die 22 Augusti anno 1660 rev.mus d. Martinus episcopus Lambsacensis, canonicus Olomucensis et serenissimi archiducis episcopi Passaviensis per utramque dioecesim suffraganeus. Anno 1727 intra sacrarium nobilis ara s. Ioannis Nepomuceni mart., anno 1730 altera ss. Ioachimi et Annae accessit ex largissima beneficentia d. Ioachimi Georgii Gschwandner, aulico-caesareae camerae procuratoris, munifici in hanc ecclesiam patroni. Ut pia plebs perpetuum dominicae

passionis memoriale haberet, extra ecclesiam anno 1657 beneficio devotorum Redemptori patienti sacratissimum Domini sepulcrum ex secto lapide aedificatum est; et quia ad normam Ierosolymitani structum, totque ab oppido passibus dissitum est, quot originale suam ab urbe Ierusalem, innumerus populi confluentis concursus fieri solet quadragesimali tempore. Anno 1731 dolorosa *via crucis* cum solidis stationibus erecta fuit sumptibus confraternitatis chordigerorum s. p. n. Francisci, quae singulis mensibus, praemisso ex cathedra sermone, suam celebrat processionem, plurimos numerans benedictae chordae sodales. Ecclesia praeter maiorem partem de sambuco, ex quo s. Colomannus pendulus mortem martyr obierat, insignem quoque partem sui tutelaris de mandibula servat, quae devotis huc peregrinis et visenda et osculanda traditur. Instituitur ad sacrum huius martyris locum in ipso s. Colomanni festo quotannis solemnis processio ab oppidanis Stockeraviensibus voti facti causa, aëris intemperie etiam qualicumque non impediente, haberi solita; quoniam anno 1679 oppidum cum oppidanis a saeviente contagiosa lue s. martyr protinus liberavit, sub voto annuae processionis, olei ac cerei oblationis invocatus.

Conventus solidioribus saxis et forma quadrata erectus septimo supra Stockeraviense oppidum lapide dissitus est, Vienna per terram quatuor, per aquam duabus leucis semotus. Dormitorium unicum a potiori 22 fratribus, quos mera piorum eleemosyna alit, praebet habitacula. Hortus claustro adnexus spatiosissimus quidem, ast ob terram arenosam minime frugifer; ideoque arbores, etsi cum viriditate florescant, nihilominus abs fructibus remanent; quod tellus hic negat arboribus, supplet in floribus, plantis et oleribus, quorum sufficiens habetur copia; triplici quoque potitur fonte, qui ad irrigandum aquam largissime dispensat. Claustri situs amoenissimus est et quia nullas sibi vicinas compatitur aedes, sibi vel fertilissimos agros aut prata vel nemus, aut inter aquarum Danubiique rivos campos opimos obiicit. Quare piscium volucrumque capiendarum opportuna occasio ad eximium solatium est sese refocillare cupientium. Ante huius monasterii fores supra planitie inter arborum umbras colossus ex secto lapide erectus cernitur immaculatae Conceptionis, columnam circumstant ss. Sebastianus, Rochus, Carolus Borromaeus et Leopoldus, octo geniis caelestibus genuflexis hos ornate ambientibus; singula praeclaro statuarii opere elaborata, obinde suo pretio simul et situs amoenitate colossus spectabilis est. Surrexit anno 1729 liberalitate a. r. d. parochi in Simonsfeld Iosephi Wilhelmi de Knering.

Sigillum conventus imagine insignitur s. Colomanni mart. formam itinerantis praeseferentis, dextera baculum, virgeum lorum sinistra, quo martyr obierat, demonstrantis, cum hisce in orbem litteris: SIG. CONV. FRANCISCAN. S. COLOMANN. 1652.

CAPUT XXI.

§ 1.

Conventus Feldbacensis in Styria ad b. Virginem natam. De loco Feldbacensi.

Feldbacum secundum aliquos Veldbachium, perantiquum oppidum, quod Arrabo seu Raaba fluvius aluit, ab immemorabili tempore serenissimorum archiducum et Romanorum caesarum imperio subditum est; nam etsi subinde dominio dd. de Wallsee

pareret, post paucorum annorum lapsum, dum proprio aere cives sese et oppidum redemerunt, iterum ad Austriae archiduces rediit. Adiacet regno Hungariae in confiniis Styriae inferioris una dieta solum, seu sex milliaribus a metropoli et urbe Graecensi semotum. Locus, utcumque spatiosus, muris clauditur et per tres portas ex mero quadro sectas aditum ingredientibus reserat; ad arcis formam quodam gaudet fortalitio, Tabor nuncupato, duplici fossa egregie cincto, quod hostilis invasionis tempore oppidanis fugam accelerantibus resve suas salvare cupientibus forte subministrat praesidium, siquidem multae in eo mansiunculae, officinae et conservatoria cernuntur plurimarum rerum ponendarum capacia. In huius medio templum parocciale conspicitur sat pulcrae structurae, s. Leonardo, oppidi et sacrarum aedium tutelari, sacratum. Planities est aquis irrigua et humida, solum pascuis fecundis plenum, frumenti ferax, vino abundans. Loca contermina, quae eam circumdant multumque spectabilem reddunt, pagi, castra, arces sunt. Inter arces primatum obtinet Reckerspurgum, Feldbaco vix leuca distans versus orientem, giganteae rupis celsitudine, propugnaculorum numero suaque ad intra pomariis vineisque consita amplitudine facile Graecensem exsuperans. Reddit hanc arcem ipse munimentorum ordo, copia, robur, portarum suis pontibus instructarum pluralitas, petrae praecipitium (ad quam nonnisi arduo et flexuoso tramite conscenditur) sua natura formidabilem, inexpugnabilem. Eminet in eius summitate ingens aula re tormentaria ac armis locuples, merito ea de ratione archiducum Austriacorum fortissimis munimentis praeprimis adnumeranda. Subiicitur actu dominatui d. Wenceslai Caroli s. r. i. comitis a Purgstall s. c. m. excelsi Austriae interioris regiminis consiliarii etc.

§ 2.

De templo et claustro in oppido Feldbacensi.

Cum illustrissimus d. Iacobus Küsl, comes a Gottschee, ob receptum aliquando divinitus beneficium votum Altissimo vovisset, quamprimum sibi licuerit, pro Dei aeternique Verbi Matris gloria magis promovenda et amplius propaganda catholica religione in dominatu suo construere monasterium et magna in seraphicum ordinem fereretur benevolentia; in loco Feldbacensi, cum nullibi per viciniam inveniretur religiosum domicilium, fabricam a se erigendam fratribus nostris transcribere decrevit. Verum Deo corona aeterna eum citius decorare cupiente, antequam diem vitae clauderet ultimam, d. Georgium Bartholomaeum Kisl haeredem universorum piissimae intentionis suae constituit exsecutorem, eum ultimis tabulis strenue obligando, ut, quod ipse nequiverat morte praeventus, sua virtute perficeret, et fratribus minoribus strictioris observantiae ecclesiam et coenobium erigeret. Anno itaque 1642 obtento Ferdinandi III. caesaris consensu, structura initia sua sumpsit, ac elapso primum quinquennio ob temporis illius caristiam et calamitositatem, in eam excrevit status perfectionem, quod fratres nostri in hoc loco pedem figendi habuerint commoditatem. Prima in neo-erecto templo solemnitas anno 1647 in festo s. p. n. Francisci celebrata est, ubi non obstante adhuc lutherizante plebe, ultra centum fideles, praemissa s. peccatorum confessione, pane angelico refecti fuere ad superabundans illustrissimi d. comitis fundatoris solatium. Completa fabrica, anno 1652 primus guardianus loci institutus fuit p. Eustachius Taumann. Claustrum hoc statui

minoriticae paupertatis proportionatum, penes castrum extra oppidi portam, qua Graecio Feldbacum descenditur, in forma perfecte quadrangulari situatum est; solum respicit fertile quidem et fecundum, verum ob adiacentes aquas humidum et subin fratrum saluti nonnihil insalubre ac adversarium. Praeter conservatoria et officinas in inferiori ambitu non paucas unicum habet dormitorium tot enumerans cellas, quod, demptis hospitum habitaculis, bibliotheca etc., plerumque viginti aut plures fratres peraccommodam nanciscantur habitationem; aliquando etiam vel studium philosophicum vel theologicum morale pro beneplacito superiorum habetur. Fratres in loco tum eleemosyna per viciniam, arces et pagos humiliter emendicata, tum fundatione quadam a primo d. fundatore pie disposita ac ab excellentissima d. Maria Eleonora, comitissa de Rosenberg, nata com. de Kysl etc., aliquantulum aucta aluntur. Hortus in quadro spatiosus ac peramoenus, minori piscina et vivo fonte provisus est ac fluente aqua irriguus, quam ad iactum lapidis fluvius Arrabo suaviter susurrans lambit.

Sacrae huius monasterii aedes voluntate fundatori b. Virgini auxiliatrici natae dedicatae sunt anno 1658 per reverendissimum d. Ioannem Marcum, episcopum Seccoviensem, Guidobaldi archiepiscopi Salisburgensis (cui in spiritualibus hic locus subiicitur) per utramque Styriam vicarium generalem, qui quoque eodem anno aram maiorem in honorem eiusdem b. Virginis natae consecravit. Primum altare laterale in cornu evangelii ss. Triadem; alterum gratiosam Virginem Mariam Oettinganam (cuius statua ad originale suum attacta est) repraesentat, singulari populi devotione celebre. Primum altare laterale in cornu epistolae s. Antonio Paduano; secundum b. Virgini dolorosae (sub hoc condita quiescunt corda primorum fundatorum); tertium s. Michaeli archangelo inauguratum est, horum tamen nullum usque modo consecratum. Confraternitas chordigerorum, iam anno 1648 introducta et indies in sodalibus aucta, plures nobiles et ecclesiasticos enumerat. Tertius ordo (qui una cum *s. via crucis* anno 1725 piissime institutus est) in hoc conventu maxima cum exemplaritate viget, non solum litteratissimis viris in ecclesiastica dignitate constitutis, verum etiam generosis, strenuis, illustribus, immo prima nobilitate insignibus utriusque sexus personis, pauperem poenitentium habitum perdevote gestantibus.

Sigillum conventus exprimit b. Virginem coronatam cum s. Prole nubibus excelsam; infra vero intra arborum viriditatem s. p. n. genuflexum cum circularibus characteribus: SIG. CONV. FRANCISCAN. FELDBACENS. 1652.

CAPUT XXII.

§ 1.

Conventus Merzuschlagensis in Styria ad s. Crucem.
De loco Merzuschlagensi.

Oppidum caesareum Merzuschlag, unde conventus noster denominationem sumit, in ipsa valle Martiana, quae nomen suum a fluvio Merz derivat, plurimum celebratur a ferro cudendo, quod in omnes etiam magis dissitas provincias nobili comercio dispensat. Locus hic oblongus Alpibus ac rupibus peraltis undequaque cingitur, medius inter Austriae et Styriae metropoles; unde sicuti Vienna ita et Graecio duodecim milliaribus remotus. Altera abhinc hora trans Semering peculiaris vastitatis montem

oppidum spectatur, Scheidwienn nuncupatum, per quod ex Austriae finibus viâ regiâ in Styriam fit transitus, et inter angustas rupes, immo arcis cuiusdam Clam dictae, com. de Walsegg subditae, praesidio hanc ab altera dividit, fortique, si contra hostes necessum sit, clausura munit ac difficillimum permeatum admittit. Ecclesia parochialis ad s. Cunegundem v., tametsi cum oppidanis suis archiepiscopo Salisburgensi quoad spiritualia subiecta sit, a professis ordinis Cisterciensis ad Novos Montes administratur, qui ut pastores eidem perpetuis temporibus praesunt. Est autem hoc ad Novos Montes seu Novo-Montanum coenobium Merzuschlagio tribus horis dissitum et inter Styriae Alpes, montes et colles ad tenuem Martii fluminis alvium inferiori Austriae contiguum; quod Ottoni Austriaco, Alberti I. caesaris filio, Friderico pulcro augusto assentiente, sua initia debet; suscepta enim ex Elisabetha Bavara coniuge prole, Friderico suo primogenito, asceterium Deiparae honoribus erigere decrevit. Quare evocatis ad hanc solitudinem ex antiquissimo s. Crucis monasterio viris religiosis ac assignato amplissimo fundo, vastae molis basilicam construxit anno 1327, sibi suisque serenissimis posteris, Elisabethae ac Annae lectissimis coniugibus, post fata perenne conditorium dispositurus.

§ 2.

De franciscano conventu et ecclesia.

Anno ab incarnatione Domini 1641, 5 Maii in hoc caesareo oppido ad instantiam r. p. Aegidii Schiesl, ministri provincialis, cooperante praeprimis ill.mo d. Wenceslao de Potiis etc., fratrum nostrorum hic transeuntium amantissimo parente spirituali, ut hocce in oppido nostris domicilium figendi auctoritas fieret, consensus tum caesaris Ferdinandi III., tum archidioecesani Salisburgensis obtentus fuit. Domum, quam fratres per plures annos qua hospitium incoluerant, communitati Merzuschlagensi proprio aere exsolverunt dd. Wenceslaus de Potiis, Martinus Brimbsch, Wolfgangus Schreckenfux et Leonardus Weggenhauser. Sacellum vel potius oratorium celebrandis divinis, utut fieri potuit adaptatum, sacratissimae cruci Salvatoris nostri dedicatum erat, die 14 Aprilis anno 1645, Mariae Augustae Ferdinandi III. coniugis praesentia, dum in parasceve Domini Merzuschlagium pertransiret devotionis causa, decoratum largaque eleemosyna ditatum. Anno 1648 in festo s. Bartholomaei apostoli, quatenus hocce fratrum hospitium in claustrum, oratorium in ecclesiam, adiutrice Dei gratia et benefactorum largitate permutaretur, in struendi templi fundamentum primum lapidem iecit reverendissimus d. Balthasarus, exempti s. Ordinis Cisterciensium monasterii Novo-montani abbas. Omnis tum conventus tum ecclesiae fabrica potissimo aere subsidiario antedicti d. de Potiis et Annae, eius lectissimae coniugis, ac admodum reverendi d. Ioannis Wämpel, decani Werzensis, surrexit. Quare ut amborum munificentia posterorum commendaretur memoriae, supra ecclesiae fores intra saecularium chorum sequens exarata visitur scriptura:

Hic crucis insignem structuram cernis amoris,
Ex Wämpel ventrem, sed caput ex Potiis
Sumpsit. Nunc quaeris: Potior sit vertice venter?
Ventre caput potius indico pro Potiis.
Anno Salvatoris nostri
M. D. C. L. VII.

Templum hoc una cum monasterio, piorum benefactorum eleemosynis, sed vel maxime piissimi ac reverendi domini Ioannis Wämpel, decani olim et parochi in Weitz, nec non nobilis ac strenui domini Wenceslai de Potiis, primi huius conventus syndici apostolici, munificentia perfectum et decimo kalendas Maii, dominica scilicet tertia post pascha, ab illustrissimo ac reverendissimo principe dd. Ioanne Marco episcopo Seccoviensi, in honorem s. Crucis solemniter consecratum et dedicatum fuit, sedente in cathedra d. Petri Alexandro VII., invictissima vero sacri Romani imperii gubernacula hoc eodem mense mortis imperio resignante Ferdinando III.

Crucis victoria
Sit nostra memoria
In aeterna gloria.

Perfecta potiori ex parte ecclesia, sacristia, fratrum choro, paupertati proportionata turris adiecta est et nonis Augusti anno 1649 eiusdem apici crux super imposita, in cuius modo ad perpetuam rei memoriam omnium totius fabricae praecipuorum benefactorum nomina inclusa sunt. Templum rev.mus princeps et d. Ioannes Marcus ab Altringen, episcopus Seccoviensis, die 22 Aprilis anno 1657, dominica tertia post pascha consecravit, cuius consecrationis solemnia eadem dominica, patrocinium vero in die inventionis s. Crucis festiva cum celebritate singulis annis recurrunt. In sacris his s. Crucis aedibus tres arae cum sacello unico constructae visuntur: ara maior salvificae Crucis signo dedicata praeclaris impendiis ill.mae d. Catharinae de Kayserstein, natae de Kärnersperg, anno 1651 erecta fuit. B. Virginis ex cornu evangelii beneficentia d. Christophori de Pichl Merzuschlagensis postae magistri, surrexit anno 1654. S. Francisci seraphici suis sumptibus fieri fecit nobilis d. Martinus Brimbsch de Königsbrun anno 1660, qui paulo post sacellum quoque in honorem s. Thaumaturgi erexit. Crypta tum fratrum tum saecularium sub templo alteram aequalis cum ecclesia amplitudinis faciem exhibet. Altare ibi in animarum purgantium refrigerium magnis olim ditatum erat indulgentiis; anno 1715 largitate perillustris d. Georgii Andreae, nobilis de Kärnersperg, s. r. i. equitis et caesarei consiliarii, extra fores ecclesiae ad introitus sinistram nobilissimum Christi Domini sepulcrum exstructum, ac 13 Aprilis, quae sabbatum erat ante dominicam Palmarum, ad ingens populi confluentis solatium prima vice sacrum solemne habitum fuit. Conspicitur ante eius ingressum penes picturas varias crux, quasi e Calvariae loco elevata, quam sancti omnes cruci fideliter adstantes devote ambiunt, statuario opere praeclare expressi; memoratum sepulcrum prima quadragesimae dominica et feria sexta secundae hebdomadae mensis Martii indulgentias se visitantibus impertit plenarias. Anno 1656 confraternitas s. p. n. Francisci sub titulo chordae benedictae; anno 1729 *s. via crucis* ac eodem anno sacer. s. patris n. tertius ordo pientissima sua sumpsit initia.

Hic conventus ad s. Crucem nuncupatus unico absolvitur dormitorio, quod 20 communiter fratres inhabitant, praeter stipem per montes et Alpes humiliter emendicatam nullum prorsus fundationis sentientes beneficium. Bibliotheca competente, officinis necessariis, duplici fontis scaturigine ac horto arboribus fructiferis et oleribus copioso provisus est.

Sigillum conventus penes crucem maiorem in medio erectam, duas a latere minores exprimit cum hac inscriptione: SIG. CONV. FRANCISCAN. MÖRTZ. 1652.

CAPUT XXIII.

§ 1.

Conventus Mautternae in Styria ad s. Barbaram virginem et martyrem. De loco Mautternensi.

Mautern seu Mautterna, antea pagus, ad instantiam excellentissimae familiae comitum de Breuner (quae eidem iure haereditario dominatur) iam gratia caesaris oppidum est in superiori Styria, Graecio undecim milliaribus dissitum, undequaque altissimis petris ac saxosis montibus septum. Mille abhinc passibus spectabile castrum Ernau dictum conspicitur, praedictae etiam familiae proprium. Parochialis ecclesia s. Nicolao dicata Mautternae administratur a quodam ordinis s. Benedicti monasterii Ad-Montensis, quod vetustate sua, incolarum pietate, doctrina et multitudine totius Styriae celeberrimum et ditissimum est, anno 1074 a b. Gebhardo, Salisburgensi episcopo (in cuius archidioecesi, una cum omni Mautternensi vicinia conspicitur) fundatum. Mautternense oppidum, etsi ex conterminis parochiis, arcibus et castris plurimum commendabile, praecipue tamen ex spectabilibus ingentibusve oppidis caesareis: Eisenarz seu Ferrimetalla, et Vordernberg seu Mons anterior nuncupatis, inter praeruptos peraltosque montes versus superioris Austriae plagas sitis. Ambo haec loca ob nobilissimas ferri fondinas, anno 712 inventas, per omnes etiam remotiores regiones, quibus hoc metallum largissime dispensant, sunt famosissima, quippe, tametsi indefesso labore ultra mille iam annos effodiantur, cum tanta exuberantia materiam subministrant, quod ea non solum necessitatibus praesentibus omnino satisfaciat, sed et ingentem quantitatem posteris continuo reservet. Oppidum praeterea Mautternense circumquaque clauditur asperrimis montibus et praecelsis rupibus, hinc cervis non nihil, maxime tamen damarum copia locuples est, quod obinde modernus Rom. imp. Carolus VI., dum praestandi sibi a provinciis haereditariis homagii causa ex Styria in Carinthiam, Carnioliam, Goritiam peteret, his delitiose hic capiendis pluribus diebus una cum augustissima coniuge immorari minime dubitaverit.

§ 2.

De conventu et ecclesia fratrum nostrorum.

Ecclesiam et conventum extra oppidum Mautternense tenerrimus in franciscanam reformatorum familiam affectus, pietas et munificentia excellentissimi et illustrissimi d. Caroli Godefridi s. r. i. comitis Breuner, nobilis domini in Staz, l. b. in Stibing, Fladniz et Rabenstein, domini in Ernau, Comerstein etc. s. c. m. intimi consiliarii, camerarii, nec non inferioris Austriae praesidis etc., surgere fecit anno 1669. Nam cum hic eiusque illustrissima consors Mariana, nata comitissa de Meggau, prolibus orbati forent, relinquendae haereditatis portionem non modicam divino cultui dedicarunt, nobisque pp. franciscanis, ut hunc perpetuis temporibus amplius promoveremus, templum claustro construxerunt. Itaque r. p. Benigno Schmaditsch, ex-guardiano Graecensi, in architectum ab ipsomet excell. fundatore fiducialiter constituto, die 27 Octobris anno mox dicto primus lapis ecclesiae fundamento impositus est cum inscriptione :

Hic lapis in fundamenta ecclesiae huius positus fuit per illustrissimum et reverendissimum d. Raymundum, celeberrimi monasterii Admontes ord. s. Benedicti abbatem et per Styriam superiorem archidiaconum, auctoritate et licentia celsissimi principis et archiepiscopi Salisburgensis, sanctae sedis apostolicae legati etc., anno a partu virgineo MDCLXIX. sexto calendas Novembris, sedente romano pontifice Clemente nono, imperante Leopoldo I. Romanorum imperatore augustissimo. Priusquam ecclesiae insignis fabrica suam perfectionem attingeret, aedes b. Virginis Lauretanae ad mentem fundatoris sinistro lateri ad templi introitum impositae et anno 1675 perfectae sunt, atque in his secundo Augusti primum sacrum a praefato d. abbate Admontensi celebratum; postero vero anno in ipsa Dei Matris in caelos assumptae solemnitate per solemnem ex parochiali ecclesia institutam processionem ad hanc domum per dictum d. abbatem icon imaginis Lauretanae, Laureti effigiata, ibidem benedicta atque ad suum prototypon attacta, devotissime illata fuit ad singularissimum ipsum fundatoris eiusque illustrissimae prosapiae solatium et spirituale oblectamentum. Imposita iam suprema templi structurae manu (postquam die 25 Iulii anno 1675 excell.mus fundator ad omnium lamentum Graecii in Domino pientissime defunctus, vel potius caelo illatus esset), die 5 Iulii anno 1679, quae erat sexta dominica post pentecosten, solemnibus ritibus templum et summum altare a celsissimo s. r. i. principe et episcopo Seccoviensi, d. Wenceslao Gulielmo, comite de Hoffkirchen etc., sub patrocinio s. Barbarae v. et m. dedicatum est, qui eadem die tres campanas, maiorem nominibus d. Barbarae v. et m. et s. Caroli Borromaei, minorem ss. Francisci seraphici et Antonii Paduani, minimam s. Caeciliae v. et m. insigniendo benedixit. Solemnia haecce gaudiosa sequenti die consequebantur tristia; nam piae exuviae excell.mi d. fundatoris Graecio (ubi in nostri conventus s. Iacobi sacello a die obitus depositae iacuerant) sub campanarum pulsu ac lugubri comitatu ad neo-consecratam ecclesiam delatae et ad cryptam interiorem ante altare maius conditae fuere. Nobilissimis hisce manibus per triduum solenniter parentatum est. Supra sarcophagum cupreum in deaurata lamina sculpta sunt eius nobilissima insignia et appositum sequens epitaphium.

HAC IN TUMBA RECONDITUS IACET
EXCELLENTISSIMUS ET ILLUSTRISSIMUS DOMINUS DOMINUS CAROLUS GODEFRIDUS S. R. I. COMES BREUNER, NOBILIS D. IN STAZ L. B. ETC. ETC.
ut supra legitur
AUGUSTISSIMI CAESARIS LEOPOLDI I. MAGNUS ET CHARUS MINISTER
QUI
CONVENTUM HUNC A FUNDAMENTIS MUNIFICENTISSIME EREXIT ET FUNDAVIT
VIXIT
RARO CUNCTIS IN DEUM PIETATIS, FIDELITATIS IN CAESAREM ET IN PROXIMUM BENIGNITATIS EXEMPLO
ANNOS QUINQUAGINTA SEX.
OBIIT
MAGNO SUI RELICTO DESIDERIO
DECIMO QUINTO CALENDAS AUGUSTI
ANNO MDCLXXV.

Celebris huius templi fabrica, suis firmissimis fundamentis omnino praeclara, multum luminosa ac ampla est, in qua altare maius ob novissime anno 1725 ex fundatoris sumptibus appositum auro et arte sculptoria resplendescens tabernaculum eidem singulare confert ornamentum. Praeter dictum altare et aedes Lauretanas quatuor iam lateralia continet; primum est s. Crucis pro liberandis e flammis animabus diebus lunae et veneris perpetuo privilegiatum; secundum Ss. Triadis; tertium s. p. n. Francisci; quartum s. Antonii Paduani. Singula opera pietatis sunt excellentissimae fundatoris familiae suis digna conditoribus, ac consecrata die 24 Maii anno 1699 a rev.ᵐᵒ principe Iosepho Rudolpho e com. de Thun, episcopo Seccoviensi. Extra hoc templum altero quasi milliario italico in sublimiori loco dissitus est mons Calvariae cum suo sacello conventui nostro virtute litterarum fundationalium perpetuo incorporatum ea conditione, ut a festo s. Georgii usque ad s. Michaelis festivitatem omni die veneris pro primo fundatore per nostros una missa diceretur. Confraternitas chordigerorum anno 1682 instituta omni cuiusvis mensis dominica ultima per solemnem processionem suos sodales congregat. Anno 1724 sub provincialatu r. p. Hugonis Babler tertius ordo erigi et iuxta eius institutum plena communitate instrui ac mire florere coepit per p. Hippolytum Peez, huius ordinis directorem, non solum per viciniam, sed remotiora etiam loca zelose propagatus. Sacra *via crucis*, eodem tempore pia sua initia habuit, ob plurimas indulgentias a non paucis quotidie frequentata. Solet ad huius templi et aedis Lauretanae iconem singulo triennio ex civitate Rottenmonensi processionaliter venire turba devotorum, qui civitatis nomine votum obinde factum exsolvunt, quod die 4 Iulii anno 1679 vehementior flamma, gravioris fulminis ictu terribiliter causata, post b. Virginis Lauretanae invocationem mirabiliter extincta sit. Anno 1729 munificentia excellentissimi d. comitis fundatoris ecclesiae quintum accessit altare, honoribus s. Francisci Xaverii consecratum. Ante templi huius ingressum supra fores nobile scutum exhibet primorum fundatorum insignia, infraque sequentia inarata leguntur:

DEO OPTIMO MAXIMO
DIVAEQUE BARBARAE VIRGINI ET MARTYRI
TEMPLUM HOC ET MONASTERIUM
ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI STRICT. OBS. PROVINCIAE AUSTRIAE
A FUNDAMENTIS
EREXERUNT, DOTAVERUNT, ORNAVERUNT

excellentissimus et illustrissimus dd. Carolus Godefridus s. r. i. com. Breiner nobilis d. in Staz, liber baro in Stibing, d. in Ernau, Comerstein, Kayspersperg, Weinwurg, Ragitsch, Waltschach et Arnfels, camerar. haeredit. in Austria infra Onasum et supremus camerarius haeredit. comitatus Goritiensis s. c. m. consiliarius act. intimus, camerarius et inferioris Austriae camerae praeses

EIUSQUE LECTISSIMAE DOMINAE CONIUGES
ILLUSTRISS. DOMINA D. MARIANNA PIAE MEM. COMITISSA BREUNERIN
NATA COMITISSA A MEGGAU
ILLUSTRISS. DD. MARIA MAGDALENA COMITISSA BREUNERIN
NATA BARONISSA ET DOMINA A GEISRUGG.
ANNO SALUTIS MDCLXXIV.

austrum in forma quadrangulari sua sumptuositate et graviori mole aeternitati con-
ructum, octodecim religiosos inquilinos numerat, quorum 12 piissima fundatoris
unificentia virtute litterarum sub dato Graecii 15 Ianuarii anno 1670 erectarum
stentantur; reliqui vero vicinorum locorum subsidiariis eleemosynis facile aluntur.
iridarium, quod in acclive assurgit et fluviolo alluitur, spatiosissimum est et periu-
undum, arboribus potissimum, quae sapidissima poma ferunt, consitum situmque
ter celsas rupes et montana praegrandia; hinc, quia longius hic frigus perdurat,
uctus non nisi tardiori anni tempore in hoc horto maturescunt.

Sigillum conventus b. virginem et martyrem Barbaram cum turri, quae calicem
dextera, in sinistra gladium, quo martyr occubuit, tenet, cum sequentibus litte-
s orbiculariter exprimit: SIG. CONV. FRANCISCAN. IN MAUTTERN. 1674.

CAPUT XXIV.

§ 1.

Conventus Hainburgensis in Austria ad s. Annam. De urbe Hainburgensi.

Hamburgum Austriae, aliis Haimburgum vel Hainburgum, archiducalis urbs,
ienna octo milliaribus distans, Danubio flumini adiacet, primumque ex Hungaria in
ustriam aditum recludit, Posonio, regia superioris Hungariae metropoli, ubi in mu-
itissima arce s. Stephani regis corona, quae regibus Hungariae in die coronationis
nponitur, aliaque regia diademata caute custodiuntur, altera leuca semotum. Hainbur-
um non magnitudine aut pulcritudine, sed antiquitate sua, qua vetustissimis Au-
riae urbibus comparatur, celebre est, et hodie vetustissimae molis portae civitatis
stantur; nec desunt arbitrantes hanc urbem, suppresso veteri Carnunto, magnifica
lim Romanorum civitate, sua initia sumpsisse annis post Christi natalia admodum
aucis. Peraltus mons, qui urbi adiacet firmissimam quandam arcem exhibet, quae nunc
ı ruderibus deserta falconum nidus effecta est. Pervetustae urbis paroeciae ss. apo-
tolis Philippo et Iacobo dicatae sunt, sumptibus magistratus et civitatensium erectae.
ocus hic cum incolis quoad spiritualia archiepiscopo Viennensi subditur. Plurimum
m locum hunc commendat ante paucos annos permagnis sumptibus constructa ta-
acae fabrica, ex qua ad omnes caesaris haereditarias provincias copiosissimum fit
iversissimorum foliorum commercium. Per hanc viciniam complura subterranea
eprehenduntur veterum aedificiorum rudera, et agricolae variarum sortium mone-
s, nummos ex aere, aurichalco, argento, etiam auro in hunc usque diem, dum
gros colunt, merae probatae antiquitatis monumenta.

§ 2.

De conventu nostro Hainburgensi.

Dum infaustissima illa plus lacrymis deploranda quam calamo insectanda lu-
heranismi tempora longe lateque etiam Austriae regionem, praecipue Hungariae
egnum sibi conterminum, miserrime obfuscarent, et spretis apostolicis sanctionibus,
c contempta Dei ecclesia per introductionem falsae doctrinae orthodoxae fidei uni-

tatem scindere satagerent; ecclesiasticorum et religiosorum domicilia tanquam firmi sima fidei romanae propugnacula sceleste ubique impugnarunt, supremum horu exterminium attentarunt, sacrilegis manibus in sacras eorum aedes tumultuarun sacram supellectilem diripuerunt, vendiderunt, inquilinos ecclesiasticos exturbarun religiosos claustris pepulerunt ac in exilium eiecerunt. Quod miseranda illa aeta in grandem perniciem vineae Domini Sabaoth plurimis sacris locis, monasteriis h rumque incolis deplorando fato obtigit, etiam conventus nostri non minori cum inf licitate experti fuere: nam praeter conventus Egenburgensem, Iudenburgensen Kazelstorffensem, Lancovicensem, Puppinganum, Enzerstorffensem, Feldspergensen ut suis locis diximus, claustrum quoque Hainburgense ad suum usque persens exterminium. Anno siquidem 1561, quando in Hainburgensem urbem lutheranus m gistratus potestatem omnem exerceret, fratribus nostris iam ante quadraginta quinq circiter annos e conventu suo violenter propulsis, claustrum in domum providend annonae commutarunt, prout urbarium Hainburgense per speciales litteras urbis s gillo munitas ac in nostro archivo originaliter servatas testatur sequentibus: Franc scani quoddam ordinis monasterium, quod intra moenia civitatis Hainburgensis situ erat, demolitum atque in domum providendae annonae, seu comeatum aedifica coeptum est in mense Martio anno Salvatoris MDLXI. Item protocollon dioeces Passaviensis, in consistorio Viennae ad b. Virginem in littore servatum, sequent verba habet: Fuit quondam Hainburgi conventus fratrum minorum s. Francisci, nu vero locus ille inservit annonae etc. Ex his non obscure liquet, fratres nostros an ducentos et plures annos pedem fixisse, verum liquido referre aut investigare no valemus, per quantum antehac aevum conventus steterit, quis eius conditor fueri Tempora enim continuo bellicosa, haereticorum insolentiae, frequentiores Turcarun Tartarorum, rebellium Hungarorum invasiones, civitatis exustiones authentica omni et nostri conventus et urbis protocolli eripuerant documenta.

Lutheri sectariis per universalem reformationem imperatoria, praesertim Ferd nandi II. auctoritate ubique vigentem plurimum extirpatis, orthodoxae fidei religio i ditionibus caesari haereditariis palam reflorere coepit. Fratres nostri cum aliis operari Vienna Hainburgum directi, plurimos errantes in viam salutis reducentes, copiosiss mam messem in horreum dominicum congregarunt; obinde Hainburgensium incol rum affectum amoremve praeprimis sibi conciliarunt ac fiduciam. His illectus senat civicus, dum anno 1645 lues contagiosa gravius hic saeviret, sub dato 11 Septembr a reverendissimo p. Maxentio ab Arco, commissario Provinciae generali, supplicit flagitavit, patrem infectis mitti in solamen, quatenus ex his, qui lutheranae inf ctionis et pestis animae tempore maxime proficua locarunt obsequia, ea quoqu deferre non gravarentur grassante lue corporis et pestiferae infectionis tempestate. E destinatus est p. Paulus Königsberger, vir singularis pietatis et in proximum carit tis, qui, post praestita plurima pestiferis solatia, eadem lue et ipse infectus, se restitutus, in finem usque pestiferis in obsequium fuit. Eapropter magistratus et cive perpendentes fratrum religiosa et ad plenam satisfactionem conducentia officia, grat tudinis causa moti, antiqua relicta a nobis conventus monumenta, utut potuerunt patribus nostris exhibuere, instantissime postulantes, ut, cum olim huius loci inquilir fuerimus, spatii vel antiqui vel noviter assignandi possessionem reassumeremus spondendo omnem pro obtinendo piae petitionis effectu assistentiam, auxilium, pr motionem. Desideriis tantis ut fieret satis, adita est Leopoldi I. et magni caesari

lementia, quae in omne opus sanctum pronissima r. p. Mariano Schmidt, tunc Proinciae ministro, sub dato Viennae die 19 Septembris anno 1675 gratiosissimum praeitit consensum, imperatorio sigillo ex cera pendente munitum. Igitur anno 1676 die 6 Decembris ad non modicam civitatensium laetitiam fratres nostri non in loco veeri, sed noviter beneficio senatus assignato et ad aedes scholares dicto, pedem figere oeperunt. Die 8 Augusti anno 1677 dominica nona post pentecosten illustrissimus t reverendissimus d. Germanicus s. r. i. comes a Thurn, per dioecesim Passaviensem ıfra Onasum officialis lapidem fundamentalem ecclesiae et conventus fabricae posuit, ui epigraphe insculptum erat tale: Sub papa Innocentio XI., imperatore Leopoldo I., piscopo dioecesano Sebastiano, de licentia eiusdem et nostri ministri generalis sephi Ximenez Samaniego haec ecclesia ad praepotentis Dei et s. matris Annae loriam fundata est, ponente lapidem hunc primarium reverendissimo et illustrissimo d. Germanico s. r. i. comite a Thurn, officiali Passaviensi etc., ad instantiam p. Mariani Schmidt, ordinis minorum s. Francisci reformatorum, Provinciae Austriae minitri provincialis, die 8 Augusti anno 1677.

Initia ecclesiae et conventui meris beneficorum eleemosynis, quibus civium lainburgensium sollicitudo non parum contribuit, data sunt, potissimum vero aes, ıt fabrica celerius ab imo ad summum surgeret, dispensavit d. Ioannes Georgius Iartmann, U. I. D. facultatis iuridicae Viennae decanus et status provincialis syndicus rimarius, quod struendo alicubi franciscanorum claustro moriturus ordinaverat. Vix lenam ecclesiae et monasterii structura attigit perfectionem, immanis christiani noninis inimicus Turca, Tartarorum maxime copiis adiutus, anno 1683, dum cornu uum ex Hungaria versus Austriae plagas iactitaret, ex insperato in urbem irruens, rimo constructum claustrum flammis tradidit ac una cum tota civitate horrende levastavit, conflagravit. In hac barbarorum invasione ex incolis et accolis, qui a onterminis locis huc venerant, circa octo hominum millia aut crudelissime trucilata, aut miserrime in captivitatem abducta fuere. In nostro dumtaxat conventu barbari ultra trecentos necarunt, ita quod pavimenta ambituum, refectorii et officinarum ubique sanguineruberent, immo per scalas occisorum cruor copiosissime deflueret. Gladio impiorum ex nostris (reliquis opportunam fugam arripientibus) perempti sunt: pater Illuminatus Hölscher, fratres Liberatus André, laicus coquus, et Albanus Stumpf, itidem laicus et pictor. Reverendus p. Christophorus Sibenhenner, concionator actualis, pater Thomas Sablitsch et fr. Humilis Lang, pedibus manibusque ligati in captivitatem rapti sunt. Pater Christophorus (ultimis duobus post solutam obsidionem Viennensem domini de Kuniz, caesarei in castris turcicis residentis, ope et aere redemptis) ceteris opere et sermone longe potentior, dum concaptivos pro amore Christi ad tolerantiam et constantiam zeloseque hortaretur, primum ludibrio verberibusque multis illusus et sauciatus, sub itinere a barbara Tartarorum manu in partes sectus et divisus est. Erat is singularis zeli et vitae integritatis, omnibus diebus vitae suae ieiuniis et devotioni deditus, corpus suum castigans et in servitutem redigens.

Novennio post elapso, auxiliante Deo et diversorum benefactorum adstipulante gratia, non obstantibus calamitosis ubique belli temporibus, conventus cum ecclesia a bustis surrexit, ac pristinae suae, quantum fieri licuit, integritati ita restitutus est, quod anno 1692 hoc in loco primus guardianus institutus fuerit p. Sigismundus Pisl, eidemque pro familia 12 fratres designati.

Ecclesia, cuius dedicationis festum s. Ioannis Baptistae sequente dominica cele-bratur, s. matris Annae patrocinio gloriatur, eiusque honoribus suprema ara anno 171 noviter erecta conspicitur; praeter eam ex cornu dextero b. Virginis, ex cornu alter s. p. n. Francisci ara visitur; adnexum his insigne sacellum, sumptibus illustrissim d. Iacobi com. de Lewenburg constructum, s. Antonio Paduano sacrum est, altar vero praeclarum pietatis opus illustrissimi d. com. Francisci Antonii de Traun e Abensperg etc.; e huius regione aliud altariolum in honorem itidem b. Virginis ac-cessit ex beneficentia d. Ioachimi l. b. de Aichen etc., sua speciositate decorum Templum una cum quatuor ante memoratis altaribus consecravit celsissimus prin-ceps et episcopus Passaviensis d. Iosephus Dominicus e com. de Lamberg anno Do-mini 1725. Confraternitas s. Patris n. anno 1694 instituta praescriptis diebus dominici magna cum incolarum et exterorum devotione frequentatur.

Claustrum hoc in forma quadrangulari assurgit, in suo bene ordinato dormitori 22 religiosos incolas numerans, qui pura et quotidiana eleemosyna victitantes, tum ab incolis, tum vicinis locis mirabili caritate subsidia vitaeque necessaria benedi-cente Domino accipiunt; fratres, ut spirituali labore temporalia beneficia rependant sua obsequia in cathedra et sacro tribunali per convicina loca, etiam transdanubia-lia ultro deferunt. Spectatur supra interiorem claustri ianuam pendens sculpta Cru-cifixi imago, a Turcis anno 1683 huc irruentibus sacrilege concisa et lacerata, sicu binis in locis huius monasterii rubeae visuntur effusi christiani cruoris maculae, ne in hodiernum usque diem delebiles; inde non immerito conventus hic, plurimorum christianorum fratrumque nostrorum sanguine irriguus, inter reliquos aestimation dignior est. Redditur praeterea toti Provinciae utilior ex praeclara pannificii fabrica quae anno 1696 a r. p. Francisco Caccia erecta, pannum a nostris, etiam aliorum adiutorio, confectum pro vestiendis Provinciae totius fratribus abunde subministrat Hortus, in cuius extremitate praedicta fabrica cernitur, situs iucunditate, arborum umbra florumque varietate deliciosus ac peramplus est, in suo circuitu 358 orgya germanicas continens.

Sigillum conventus tutelarem suam s. matrem Annam cum beatissima filia seden-tem exprimit, circumscribens sequentes litteras: SIG. CONV. HAINBURGENSIS ORD MIN. S. FRANC. 1692.

CAPUT XXV.

§ 1.

Conventus Lanzendorffensis in Austria ad b. Virginem dolorosam. De loco Lanzendorffensi.

Locus Lanzendorff, a quo in paucis dissitus est noster conventus, ceteroqui sua circumferentia et spectabilitate modicus, plurimum, si referentium fidei innita-mur, antiquitate nobilis est. Arbitrantur enim nonnulli ex Dione, Eutropio, Lazzi aliisque historicis eundem iam saeculo primo post Christum natum innotuisse; aedi-culam vero b. Virginis (ubi iam templum pp. Franciscanorum exstat) sub Marco Aurelio Antonino imperatore constructam adeoque unam ex tribus primis per Au

striam sacellis numeratam fuisse. Aiunt namque, postquam imperator adversus Marcomannos victor summa aquae penuria una cum suo exercitu laborasset, ac christianae duodecimae legionis ope et precibus sitim dulci aqua scatente explevisset, quod sicut alibi, ita et hoc in loco christicolis struendi sacelli facultatem concesserit. Ast sinimus hosce scriptores in suas abire sententias; verisimilius videtur, dictam B. Virginis aediculam ante millenos et plures annos locis vicinis notissimam, immo ob gratias in peregrinantes non vulgariter dispensatas maxime celebrem extitisse, cum ecclesiae Brunnensis (altera solum hora hoc loco semotae) sumptuum ratiocinium de anno 905 expensas commemoret a Philippo Auer pro processione Lanzendorffium instituta impensas. Sit igitur sua antiquitas huic gratioso loco. Iam de pago eiusque situ. Lanzendorffium in binas dividitur partes, inferiorem et superiorem; ambae cum adnexa arce tributum pendunt L. baroni de Kirchberg. Regio, quae hunc locum ambit, omnino praeclara est, frumenti ferax, plena colonis, oppidis, arcibus etc., aquis irrigua, humida cum iucundissima circumquaque planitie; Vienna sicut et Enzerstorffio, ubi quoque fratrum nostrorum est claustrum, altera solum hora, a sua paroecia autem Laahensi, s. Aegidio abbati dedicata, quinque circiter stadiis distat. Supremam in hunc locum omnemque viciniam pastoritiam exercet curam celsissimus s. r. i. princeps et archiepiscopus Viennensis.

§ 2.

De ecclesiae et domicilii fratrum nostrorum initiis.

Ab immemorabili iam tempore Dei beneplacitum fuit, ter singularibus gratiarum suarum donis irradiare et sanctitatis localis fama illustrem reddere pervetustam in dioecesi Viennensi situatam ecclesiolam, a pagis Lanzendorffensibus, quibus gratiosus locus interiacet, nomen imbibentem. In hac sculpta dolorosae Matris Mariae mortuum Filium gremio gestantis imago omnibus tum e vicinia, tum remotioribus etiam locis eam invisentibus peregrinis (Deiparae apud dilectum Filium suum virgineo inveniente suffragio) copiosos non minus quam supernaturales favores cum tanta exhibuit largitate, quod fideles non sparsim duntaxat aut catervatim, sed numerosa etiam cum processione annuatim comparare consueverint, a variis dein calamitatibus liberati, praecipue vero ab anno 1679, pestis Viennensis gravissime saevientis tempore, postquam ex nimia peregrinantium multitudine et percrebrescente gratiarum supernaturalium hic dispensatarum fama maius indies in has sacras aedes devotio sumpsit incrementum. Messis igitur in agro dominico plurima, operarii vero, qui devotis peregrinis vel sacrificando, vel confessiones excipiendo, vel verbum Dei praedicando facerent satis, praeter reverendum d. Petrum Walterum, parochum Laahensem, admodum pauci. Quare conterminorum locorum communitates, frequentius gratiosam et dolorosam Virginem Lanzendorffensem visitantes, ut in peregrinantium diu desideratum solamen fratres nostri pro religioso domicilio locum hunc a caesare postularent, non semel ferventius institerunt. Prae reliquis pias coram pientissimo imperatore Leopoldo I. preces lunato poplite porrexit perillustris d. Christianus Daniel de Pännitz, dicti gratiosi sacelli et fundi Lanzendorffensis dominus, quas, ne laudem propriam ventilemus, melius reticemus. Demum superatis quibuscunque in contrarium motis difficultatibus, sub dato 4 Novembris anno 1696 augustissimus terrae

princeps gratiosissimum praestitit supplicibus consensum, eumque imperatoria sua dextera, dum secretioribus interesset consiliis, clementissime ipse expressit, qui proin r. p. Francisco Caccia, tunc Provinciae ministro, per excelsum inferioris Austriae regimen intimatus fuit cum singulari plurimorum applausu, Viennensis etiam primae nobilitatis aggratulatione. Atque ita accedente quoque celsissimi principis Francisci Ernesti e com. de Trautsohn, episcopi Viennensis, facultate, die 21 Novembris in festo Praesentationis b. Virginis anno praedicto in gratiosi huius loci, spectante plurima nobilium copia, possessionem missi sumus.

Post emensuratum biennium augustissimo caesare iubente, ut sanctuarium b. Virginis et tantarum gratiarum thronus sua prima vetustate decorus non dirueretur, sed intactus remaneret, claustro primum, non ecclesiae struendae, fundamenta data sunt die 28 Aprilis anno 1699. Fundum a praefato d. de Pännitz ample designatum, quatenus tam conventus quam hortus fratrum spatiosior evaderet, plurimum ampliavit ill.ma eius consors d. Maria Barbara nata Brassicanin, agrum donans orgyas in longitudine 68, in latitudine 80 habentem.

Devotissimus in hunc locum imperator, postquam aedilis novae ecclesiae delineationem gratiosissime ratihabuisset, pro ponendo fundamentali lapide suam augustissimam praesentiam spopondit, ac pro solemni hac functione 15 Septembris seu octavam natae Virginis deputavit. Die igitur praedicta anno 1699 augustissimus caesar, augustissima eius conthoralis Magdalena Theresia, rex Romanorum Iosephus, serenissimus archidux Carolus cum archiducissis et ingenti procerum aulicorum comitatu, nec non reverendissimo principe et episcopo Viennensi sacellum b. Virginis dolorosae adsalutant, et post missarum solemnia omnes sese ad praeparatum (ubi nunc turris et maior ecclesiae introitus spectatur) recipiunt locum. Ubi praevie dicta et in laudem caesaris ac totius serenissimae domus Austriacae perorata panegyri a r. p. Wolfgango Ploïkner, provinciali ministro, ipse augustissimus sacratis suis manibus primum lapidem cum reliquiis et numismate aureo coram innumerabili populi multitudine in fundamenta dignatus est collocare, quem in sacra hac functione mox sequebantur augustus Romanorum rex, serenissimus archidux et reverendissimus d. episcopus Viennensis; dum quivis eorum ad augustissimi exemplar lapidi calcem imponendo et caementum, more consueto, tres cum malleo ictus dedit. Queis solemniter absolutis caeremoniis, caesari ceterisque maiestatibus placuit hic, non obstante loci incommoditate, prandium sumere pauperesque fratres ferculis recreare caesareis, ea cum largitate, quod et alii egeni ac mendici ea die saturati fuerint nimis.

Gloriosis adeo iactis novae ecclesiae fundamentis, pro eius promovenda structura viribus omnibus laboratum est; nec Dei admiranda desursum benedictio defuit, siquidem vix dies transiit, quo non largius data ab ignotis etiam benefactoribus offertoria fierent, et ipsa augustissimi caesaris clementia 5000 Rhenenses gratiosissime contribuit. Ecclesia cum claustro, septennio vix completo, cupitam structurae suae coronidem attigit ad plurimorum sibi ac nobis applaudentium satisfactionem. Quod templi faciem attinet, haec modesto suo nitore omnino splendida est, longa, lata, luminosa; per gyrum ss. duodecim Apostolorum figuris opere statuario elaboratis auroque tectis illustrata; chorus fratrum peramplus supra ecclesiae portam maiorem duabus marmoreis innititur columnis. Praeter sacellum gratiosum primis suis fundamentis innixum (quod elegantius renovari et aram suis sumptibus fieri fecit celsis-

simus princeps et d. Paulus Esterhazi, regni Hungariae palatinus anno 1701) numerat aras ex utroque latere sequentes: primam s. Crucis, secundam s. Sebastiani m., tertiam agonizantis in cruce Salvatoris, quartam s. Annae, quintam b. Virginis sine labe conceptae, sextam ss. Christi familiae. Anno 1702 illustrissimus d. Iacobus com. a Lewenburg, aulicae camerae consiliarius, Marianae aediculae frontispicium nitidissimo per totum marmore vestiri, columnis, harumque apici marmoreas itidem statuas ss. Salvatoris et ss. Petri et Pauli apostolorum imponi curavit ad singularem totius ecclesiae splendorem. Templum una cum suis altaribus, sublatis portatilibus, dolorosissimae Matris honoribus et s. Francisci seraphici nomini consuetis ecclesiae ritibus die 24 Aprilis anno 1703 consecravit celsissimus princeps et d. Franciscus Antonius e comitis de Harrach, episcopus Viennensis, qui ut haecce consecrationis solemnia dominica tertia post pascha annua cum solemnitate recurrerent, ordinavit.

Ecclesia, tametsi a suis initiis sat ampla foret, quia tamen ob indies accrescentem peregrinantium numerum, diebus praecipue solemnioribus et virgineae Dei Matri dedicatis, ea minime capax erat copiosissime praesentem claudere plebem, ad satisfaciendum plurimorum benefactorum desideriis denuo ampliata, novum sacrarium cum tribus aris ac speciosa in altum surgente testudine constructum est; iacto die 18 Augusti 1727 primo in fundamenta lapide a r. p. Crescentio Krisper, Provinciae ministro, ingentem prae ceteris ad ampliandum dolorosae Matris domum et cultum operam impendente, plurimam curam ac sollicitudinem. Ad singularem itaque loci gratiosi decorem iam in medio ecclesiae navis conspicitur Virginis dolorosae sacellum velut palladium quoddam, seu ad modum aedium Portiunculanarum; post quod maximae amplitudinis cernitur sacrarium tribus affabre elaboratis aris spectabile, ara nimirum maxima et duabus lateralibus. Summa ara in sui medio agoniam Redemptoris nostri in monte Oliveti ad Patrem orantis exhibet, praeclarum opus d. Ioannis Michaelis Rottmayr, per magnificentiores Austriae ecclesias laudatissimi Apellis, qui etiam penes altarium lateralium s. Francisci et s. Antonii imagines praegrandem ampliati templi testudinem, scitissimo suo penicillo artifice, nobili pictura illustrem reddidit, Patris aeterni decretum de Verbo incarnando basilice exprimentem. Aris recenter erectis anno 1731 consecrationis beneficium impetravit eminentissimus s. r. i. princeps et s. r. e. cardinalis Sigismundus e com. de Kollonitsch, archiepiscopus Viennensis. In mox memoratis altaribus lateralibus lypsana s. Theodori m. et s. Iustinae virg., arcis bene deauratis clausa, singulari fidelium pietate coluntur. Ecclesiae totius pavimentum lapidibus mere quadris stratum est variis benefactorum sumptibus, praecipue excellentissimi d. Philippi com. a Sinzendorff, s. c. m. supremi aulae cancellarii etc. In inferioris templi parte crypta spectatur, in meros loculos bene muratos distributa, tum fratrum tum saecularium exuvias recipiendi capacissima, eam impendiis suis quasi potioribus condi fecerunt anno 1729 d. Carolus Stumer oppidanus, Himbergae iudex, eiusque dilecta consors, quatenus et hi post obitum in ea inter fratres, quorum per plurimos annos parentes spirituales egerunt, suis gauderent conditoriis. Primum huic cryptae illati sunt nobilissimi cineres celsissimae principissae Evae de Estorhas, natae comitissae de Toeckeli, huius ecclesiae munificentissimae benefactricis et conventus nostri Puppingani fundatricis, quae, postquam Viennae die 21 Augusti anno 1716 diem inter mortales habuisset ultimam, in his sacris aedibus, prout vivens ordinaverat, sibi tumulum elegit. Nobilissime

a cornu sinistro ecclesiae erectus lapis mortualis penes amplum marmori incisum epitaphium statuis ac figuris varie exornatum, tumuli locum indigitat sequentibus verbis: HIC EVa EstorhasIn reqVIesCIt In DoMIno.

Gazophylacium sacristiae adiectum plurima ex gemmis, auro, argento etc. pretiosissima exhibet visenda donaria, vel recuperatae vel in periculis mire conservatae valetudinis, aut specialius obtentarum gratiarum instrumenta b. Virgini dolorosae a fidelibus pientissime oblata. Sacra vasa, sumptuosas subtilissimo etiam acu textas vestes et aliam pro ornatu gratiosae imaginis eiusdem arae, pontificum, sacerdotum etc. supellectilem, brevitati studentes, missa facimus. Retinet praeter alias minores ss. reliquias sacratissimam s. Crucis particulam, item de s. columna Christi, de spina eiusdem coronae: item de crinibus b. Virginis etc., quae singillatim crystallo teguntur. Solet in locum gratiosum ad b. Virginem, certissimum in omni calamitate asylum, omnis non solum convicinorum, sed et remotiorum pietas conspirare, nunquam aut spe aut voto frustrata: beneficiorum copiosissime impetratorum fidem plenissimam faciunt mille et mille anathemata ac tabulae ad ecclesiae parietes et columnas palam appensae. Subin per annum circa centum processiones huc ad Matrem gratiarum confluentes numeratae sunt; hinc in sacro poenitentiae tribunali et ad aras fratribus nostris occupatio continua, labor indefessus. Placuit communicantium numerum diligentius per singulos annos annotatum hic apponere.

Anno 1720 circa	85000.
1721	83000.
1722	82800.
1723	90000.
1724	77100.
1725	87000.
1726	94700.
1727	85500.
1728	61100.
1729	87000.
1730	67300.
1731	83300.

Venerationem et amorem in hunc sacrum Matris dolorosae locum ipsae quoque sacrae caesareae maiestates testantur, quae verno tempore Laxenburgo, dum vernalibus voluptatibus fruuntur, saepius, praecipue diebus sabbatinis, huc venire, sacrae arae advolvere, incruento missae sacrificio interesse, propitium Numen eiusque divinam Matrem deprecari pientissime sunt assuetae, augustissimorum maiorum suorum exemplar sequentes, qui sacratissimis suis praesentiis sacras Virginis aedes frequentius honorare in magnis deliciis habuere.

Nitidam interioris templi pulcritudinem exterior quoque facies praemonstrat: nam per eius gyrum diversi statuario opere duro ex lapide sculpti sancti spectantur, quasi, quot statuae, tot gratiosi huius loci excubitores. Inter has duae supereminent columnae, immaculatae Conceptionis una, secunda s. Iosephi; quarum prior e regione portae maioris, altera ad latus dexterum conspicitur. Praeter ingressum maiorem ecclesia duos alios minores laterales consequenter exhibet, omnes tres, ut

spatium numerositati peregrinorum magis corresponderet, nunc plurimum forinsecus ampliati sunt. Supra templi frontispicium binae in altum turres assurgunt, in quibus quinque numerantur campanae, praeclaro suo sono vocales. Horologium, in turrium medio situatum, peregrinis ad intra et extra ecclesiam devotis horas singulas indigitat, sonum vero etiam in fratrum dormitorio edit adeo accuratum, ut fratres aut diurno aut nocturno tempore divinis interesse queant attentius.

Sicut pro Dei Matre dolorosa, ita eius divinissimo Filio patienti structuram excitare opportunum iudicabatur, quatenus hinc Matris, illinc Filii dolores devoti peregrini meditandi ac plangendi peropportunam nanciscerentur occasionem. Unde anno 1699 mons Calvariae, in ordinatas cavernas distributus, pro invisendis dominicae Passionis mysteriis artificiose erectus est, inventorem et architectum non vulgarem agente nostro fratre Felice Niring; sumptus praecipuos munificentia solvit reverendissimi d. Sigismundi e com. a Kollonitsch, tunc episcopi Vaciensis, nunc archiepiscopi Viennensis, et domini Pauli Secsenyi, archiepiscopi Collocensis etc. Visitantur in hoc sacro monte omnia ferme patientis Salvatoris mysteria seu stationes Ierosolymitanae, plurimis pontificum ditatae indulgentiis; sacella in eodem sex, quorum arae duntaxat tres consecratae sunt, spectantur. Sacromysterioso huic monti a dextris adnexa est scala sancta cum consecrato sacello, ad quod more solito flexis scanditur genibus; gradus marmorei raro, nisi turbulentum prohibeat caelum, a devote scandentibus remanent vacui, quoniam praeter lucrandas ex ecclesiae thesauris indulgentias, permultae hic sanctorum clauduntur reliquiae.

Sodalitium s. p. n. Francisci ante triginta annos erectum menstruatim magna sodalium pietate frequentatur; sicut et *s. via crucis* novissime in gratioso hoc loco ordinata.

Monasterium Lanzendorffense per quadrangulum in suos spatiosos et lucidos ambitus, inferiorem videlicet et superiorem contignationem, distinguitur. Ambitus superiores passionis dominicae, inferiores ss. et bb. ordinis imaginibus praeclare illustrantur. Habitacula tum pro inquilinis tum pro exteris bona cum aptitudine sunt disposita, et fratres, qui Deo et Matri dolorosae hic famulantur, triginta quinque, subinde etiam plures, numerantur. Officinis gaudet plurimis, sicut et bibliotheca speciosa, pluribus voluminibus ss. patrum aliorumque auctorum operibus locupletata; sicut et pharmacopaea ad aegrotantium fratrum solatium commodissima et necessariis medicaminibus bene instructa. Hortus duplex, duplici fonte irrigatus, visu amoenissimus ac pro ambulacro deliciosissimus est, facile conventuum omnium viridaria antecellens amplitudine, spatiositate, iucunditate. Fratres ex hoc loco plurimos fructus faciunt in vinea Domini; praeterquam enim quod domesticus labor his continuus sit in sacro poenitentiae tribunali, verbi Dei pabulum esurientibus festivis ac dominicis diebus et in ecclesia propria et exteris parochialibus Achaviae, Föllingae et Inzerstorffii dispensant; item christiana doctrina turbam pusillam imbuunt. Anno 1713, dum lues contagiosa per hanc viciniam saeviret, sex patres in infectorum solatium sua officia praestiterunt, inter quos duo, hausto in confessionali veneno, pie in Domino obierunt, reliqui vero pestis luem quidem senserunt, ast divina et Matris dolorosae gratiosa ope mortis aculeum felices evaserunt.

Sigillum conventus imaginem dolorosae Virginis, mortuum Unigenitum gremio gestantem et sub throno inter duas columnas sedentem complectitur, per gyrum vero sequentibus ornatur litteris: SIGIL. CONVENT. FRANCISCAN. LANZENDORF. 1697.

CAPUT XXVI.

§ 1.

Conventus sanctimonialium ordinis s. m. Clarae Iudenburgi in Styria, ad b. Virginem in Paradiso nuncupatus.

Sanctimonialium clarissarum coenobium Iudenburgi seu Hebraeopoli in superiori Styria, ab urbe huius nominis vix mediae horae spatio remotum, radici montis, cui dicta urbs innititur, ex una, ex altera parte Murrhae praeterfluentis ripae vicinum est, non tam ob aurae salubritatem, pratorum, sylvarum etc. amoenitatem, quam ob peculiarem erga aeterni Verbi Matrem (quae causa est omnis laetitiae) affectum communi vocabulo in Paradiso appellatum. Sumpsit beata sua initia, s. Clara, pauperum virginum fundatrice inclyta, adhuc in vivis existente; etenim, ut coeptum a se Assisii in Umbria institutum in alias quoque regiones velut foecunda parens disseminaret, circa annum 1221 quasdam sorores ceu novas plantulas in Germaniam sicque in hunc Styriae superioris locum transtulit. Chartophylacium provinciae in pervetusto quopiam manuscripto refert pauperum sororum, reclusarum dictarum, ecclesiam sat angustam anno 1222 consecrationis beneficium obtinuisse; ex quo eruitur, has sedem Iudenburgi iam tunc fixam habuisse, non quidem claustrum, sed domum clausam incolentes. Verum Iudenburgensis cuiusdam civis, nomine Henrici, insignis pietas non tulit longius has ordinato monasterio carere, proinde is eiusque consors Gisla, ambo aere potentes, praeclara pro construendo formali claustro subsidia contribuerunt, quod obinde fundatorum primaevorum sibi merito titulum vendicent usque in praesens. Primordia structurae claustralis data sunt anno 1257. Priori vero anno, quatenus ad normam s. fundatricis omnia tam quoad muros quam ad mores omnium ordinate fierent, duae discipulae s. Clarae (quae post quadraginta duorum annorum beatissimum regimen anno 1253 Assisii obiit) soror Benedicta nomine cum alia (nomen ignoratur) ex s. Damiano, s. institutricis coenobio, Iudenburgum vocata fuit, post quadriennale regimen, sacris virtutum seminibus novellis plantulis copiose relictis, Assisium reversa. Innocentius Papa IV. sub dato Anagniae anno 1254 sorores Iudenburgenses Provinciae ministro subiecit easque per modum incorporationis participes reddidit omnium privilegiorum sororibus s. Clarae ad s. Damianum concessorum.

Iniuriae, temporum calamitates, Turcarum invasiones ac saeviens saepius contagio, quae bis quasi omnes ad unam delevit sorores, eas aliquando dioecesanae potestati ac iurisdictioni transcripsit, donec tandem Martinus episcopus Seccoviensis, per patens instrumentum sub dato Leibnizii anno 1598, claustrum cum religiosis incolis ordini et Provinciae nostrae superiorum regimini restituit. Cum perversissima Lutheri dogmata per has oras liberius grassarentur, ac ob invalescentem haereticorum furorem omnem virginum susceptionem dissuaderent, pristinus observantiae regularis candor ex pauco sanctimonialium numero non parum obnubilari coepit; quare intervenientibus serenissimae Mariannae, archiducissae Austriae, precibus, Paulus V. pont. max. per litteras eminentissimi cardinalis Burghesii die 3 Octobris anno 1609 Roma

datas indulsit, ut duae moniales, quas chorales vocant, ex regia Viennensi s. Clarae Parthenone Iudenburgum sese transferre audeant, ac pristinas claustrales constitutiones rigorosius observari faciant, denique una earum abbatissae officio fungi possit et valeat. Deputata ergo ex dicto regio monasterio soror Anna Reselmayrin, pietate, prudentia, virtutibus conspicua, mirum relatu est, quanta cum spiritus alacritate reformationis opus inceperit, feliciter adeo afflante desursum gratia prosecuta, quod devotae filiae, aliunde in pietatem inclinatae, magistram et doctricem suam in omnibus obedienter imitantes, post paucorum annorum intervallum ita in virtutibus ac moribus profecerint, quod aliquae illarum pro occupando monialium claustro, ad omnes sanctos Graecii ab archiducissa Maria anno 1603 fundato, una cum aliis ex Bavaria vocatis pro religiosis illius structurae inquilinis assumptae fuerint. Venerabilis mater Anna, zelosa reformatrix, qua digna superior conventui huic per viginti quasi annos fructuosissime praefuit et profuit, sexies in abbatissam reelecta, quae, copiose sibi coram Deo et hominibus cumulatis meritis, immarcescibili in caelis corona iam decoranda, non sine sanctitatis opinione 21 Aprilis anno 1630, lacrymantibus devotis filiabus et subditis, e vivis sublata est. Corpus eiusdem post quinquennium, cum vetus claustrum ruinae proximum reaedificaretur, effossum, mirum spargens odorem, incorruptum, flexibile et cum permutatione candidi coloris in rubrum palpabile ad omnium demirationem repertum fuit.

Vetustate sua vitium non modicum faciente veteri templo et claustri fabrica, per annos plures cogitatum est de utroque a ruinis vindicando; tandem reverendissimus d. Antonius de Pozzi, praepositus Seccoviensis canoniae ordinis s. Augustini canonicorum regularium, humillimis requisitus sacrarum virginum precibus, munifica cum largitate sese mecaenatem obtulit, ac ecclesiam cum turri funditus erigi, conventus vero tractum maiorem propriis iisque permagnis impendiis reparari curavit anno 1636. Sumptus reliquos pro nova claustri structura integre perficienda partim piorum fidelium beneficentia, partim ipsarum sanctimonialium contributio solvit. Anno subsequo in festo s. Nicolai episcopi templum sacris honoribus assumptae in caelum Virginis solemnibus ecclesiae ritibus dedicatum est, sacram consecrationis functionem peragente reverendissimo d. et principe Marco ab Altringen, episcopo Seccoviensi, qui eodem sole tria quoque in eo consecravit altaria: summum sub patrocinio gloriosissimae Virginis, alterum ex cornu evangelii in honorem s. Francisci seraphici, tertium ex cornu epistolae s. Clarae v. dedicando. Patrocinium in festo assumptae ad aethereos thalamos Virginis, dedicatio vero tertia paschalis feria celebratur. Templum non nimis amplum, magis tamen lucidum est, solidioribus innixum fundamentis, in huius medio ante sacrarii supremitatem pendula conspicitur crux, sculptorio opere facta, atque in varia loculamenta distincta, praeter particulam s. Crucis Christi plurimas alias vitro tectas in se complectitur ss. reliquias: coram qua s. Cruce (omni tempore thesauri loco existimanda) quaevis fidelis anima quinque *Pater* et *Ave* orans 40 annorum recipit indulgentias. Altare maius anno 1727 variorum benefactorum aere erectum ad singulare ecclesiae est ornamentum. Turris ex lapide durissimo in altum exsurgit, lamina candida per totum tecta; quinque continens campanas insignitas nominibus: s. Laurentii m.; s. Iustinae v.; s. Iosephi sponsi b. Virginis; s. Clarae v. et s. Antonii Paduani.

Quod claustri attinet fabricam, ea in perfecti quadri forma est duplici contignatione ac dormitorio spectabilis; ubi penes copiosas officinas bene ordinatas, infirmariam,

pharmocopaeam et sacristiam, quinquaginta et plura reperiuntur sororum habitacula. Viridarium minime amplum, piarum inquilinarum tamen solatiis sat opportunum ac deliciosum est. Sicut ecclesiae singulare decus ex ss. reliquiis in veneranda Christi crucifixi imagine repositis adiicitur, ita non minus claustrum intra sepes sua decora habet; siquidem praeter ss. reliquias minores servat caput integrum s. Triphoniae v. et m.; item de brachio s. Annae matris b. Virginis; brachium itidem ex sociis s. Mauritii, mm.; et brachium ex sociabus s. Ursulae v. et m. Visitantur etiam 7 altaria, scala sancta, ss. reliquiis ditata, et *via crucis* devotissime constructa, mera pietatis loca et virtutis ampliandae incitamenta, omnes illas pontificia largitate dispensante indulgentias, quas Romae septem Urbis ecclesiae et sancta sanctorum vel Ierosolymis terrae s. loca, pretiosissimo Redemptoris sanguine irrigita, profuse largiuntur. Asservatur praeterea in quodam sacello affabilis Deiparae Virginis imago, (an ex terra cocta, ignoratur) olim ante infausta Lutheri tempora publicae venerationi exposita ac populosis etiam processionibus celebratissima. In hoc sanctimonialium claustro, ab omni saeculi tumultu remoto, iam triginta novem Deo sacratae virgines degunt, quae mundi exosae vanitates sedularum ad instar apum in religiosissimo hoc alveario mel omnis pietatis et virtutis indefesse colligunt, ac ardentibus amoris affectibus suaviori cum psalmodia laudes sponso suo Iesu Christo decantant, eidem diu noctuque voces, corda, opera, vota reddentes.

Huic sanctimonialium asceterio immediate contigua est residentia fratrum, quorum quinque eam constanter incolunt: praesidens, qui extraordinarium, alter qui ordinarium agit monialium confessarium; tertius sacerdos, qui tum festivis tum dominicis diebus conciones perficit; quartus itidem sacerdos in obsequium altaris; quintus laicus sacrista et vigil sacri apparatus custos.

Sigillum maius et abbatissae in sui medio imaginem b. Virginis stantis exhibet, et per circuitum legitur: SIG. ABBATISS. MONAST. ORD. S. CLARAE DE ASSIS. IN IUDENBURG. 1254. Aliud minus conventus sigillum, quod sedentem inter radios Dei Matrem coronatam, in dextera s. Prolem, in sinistra sceptrum tenentem exprimit, nullam per gyrum habet inscriptionem.

§ 2.

Conventus sanctimonialium Viennae Austriae ad s. Nicolaum.

Praesens sanctimonialium clarissarum asceterium, uti iam supra de initiis nostri conventus ad s. Hieronymum innuimus, a fratribus post relictos s. Ruperti lares inhabitatum fuit ab anno 1545 usque ad annum 1589. Subin per octodecim annos iussu magistratus Viennensis locus hic abiit in orphanotrophium puellarum parentibus orbatarum et honeste educandarum. His ad xenodochium caesareum penes monasterium rr. pp. conventualium Ferdinandi II. imp. auctoritate translatis, sanctimoniales ordinis s. Clarae Posonio ex Hungaria in has aedes successere. Siquidem Anna Eleonora, pientissima imperatrix, nata princeps de Mantua etc., sollicite ponderans suarum monialium Posoniensium calamitates, maxime ex rebellantis contra regem suum populi Hungarici saevitie continuo subortas, easque tertia iam vice ex religiosa sua statione propulsas et ob grassantes Lutheri ac Calvini haereses saepius non abs graviori vitae animarumque discrimine transfugas egisse; misericordia materna super

eas mota, augustissimo caesari facillime suasit, quatenus tantis miseriis oppressae ac tot terroribus concussae sorores, in tertium iam annum Viennae in caesareo stabulo morantes, optatae stabilitatis locum obtinerent. Illustrissimus d. Adolphus com. ab Althann, ordinis militiae christianae fundator, et Elisabetha nata de Stozingen, eius conthoralis, pro triginta tribus sororibus (tot enim erant Posonio exules) monanasterium fundare atque in hunc finem aulam cum sacello s. Annae (modo domus probationis est rr. pp. societatis IESU) his tradere resolvit. Augustissima autem, eo quod magis opportunum crederet, ob fratrum nostrorum e regione ad s. Hieronymum degentium vicinitatem et inde facilius praestanda spiritualia obsequia, s. Nicolai tempellum cum adnexis aedibus clementissimi imperatoris consensu pro monialium domicilio designavit. Igitur 3 Octobris anno 1623 sorores clarissae, Urbani IV. regulam clausurae strictioris professae, numero 15 (reliquis Posonium remigrantibus) per a. r. p. Hieronymum Strasser, nostrum tunc per Germaniam commissarium generalem, ad hunc s. Nicolai locum introductae sunt, ab imperatrice in honorem sacrorum quinque vulnerum Christi munificentissime fundatae, eiusque qua piae genitricis, qua protectricis clementissimum affectum maxima cum propensione sentientes. Postquam, mandante imperatore Ferdinando II., die 24 Februarii anno 1624 praefatae sorores Provinciae Austriacae patribus horumve curae spirituali subiectae fuissent, primam loci praesidentem, postea abbatissam, egit venerabilis mater Maria Magdalena Englin Austriaca, pietate, virtutibus, gratia regiminis huic monasteris adeo proficua, quod per consuetas singulo triennio electiones septies in abbatissam reassumpta, sorores viginti annis laudatissime gubernaverit, die 22 Augusti anno 1643 officio et vitae coronidem imponendo.

Quoniam monasterium iam ruinis proximum et magna ex parte asseribus solum munitum erat, nec plenam eiusdem reparationem belli tempora et Hungarorum tumultus permitterent; quatenus maxime ruinosis partibus, utut fieri possit, in tempore subveniretur, eas per illas dumtaxat partes reparari coeperunt, et ipsaemet sorores lapides, arenam, tegulas etc. propriis manibus portare ac operarios sublevare minime sunt gravatae. Anno 1652 quaedam in Hungaria metalli fodinae, singularibus caeli repletae benedictionibus (tunc ipsis sororibus propriae), demum pro reparando quodammodo monasterio, integre construendo templo, tum eiusdem, tum claustri sacristia et choro abundantiora subministrarunt media. Perfecta ecclesiae fabrica, eandem die 9 Novembris anno 1653 reverendissimus s. r. i. princeps et episcopus Viennensis, d. Philippus Fridericus e com. de Breüner consuetis ritibus dedicavit s. Nicolai Myrensis et Lyciae metropolitani episcopi honoribus; cuius dies anniversaria dominica post octavam omnium Sanctorum hodiedum celebratur. Eadem sacra functione tres in turri cupro tecta pendulas campanas benedixit, maiorem s. ecclesiae patrono, alteram s. Clarae v., tertiam Redemptori nostro mancipando. Hoc s. Nicolai fanum, quod crates ferreae per medium secant, etsi minus spatiosum, magis tamen devotum actu quinque altaria ornant: primum et maius loci tutelari, secundum b. Virgini Mariae, tertium s. Francisco seraphico, quartum itidem b. Virgini maiori, quintum s. Iosepho agonizanti sacrum est; singula per reverendiss. s. r. i. principem et archiepiscopum Viennensem e com. de Kollonitsch anno 1716 consecrata sunt. Praeter marmori inserta illustrium familiarum epitaphia visitur quoque grandis s. Ioannis Nepomuceni m. statua, ex argento purissimo pretiose fusa, et a nobili d. de Guarient, aulico-bellici referendario, post acceptum huius sancti patrocinio a Deo beneficium, voti causa huic ecclesiae illata.

Virgineum hoc asceterium, quod maiorem indies ruinam minabatur, secundum imminentium necessitatum exigentiam, tandem etiam per partes et ob monialium inopiam diversis temporibus reparari, restaurari ac plurimis in locis novis quoque fabricis firmari coepit. Et quidem anno 1668 fundamenta cum sororum valetudinario harum impendiis; anno 1679 refectorium et adiectus ambitus augustissimi Leopoldi I. imp. munificentia; anno 1690 domus novitiatus cum contiguo tractu aere alieno; anno 1706 sororum Mariae Iosephae, natae com. de Gavrian et Annae Rosaliae natae com. de Losenstein portionibus haereditariis, ex matre et fratre sibi obvenientibus, residua claustri structura, a ruinis plene vindicata et non tam reparata, quam noviter erecta fuit. Maiorem itaque firmitatem ac meliorem formam induens omnis monasterii fabrica, dormitorium dumtaxat monialium sua vetustate et miseranda facie (quoniam cellae sororum asseribus tantum distinctae, nec ianuis, minus caminis provisae erant) ad intra vile remansit ac contemptibile; quare ne in refectorio calefacto, ut antea rigidiori hyemis tempore fieri debuit, decumbant posthac moniales, anno 1717 d. Ioannes David de Palm, s. c. m. intimus deputationis referendarius et duarum in hoc claustro sororum dilectissimus genitor, nova eaque fortiora fundamenta poni, dormitorium in quadraginta bene ordinata et calefacta habitacula distribui, sarta-tecta etc. maximis sane sumptibus restaurari fecit; merito obinde primis huius claustri fundatoribus adnumeratus, ac post pium suum obitum in ecclesiae crypta ante aram maiorem tumulatus. Abbatia iam inclinata et prope iacens cum habitatione caesarea et adnexis officinis novissime benefactorem nacta est d. Gregorium Gulielmum de Kirchnern, s. c. m. a rationibus commerciorum et bancalitatis consiliarium, qui ad humiles matris Iosephae de Palm, modernae claustri praesidis, preces eam anno 1731 proprio aere funditus erigi curavit, ac centum lignorum orgyas in egeni conventus subsidium annuatim posthac recipiendas a beneficentissima caesaris largitate impetravit.

Monasterium ita a pulveribus, squalore, ruinis vindicatum, iam pro paupertate clarissarum plenius instructum, e regione nostrorum fratrum monasterii, intercedente solum platea Singeriana, situm est, a parte posteriori et laterali aedes saecularium sibi adnectens. Forma coenobii quadrangularis angustum complectitur viridarium ex una, ex altera parte eremitorium ex mero lapide artificiose congestum. Inquilinas, etsi plurium capax, nunc 59 numerat paupere fere censu annuo, a portiori piorum eleemosynis, sustentatas. Spatium exiguum, quod religiosas incolas claudit, amplius magnificant plura in eo spectanda devotionis loca, septem altaria, scala sancta, *s. via crucis* etc., pontificum gratia maximis indulgentiis locupletata. Inter ceteras divorum reliquias, quae hic speciali veneratione coluntur, sunt: exuviae seu integrum corpus s. Paphnutii m., a suprafato d. episcopo Viennensi de Breüner Roma Viennam reduce allatum, huicve coenobio anno 1646 donatum; particula s. Crucis Christi; de capillis eiusdem; item de corona spinea. Pars digiti s. Mariae Magdalenae; de ossibus ss. Petri et Pauli apost.; dens s. Nicolai episcopi, patroni loci huius; demum scriptura propria s. Antonii Paduani manu formata.

Abbatissae sigillum in sui medio s. Hostiae monstratorium tenet supra clausum librum, cui tres globi aurei incumbunt, positum; ad eius latus visitur numerus 1686, per gyrum legitur: S. CONVEN. A. CLARISS. D. S. NICOLAO.

§ 3.

Conventus sanctimonialium Graecii in Styria omnibus Sanctis dedicatus.

Monasterium templumque omnium Sanctorum honoribus dedicatum, tametsi sua fundationis origine antiquius claustro sanctimonialium Viennensium ad s. Nicolaum, ideo tamen alteri istud postponimus, quia a suis initiis Provinciae Argentinensis patribus subiectum, nostrae Austriacae Provinciae quoad gubernium primum subiici coepit anno 1687, ut infra dicemus. Locus, ubi nunc divae Clarae v. coenobium spectatur, olim *in Stifft* dictus, merito, dum aliquando haeresum errorumque seminarium inibi erat, spinetum meruit compellari; absente siquidem in Hispaniis Carolo, archiduce Austriae, heterodoxi Styriae proceres, publici Lutheri sectarii, ad annum 1568 e communi Provinciae aerario hic academiam erexere, quam dein ampliatam in collegii formam redegerunt, quatenus praeter pseudopraecones numerosa etiam professorum turba isthic aleretur, qui pusillae aetati virus instillarent cum litteris sibique in cathedram successores educarent. Verum, postquam Ferdinandus archidux, dein huius nominis caesar II., fidei romanae propugnator acerrimus et contra haereseos hydram missus a Deo hercules, anno 1599 intentato mortis supplicio severissime mandaverat, ut omnes et singuli ad diem 18 Septembris ante solis adhuc occasum Graecensi ex urbe facesserent omnino, omnes ministelli, numero novemdecim hunc locum et urbem fugerunt, a faece haereticorum expurgarunt. Post feliciter pulsos Lutheri sectarios decem circiter millia volumina, haereticorum scabie infecta, publicis flammis concremata sunt. Vacuum aedificium, ut haereticis posthac omnis spes pristinae stationem recuperandi praecluderetur, praefati Ferdinandi mater, consors Caroli archiducis et Bavariae ducis filia, Maria nomine, catholicae fidei conservandae studiosissima, religioni statuit dedicare. Quare profanos parietes partim deiici et noviter extrui, partim restaurari et in longe meliorem formam redigi ac una cum vicino templo, quod altaribus instruxerat, sub omnium Sanctorum auspicio rite voluit consecrari. Ne igitur haec aedes religiosis incolis, quae Deo laudes decantarent divinaque constanter curarent, diutius destitutae manerent, virgineae coloniae ordinis s. Clarae ex s. Iacobi asceterio Monacensi (tunc Argentino-Bavaricae Provinciae) Graecium evocantur, et volente terrae principe ac annuente pontifice Clemente VIII., anno 1602 die 11 Novembris octo numero virgines sacrae in noviter constructum claustrum deducuntur; sequente anno sub dato 1 Iulii, ut singula in divino obsequio firmiora persisterent, hoc virginum coenobium dicta archiducissa et Bavariae ducissa dotavit, redditibus auxit et maxima cum largitate mediante solemni instrumento perpetuo fundavit; atque ita hic locus ex acatholicorum spineto in virgineum lilietum pientissimae fundatricis beneficentia transmutatus est, felici adeo Domino benedicente auspicio, quod parthenius hic manipulus, nedum elapsis quinque annis, mire multiplicatus 40 et plures numeraret Deo velatas virgines. Intensissimum piae principis in s. Clarae institutum eiusque sectatrices affectum abundantius coniicere licebit ex eo, quod, quantum serenissimarum prolium, subditarum provinciarum curae permitterent, tempus potissimum in hoc virginum coenobio post fata

mariti impenderit; iam in culina desudando, lances et ollas abluendo, mensas instruendo, cibos afferendo, iam lectos sternendo, infirmas moniales ad lectulum reclinando, pharmaca porrigendo, ulcera mundando etc., non tam fundatricem quam humilem pro Dei amore ancillam egerit. Templum praeterea eiusque aras sacra supellectili, aureis argenteisque vasis, vestibus pretiosioribus propria manu textis adornavit, eique insignes e thesauro suo domestico Sanctorum reliquias largissima cum devotione dispensavit. Et ut, abdicato provinciarum regimine, se non solum matrem filiarum s. Clarae, sed et filiam s. matris et sororem pauperem probaret, annuente apostolico nuntio et praesente sanctimonialium confessario, sub simplici sororis Mariae compellatione religiosa vota emisit et ardentissime Deo coniuncta, divae Clarae vestimentis, quae sibi clam ipsamet elaboraverat, induta, meritis et virtutibus plenissima die 29 Aprilis anno 1608 beatissimo fine quievit. Nobilissimae eius exuviae, praegrandi ac marmoreo sarcophago clausae, una cum cordibus dilectissimi filii sui Ferdinandi II. eiusque augustae conthoralis Annae Eleonorae, sicut et Ferdinandi III. impp. intra sanctimonialium clausuram servantur hodiedum visendae.

Adiecta huic claustro ecclesia, ut superius memoratum, a serenissima fundatrice in longe speciosiorem formam reducta, die 25 Novembris anno 1602 sub patrocinio Sanctorum omnium solemniter consecrata est a reverendissimo d. Martino episcopo Seccoviensi. Dedicatio eius nunc singulis annis dominica festum s. Bartholomaei apostoli sequente celebratur. Altaria in ea spectantur quinque: maius novissime praeclaro opere erectum omnibus Sanctis, alterum sanctissimae Trinitati, tertium b. Mariae v., quartum perpetuo privilegiatum s. p. n. Francisco, ultimum s. Clarae v. monialium fundatrici inauguratum.

Monasterium structura, firmitate ac amplitudine sua percelebre, situ, aurae salubritate, versus Murhae fluvium prospectu peramoenum est; et praeter serenissimae fundatricis cubiculum, veteri sua adhuc instructum supellectili, plurimas pro necessitatis exigentia officinas, praeclaram pharmacopaeam, viridarium ac aedes contiguas habet, pro censu annuo saecularibus locatas. Duo spatiosa dormitoria, quorum unum hyemali, alterum aestivali tempore inhabitabile, facile quinquaginta sororibus (etsi iam 46 solum numerentur) commodum praestant incolatum. Praeter *s. viae crucis* ac complura devotionis loca, in claustrali sacristia pretiosa multa et magna ex argento, auro et gemmis congesta cernuntur. His omnibus decus non modicum accedit a stemmate nobili oriundis, quae rigidius s. Clarae institutum in hoc claustro amplexae sunt. Etenim praeter ipsam serenissimam fundatricem archiducem Mariam, alia ducissa Maria Renata, Ferdinandi ducis Bavariae filia, plurimae ex nobilissima prosapia comitissae ac liberae barones, strictiorem Coletarum reformationem professae, austeram vitae observantiam usque ad vitae terminum servaverunt piissime.

Quamvis abbatissa et moniales una cum monasterio a suis initiis subditae existerent regimini ac iurisdictioni fratrum minorum regularis observantiae Provinciae Argentino-Bavariae, praecipue de causis, quia sacrae virgines ex illa provincia vocatae pro spirituali solatio et ampliori conscientiarum quietudine hos patres (quorum directioni iam erant assuetae in patria) precibus instantioribus ab ipsa fundatrice postularunt; atque eo tempore [ut deputarentur] fratres nostri, etsi earum proximiores monasterio (hoc enim nostrumque unica dumtaxat platea secat), vigens tunc per Austriam et Styriam lutherana haeresis et qualificatorum subiectorum paucitas minime permisit: cum calamitosa illa aetate nec novos conventus recipere licuerit, quinimmo,

ut suis locis notavimus, antiquitus possessa relinquere oportuerit. Nihilominus propulsis errorum tenebris et illucescente pristina fidei catholicae serenitate, ac accedente capacium religiosorum pluralitate, hoc sanctimonialium claustrum una cum incolis fratrum Provinciae Austriacae gubernio, etsi non sine obice, pontificis Innocentii XI. auctoritate et Leopoldi I. caesaris voluntate anno Domini 1687 subiectum atque ita plurimis inconvenientiis praecautum fuit. In hac sanctimonialium residentia fratres nostri quinque numero actu functiones spirituales omnes perficiunt a sacris confessionibus, a pulpito et altari tum Deo velatis virginibus in satisfactionem, tum saecularibus hoc in templo frequentioribus in aedificationem.

Asceterii huius religiosa antistes proprio utitur sigillo in sui medio exprimente effigiem summi pontificis, quem ex utraque parte ambiunt cardinales in figura totius hominis; litterae per circumferentiam sunt: S. ABBATISSAE ORD. S. CLARAE MONAST. AD OMN. SS. GRAETY. 1602. Sigillum conventus s. Claram v. exhibet stantem cum inscriptione: SIG. CONVENTUS MONAST. AD OMNES SANCTOS GRAETY. 1602.

§ 4.

Conventus sanctimonialium Viennae Austriae ad Reginam angelorum.

(Immediate totius ordinis ministro generali subiectus et quia a nostrae Provinciae gubernio exemptus, hoc loco positus).

Regium s. Mariae angelorum ordinis s. Clarae monasterium, aulae caesareae, ad quam per porticum pergulam transitur, contiguum e fronte ipsum magnificum templum s. Dorotheae v. m. ordinis s. Augustini can. regul., a dexteris ecclesiam aulicam pp. augustinianorum discalceatorum, a sinistris trans plateam illustrium palatia respicit. Ab Elisabetha Austriaca, Maximiliani II. imp. filia, Mathiae et Rudolphi caesarum sorore, Caroli IX. Galliae regis relicta vidua, anno 1581 maximis sumptibus conditum et largissime fundatum. Et hinc, quia a regina erectum Reginae angelorum, communi vocabulo regium monasterium et ad Reginam nominatur. Coempta cum primis Caroli Antonii archiducis Maximiliani II. fratris aula, ad quam possidendam septem Monachio ex Bavaria et monasterio in Anger dicto a dicta regia fundatrice accitae sunt, anno 1582 die 5 Martii in quodam horto, ab illustrissima comitissa de Kuenin gratis oblato, primus lapis terrae impositus est a celsissimo principe Ioanne Casparo Neüböck, episcopo Viennensi; atque ita serenissima regina praesente et omni famulatu aulico spectante, prima ecclesiae iacta sunt fundamenta; quam idem episcopus anno sequente 2 Augusti s. Mariae reginae angelorum honoribus consecravit, iisdem, quas s. Franciscus seraphicus in nominis huius sacello consecutus est, indulgentiis Sixti V. pontificis largitate locupletatam, eadem consecrationis die singulis annis recurrente. Templum praeter altare maius ss. Angelis omnibus eorumque augustissimae Reginae dedicatum duas laterales habet aras, ex cornu epistolae s. Annae aviae Christi, ex cornu evangelii s. Crucis.

Post paucorum admodum annorum decursum zelo monasticae disciplinae, virtutibus et numero adeo excreverunt Deo sub sanctae Clarae regula famulantes virgines, quod quinquaginta, familia potissimum illustres, in regio hoc claustro sustentarentur, benedictionem desursum et largissima continuo munificentissimae fundatricis beneficia sentientes. Regium hoc coenobium pontificum ac caesarum privilegiis adeo ab omni alia iurisdictione exemptum est, quod non nisi reverendissimo p. ministro generali, qui totius seraphici ordinis regimen sustinet, sicut et eminentissimo d. cardinali ordinis protectori immediate subiectum, nec ulli etiam saecularium potestati, praeter augustissimorum Romanorum imperatorum, subditum sit. Praegrandes has immunitates ipsa regia fundatrix Elisabetha tum a Clemente VIII. pontifice, tum a Rudolpho II. imp. energicis precibus impetravit, ultima sua voluntate efficacissimis verbis obtestata, ut caesares posthac hocce magna cum sollicitudine constructum ac tenero semper cum affectu a se dilectum Deo sacratarum virginum coenobium velut supremi conditores constanter protegerent, supremae tutelae committerent, singula denique eius iura et immunitates tuerentur. Commissarius generalis, qui per libera monialium vota, caesaris dein auctoritate firmanda, ex nostrae Provinciae patribus assumitur, ad dies vitae vices ipsius p. ministri generalis gerit, ac una cum sanctimonialium confessario, aliove sacerdote et laico in adiecta claustro residentia degit. Praefati fratres una cum praedicatore et altero, qui cum cantu quotidie ad aram sacra facit, ex s. Hieronymi conventu mittuntur.

In hoc regio claustro, ex fundatione praedivite, thesaurus quoque dives habetur ex sacris vasibus, ecclesiae paramentis, vestibus sacerdotum et levitarum usui destinatis plurimum sumptuosus, mira textura, gemmis, unionibus lapidibusque pretiosis omnino copiosus. Praeter sacram hanc supellectilem sacratiora quaeque, immo sacratissima hic custodiuntur; nimirum effusus e sacratissimo latere Christi sanguis, eidem caesarea Eleonorae Ferdinandi III. imp. viduae munificentia anno 1668 obveniens, atque e facultate celsissimi principis Philippi Friderici, episcopi Viennensis, altera quotannis mensis Martii sexta feria publico cultui expositus. Item insignis s. Crucis particula, quam dono ab augustissimo suo genitore acceptam regia fundatrix huic thesauro adiunxit. Integer in eo servatur s. Ioannis Baptistae index ab eadem regina secum ex Gallia allatus; S. Christinae v. et m. caput cum ossibus insignioribus s. Elisabethae, Andreae II. Hungariae regis filiae; caput item s. Gertrudis, Ludovici Thuringiae comitis viduae; scapula s. Leopoldi marchionis Austriae. Ad haec conditum habetur s. Parthenii m. corpus, ab augusto imperatore Leopoldo I. anno 1666 Mariae Bibianae et com. a Breüner tunc recenter electae abbatissae oblatum. Item integrum corpus s. Antonini martyris.

Colitur etiam penes pictam quandam Iesuli dormientis gratiosam effigiem prodigiis clara Dei Matris, admirabilis dictae, imago, intra clausuram in praeclaro sacello caelitus delineato, et excellentissimae dominae M. Magdalenae com. de Mansfeld, supremae archiducis praefectae, sumptibus ex vero impensis constructo; hic quotidie, praecedentibus vero novem diebus ante s. Pentecostes festum, publicae fidelium copiosissime concurrentium venerationi in templo exposita est; haec ad similitudinem s. Mariae maioris, ab ipso s. Luca depictae, efformata eiusdemque attactu sacrata, ex Gallia item ab Elisabetha anno 1578 Viennam deportata; anno dein 1592 ex defunctae reginae conclavi, uti nostro p. Petro Luck, suae conscientiae arbitro, vivens insinuaverat, ad coenobium translata fuit, facta ex voluntate moriturientis fun-

datricis ad moniales adhortatione, quatenus singulari semper hanc imaginem prosequerentur veneratione, omnino certae, quod quavis in necessitate (prout ipsa non semel) promptum ad sanctissimae huius Matris invocationem sint sensurae auxilium; et hodiedum non solum plurimi christifideles, sed et augustissima domus Austriaca Matrem in ea clementissimam experitur. Haec imago vivax ceteroquin, ac adeo amabilis, ut omnem pictorum artem superet; ubi vero e domo augusta quispiam e vivis decedit, aut eidem aliud sinistri accidit, prius mutata forma repente pallere oculisque tumere dicitur.

In sigillo venerabilis matris abbatissae b. Virgo immaculata nubibus excelsa inter circumvolitantes angelos, quorum duo eidem coronam imponunt, exprimitur; per orbem vero litterae visuntur sequentes: SIG. ABBAT. MONAST. S. MARIAE DE ANGELIS VIENNAE. Sigillum minus seu conventus in sui medio s. virginem Claram, baculum pastoralem sinistra, dextera Sanctissimum tenentem habet, cum litteris per gyrum: S. MARIAE DE ANGELIS VIENNAE AD REGINAM.

HIs DesCrIptIonI totIVs ProVInCIae AVstrIae IMponItVr fInIs.

FRATRIS THOMAE ECCLESTON

LIBER

DE ADVENTU FRATRUM MINORUM IN ANGLIAM

EDITUS

A PP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

NOVA FACTA RECENSIONE.

INDEX COLLATIONUM.

THOMAE DE ECCLESTON

LIBER DE ADVENTU MINORUM IN ANGLIAM [1].

DEDICATIO.

In dulcedine Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi praedilecto patri suo, fratri Simoni de Esseby, suus frater Thomas consolationem Spiritus Sancti.

Omnis iustus vitam suam iudicare debet per exempla meliorum, quia plerumque plus exempla quam rationis verba compungunt. Ut habeatis de propriis unde carissimos filios vestros confortetis, ut ipsi etiam, qui tot et tanta et insuper semetipsos pro consequendo statu et Ordine nostro reliquerunt, cum aliorum Ordinum mirabilia legerint et audierint, habeant unde propria vocatione non minus aedificentur, et ei qui se vocavit, dulci Iesu, inexhaustas gratias agant; quare, perdilecte pater in dulci Iesu, consecro vobis collationes, quas a carissimis nutritiis et coalumnis meis per XXV annos consecutum fuisse me gaudeo, ad honorem eius, in quo sibi Deus Pater complacuit, Christi dulcissimi Dei et Domini nostri.

COLLATIO I.

De primo adventu fratrum Minorum.

Anno Domini MCCXXIV, tempore domini Honorii papae, scilicet eodem anno, quo confirmata est ab eo regula beati Francisci, anno domini regis Henrici, filii Iohannis, octavo, feria tertia post festum nativitatis beatae Virginis, quod illo anno fuit die dominica, applicuerunt primo fratres Minores in Angliam apud Dovoriam, quatuor scilicet clerici et quinque laici. Clerici fuerunt isti: primus frater Agnellus [2] Pisanus.

---

[1] Prima editio huius chronicae, facta a I. S. Brewer, sumta est ex duobus codicibus, scilicet *Eboracensi* (quem nos signamus littera A) et *Cottoniensi* (B), qui tantum fragmentum ipsius, scilicet a collatione 9. exhibet. Aliud fragmentum eiusdem chronicae (a collatione I. usque ad 6.) editum est a Rich. Howlett ex codice ab ipso vocato *Lamport.* (apud nos C). Editionem chronicae a Brewer publicatam in tomo I. operis *Monumenta Franciscana* citamus sic: *ed. Br.*; editionem vero fragmenti in eiusdem operis tomo II. sic: *ed. Ho.* Plura vide in Prolegomenis.

[2] Ita hoc nomen scribitur in cod. C; Brewer cum cod. A constanter *Angnellus*. Vocabulum, quod sequitur, *trecennarius* significat aetatem *triginta* annorum, ut intelligi potest ex Du Cange, *Glossarium* sub vocabulo *Tricennarium*.

ordine diaconus, aetate circiter trecenarius, qui a beato Francisco in proximo capitulo generali destinatus erat provincialis minister in Angliam; fuerat siquidem custos Parisiensis, et ita prudenter se gesserat, ut tam fratribus quam saecularibus famosae sanctitatis merito plurimum complaceret. Secundus fuit frater Richardus de Indewurde[1], natione Anglicanus, sacerdos et praedicator et aetate provectior, qui primus extitit, qui citra montes populo praedicavit, et ordine et processu temporis, sub bonae memoriae fratre Iohanne Parente[2], missus est minister provincialis in Hiberniam; fuerat enim vicarius fratris Agnelli in Anglia, dum ille ad capitulum generale proficisceretur, in quo facta est translatio reliquiarum sancti Francisci, et eximiae sanctitatis exempla praeclara praebuerat. Completo igitur fideli et Deo accepto ministerio, absolutus in capitulo generali a bonae memoriae fratre Alberto ab omni fratrum officio, zelo fidei succensus, profectus est in Syriam et ibidem felici fine requievit. Tertius erat frater Richardus Devoniensis, similiter Anglicanus, ordine acolythus, aetate iuvenis, qui longanimitatis et obedientiae plurima nobis exempla reliquit. Nam post diversas provincias per obedientiam peragratas, annos XV febribus tum quartanis frequentius fatigatus, apud locum Romehale continue morabatur. Quartus erat frater Willelmus de Esseby, in caparone[3] probationis adhuc novitius, natione similiter Anglicanus, aetate iuvenis. Iste in diversis officiis diutius, subministrante spiritu Iesu Christi, laudabiliter durans, humilitatis et paupertatis, caritatis et mansuetudinis, obedientiae et patientiae et omnis perfectionis exempla nobis reliquit. Cum autem quaereret ab eo frater Gregorius, minister Franciae, si vellet ire in Angliam, respondit, se nescire si vellet. Cum miraretur minister de responso, tandem dixit frater Willelmus, idcirco se nescire quid vellet, quia voluntas sua non erat sua, sed ministri; unde voluit quidquid minister voluit ipsum velle. Huic testimonium praebuit frater Willelmus[4] de Notingham, quod erat obedientissimus; cum enim daret ei optionem eligendi sibi locum ad manendum, dixit, quod locus ille sibi summe placuit, quem sibi placeret sibi assignare. Et quia blandimentis praecipue praeditus erat gratissimael enitatis, plurimorum saecularium in Ordinem provocacavit affectum. Insuper plures idoneas personas diversae dignitatis, aetatis et ordinis ad viam salutis induxit; et in multis demonstravit ad oculum, quod novit dulcis Iesu mirabiles res facere et de locustis vincere gigantes[5].

Laici vero fuerunt hi: primus frater Henricus de Trevisa[6] (?), natione Lombardus, qui pro merito sanctitatis et discretionis praecipuae postea factus est guardianus Londoniae, qui et completo laboris sui cursu in Anglia, multiplicato iam fratrum

---

[1] In aliis locis hoc nomen scribitur in codd. A B *Ingeworthe,* in cod. C *Ingewrd.* Teste Brewer est *Intworth.*

[2] Est primus minister generalis (1227-1233), electus post mortem S. Francisci, Florentinus, ex familia *Parenti*, unde latine vocatur *Parens.*

[3] Est genus vestimenti, quo tunc utebantur novitii loco caputii solummodo fratribus professis concessi.

[4] Idem Willelmus nominatur infra coll. 8. Codd. et edd. modo scribunt *Willielmus* modo *Willelmus.*

[5] Respicitur Num. 13, 33: Ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustae videbamur.

[6] Ita probabilius legendum est pro *Tarvisio.* Ed. Brewer habet *Ceruise.*

numero, in patriam suam rediit. Secundus erat frater Laurentius, de Belvaco oriundus, qui laboravit in principio, in opere inexhausto, secundum decretum regulae; et post ad beatum Franciscum regressus, ipsum videre frequenter et eius colloquiis consolari meruit; tunicam denique suam sibi Pater sanctus liberalissime contulit et benedictione dulcissima laetificatum in Angliam remisit. Qui post multos labores per merita Patris eiusdem, ut aestimo, ad portum quietis Londoniam applicuit, ubi nunc desperabili languore detentus, finem tam diutinae fatigationis expectat. Tertius fuit frater W. de Florentia, qui post receptionem fratrum cito in Franciam rediit. Quartus fuit Melioratus. Quintus, frater Iacobus Ultramontanus, in caparone probationis adhuc novitius.

Isti novem per monachos de Feskamp caritative in Angliam transvecti et cordialiter in necessitatibus exhibiti, cum venissent Cantuariam, apud prioratum sanctae Trinitatis manserunt per binos dies; et statim quatuor profecti sunt Londoniam, scilicet frater Richardus de Ingewrth et frater Richardus Devoniensis et frater Henricus et frater Melioratus. Quinque vero alii diverterunt ad hospitale sacerdotum, ubi manserunt quousque providissent sibi locum. Cito enim post concessa fuit eis camera parvula infra domum scholarem, ubi de die in diem sedebant quasi clausi continue. Sed cum scholares in vespera domum rediissent, intraverunt domum, in qua sedebant, et ibi faciebant sibi ignem, et sederunt iuxta eum, et ollulam nonnunquam cum faecibus cerevisiae, cum collationem bibere [1] deberent, posuerunt super ignem, et posuerunt discum in olla et biberunt circulariter, et dixerunt singuli aliquod verbum aedificationis; et sicut testatus est qui huius sincerae simplicitatis fuit et sanctae paupertatis socius et particeps esse promeruit, tam spissus aliquando fuit potus eorum, ut cum disci calefieri deberent, infunderunt aquam, et sic cum gaudio biberunt. Simile quoque accidit frequenter apud Sarum, ubi cum tanta iocunditate et laetitia biberunt fratres faeces circa ignem in coquina, collationis hora, ut felicem se reputaret qui posset eas ab alio amicabiliter rapere.

Id ipsum apud Slopisbyriam [2], in primo adventu fratrum Slopisbyriam, Frater Martinus senex, qui et cepit locum, se fecisse gratulatus est. In diebus illis tam districte cavebant fratres contractionem debitorum, quod vix pro extremis necessitatibus debitum contrahere permittebant. Unde accidit, ut frater Agnellus cum fratre Salomone [3], guardiano Londoniae, vellet audire computum fratrum Londoniae, quantum scilicet expendissent infra unum terminum anni, cumque audisset, quod tam sumptuose processisset vel satis parca fratrum exhibitio, proiecit omnes tallias et rotulos, et percutiens se ipsum in faciem exclamavit, « Ay me captum [4] »! et nunquam postea voluit audire computum. Contigit quoque, ut supervenirent duo fratres ad quendam locum fratrum valde vexati; et cum non esset cerevisia in domo, con-

---

[1] Diebus ieiunii fratres illa aetate conveniebant ad audiendum vel lectionem spiritualem, (plerumque *Collationes* Cassiani) vel etiam sermonem, et loco coenae iis qui volebant ministrabatur aliquid pro potione. Sic phrasis illa *collationem bibere* explicatur.

[2] Hic incipit fragmentum ex cod. C editum. *Slopisbyria*, alibi *Salopisburia* scriptum, nunc nominatur *Shrewsbury*.

[3] Ed. Br. ex cod. A scribit constanter *Salamon*; sed cod. C recte *Salomon*; qui paulo post omittit *Londoniae*.

[4] Cod. C *captivum*.

silio seniorum accepto, guardianus fecit accipi mutuo unam lagenam cerevisiae; ita tamen quod fratres conventuales, qui cum hospitibus erant, inde non biberent, sed simularent se bibere, propter caritatem.

Incidens[1]. Usque ad tempus formationis[2] Ordinis consueverunt fratres facere collationem omni die, et bibere qui vellent in communi, et omni die tenere capitulum, nec fuerunt arctati in recipiendis diversis ferculis vel vino, nec tamen admittebant oblatas pitancias nisi per tres dies in hebdomada, in pluribus locis[3]. In ipso conventu Londoniae, tempore piae memoriae fratris W. ministri et fratris Hugonis guardiani, vidi fratres bibere cerevisiam tam acidam, ut mallent aliqui aquam bibere[4], et comedere panem, quem *tortam* vulgus vocat. Insuper, deficiente pane, in praesentia dicti ministri et hospitum in hospitio diutius comedi alia[5].

COLLATIO II.

De prima divisione fratrum.

Quatuor igitur fratres, quos supra nominavi[6], cum venissent Londoniam, diverterunt ad fratres Praedicatores, et ab eis benigne suscepti sunt et apud eos manserunt diebus quindecim, comedentes et bibentes quae apponebantur eis, sicut familiarissimi. Postea conduxerunt sibi domum in vico Cornhulle, et construxerunt[7] sibi cellas in ea, consuentes herbas inter cellarum interstitia. Perduraverunt quoque in prima simplicitate usque ad aestatem sequentem sine cantaria, quia nondum privilegium habebant erigendi altaria et celebrandi in locis suis divina. Et statim ante festum Omnium Sanctorum, et antequam frater Agnellus venisset Londoniam, profecti sunt frater Richardus de Ingewrth et frater Richardus Devoniensis Oxoniam, et ibi similiter a fratribus Praedicatoribus familiarissime suscepti sunt; comederunt in suo refectorio et iacuerunt in suo dormitorio, sicut conventuales, per dies octo. Postea conduxerunt sibi domum in parochia S. Ebbae[8], et ibi manserunt sine cantaria usque ad aestatem sequentem. Ibi seminavit dulcis Iesus granum sinapis,

---

[1] In ed. Br. omittitur appositum vocabulum *Incidens* hoc loco et alibi, quod tamen in ed. Ho. et codd. BC additur. Manifestum est, ea quae post *Incidens* notantur, posterius textui addita esse, unde in codd. BC posita sunt ad marginem.

[2] Cod. C *firmationis formationis*; fortasse legendum est *firmae formationis*. Paulo inferius ed. Br. perperam *ordine* pro *omni die*, quod habet cod. C.

[3] Cod. C omittit *locis*. — *Pitancia (pictancia, pietancia)* est portio piscium vel carnium singulis monachis distributa. Vide Du Cange, Glossarium. — Ed. Br. pro *fratris Hugonis* habet *fratris H.* — Sub *fratris W.* intelligendus est Willelmus de Notingham.

[4] Ed. Br. omittit *bibere*; et pro *vulgus vocat* cod. C *vocant vulgariter*.

[5] Ita codd. et edd. Tamen Brewer suspicatur, legendum esse *hordea*, sed Howlett praefert *alicam*, scil. pulmentum ex ista specie frumenti praeparatum.

[6] C *superius nominati*; et postea, posito puncto, prosequitur: *Apud eos etiam manserunt*. Denique pro *apponebantur* ed. Br. *apponebant*.

[7] Ita cod. C; ed. Br. *constituerunt*, deinde *construentes* pro *consuentes*; sed pro *inter* cod. C habet *in*, et pro *prima simplicitate* iterum *ipsa simplicitate*. *Cantaria* est idem ac capella ad faciendum divinum officium destinata (Du Cange, Glossarium).

[8] Cod. C *Abbae*.

quod postea factum est maius omnibus oleribus. Inde profecti sunt frater Richardus de Ingewrth et frater Richardus Devoniensis Northamtonam, et recepti sunt in hospitali. Postea conduxerunt sibi domum in parochia sancti Aegidii, ubi fuit guardianus primus frater Petrus Hispanus, qui loricam ferream portavit ad carnem et alia plurima perfectionis exempla monstravit. Primus guardianus Oxoniae fuit frater Willelmus de Esseby, adhuc novitius; commodatus tamen[1] erat ei habitus professionis. Primus guardianus Cantabrigiae fuit frater Thomas de Hispania. Primus guardianus Lincolniae fuit frater Henricus Misericorde laicus.

INCIDENS. Dominus Iohannes Travers primo recepit fratres apud Cornhulle, et locavit eis domum, et factus est guardianus laicus quidam Lombardus Henricus nomine[2], qui tunc primo de nocte didicit litteras in ecclesia beati Petri de Cornhulle, et postea factus est vicarius Angliae, dum frater Agnellus proficisceretur ad capitulum generale. In vicaria tamen habuit socium fratrem Richardum de Ingewrth; ad ultimum vero tantam felicitatem non ferens, sed effeminatus potius honoribus et a se ipso alienatus, ab Ordine miserabiliter apostatavit.

INCIDENS. Dignum memoria, quod secundo[3] anno administrationis fratris Petri, quinti ministri Angliae, anno scilicet ab adventu fratrum in Angliam XXXII., numerati sunt viventes fratres in provincia Angliae, in XLIX locis, MCCXLII.

COLLATIO III.

De receptione novitiorum. frater Salomon.

Igitur cum se divisissent fratres, qui primo venerant in Angliam, et ad diversa loca profecti fuissent, venerunt quidam, quos Spiritus Iesu in hoc ipsum adduxit, petentes Ordinem. Quorum primus, qui reciperetur, fuit bonae indolis adolescens et elegantia corporis admodum clarus, frater Salomon; qui mihi referre solitus erat, quod cum adhuc esset novitius, factus est procurator venitque ad domum sororis suae, ut eleemosynam peteret. Ipsa vero portans ei panem avertit vultum dicens: « Maledicta sit hora, qua te unquam vidi »; et ipse quidem cum gaudio recepit panem et recessit. Tam stricte vero tenuit praefixam sibi formam parcissimae[4] paupertatis, ut nonnunquam propter fratrem quendam infirmum in caparone suo portaret farinam et sal, seu ficus pauculas, et ligna ad ignem sub axilla sua; diligentissime cavit, ne extra[5] metas exquisitissimae necessitatis aliquid reciperet vel retineret. Unde contigit aliquando, ut tantum frigus pateretur, quod illico se moriturum crederet; non habentibus autem fratribus unde ipsum calefacere possent, pium sibi suffugium sancta caritas monstravit. Convenerunt siquidem omnes fratres circa ipsum et suis sinibus, sicut porcis mos est, eum comprimendo foverunt. Cum autem ad ordinem acolythatus promoveri deberet, missus est ad venerabilem patrem sanctae

---

[1] Ed. Br. perperam *tunc*.

[2] In ed. Br. deest *Henricus nomine*, et antea etiam vocula *est*.

[3] Cod. C *quinto*.

[4] Cod. C *purissimae*. Paulo inferius post *ut* ed. Br. addit *cum*, refragante cod. C et constructione, cum indicativus *cavit* non congruat cum *ut*.

[5] Cod. C *supra*.

memoriae archiepiscopum Stephanum et sibi a fratre quodam seniore praesentatus; qui gratissime suscepit eum et sub hoc titulo promovit ad ordinem optatum dicens [1]: « Accedat frater Salomon de Ordine Apostolorum ». Hoc ideo dixerim, ut innotescat, quantae reverentiae fuerit apud sapientes fratrum primordialis simplicitas [2]. Cum autem comedissent in mensa archiepiscopi, reversi sunt fratres Cantuariam nudipedes in nive, quae profunda nimis extitit et intuentibus exhorrenda. Postea accepit gravitatem [3] in uno pede, unde languit Londoniae per duos annos, ita quod vix unquam nisi portatus se movere potuit. In hac infirmitate visitari meruit a sanctae memoriae fratre Iordano, magistro totius Ordinis Praedicatorum, qui dixit ei: « Frater, non verecunderis, si [4] Pater Domini nostri Iesu Christi traxerit te ad ipsum per pedem ». Igitur postquam tam diu iacuerat in cellario, ubi missarum solemnia non audierat — fratres enim non celebrabant in loco, sed ibant ad audiendum divina et ad celebrandum ad ecclesiam parochialem — factus est morbus ita desperatus, ut iudicio chirurgorum pedem oporteret praecidi; et cum allata esset securis, et pes discoopertus esset, exivit sanies quaedam, quae spem aliquam permittebat; unde dilatum est illa vice durum illud iudicium. Interim concepit certam spem, quod si ad sanctum Eligium [5] duceretur, pedem utique recuperaret et salutem. Quo cum frater Agnellus advenisset, mandavit, ut absque dilatione, quocumque modo commodius fieri posset, ad sanctum Eligium in partes transmarinas duceretur. Quod et factum est; nec fefellit eum fides sua; quin potius postea in tantum convaluit, ut absque baculo incederet et missas ipse celebraret, et guardianus Londoniae et generalis confessor totius civitatis existeret. Verumtamen, quia dulcissimo Iesu diutius [6] supplicaverat, ut eum in praesenti a peccatis suis purgaret, misit ei gravitatem, quae fregit spinam dorsi sui, ita ut gibbosus et curvus fieret; misit ei hydropisim calidam et frequentem [7] fluxum haemorrhoidum usque ad obitum suum. Postremo vero, pridie quam pergeret ad ipsum, immisit ei dulcis Iesus tantum dolorem cordis, cuius tamen doloris causam penitus ignoravit, quod omnes praecedentes passiones in respectu illius agoniae [8] nihili aestimavit. Vocatis igitur tribus fratribus, qui sibi specialiores erant, indicavit eis agoniam animi sui et intente supplicavit, quatenus pro statu suo instanter orarent. Ipsis igitur in oratione unanimiter perseverantibus, apparuit ei dulcissimus Iesus Christus cum beato Petro Apostolo, coram lecto suo stans et aspiciens in eum, ipse vero, statim cognito Salvatore, clamavit: « Miserere mei, Domine, miserere mei ». Et respondit Dominus Iesus ei: « Quia semper me rogasti, ut in praesenti te affligerem et purgarem, misi tibi dolorem praesentem, et praecipue, quia caritatem tuam primam reliquisti et non fecisti, ut decuit vocationem tuam, dignos fructus poeni-

---

[1] Ed. Br. corrupte sic: *Ad ordinem promovit:* « *Apostolatum accedat* » etc.

[2] Ed. Br. *spiritualitas.*

[3] Cod. C fortasse melius *eum gutta,* et etiam infra habet *guttam* pro *gravitate.*

[4] Cod. C *etsi,* et deinde *trahat* pro *traxerit.*

[5] Ed. Br. hic et infra *aliquem* pro *Eligio*, et deinde perperam *Ergo* pro *Quo,* et omittit *ut*, contradicente cod. C.

[6] Cod. C omittit *diutius.*

[7] Ed. Br. *sanguineum.*

[8] Cod. C *angustiae.*

tentiae, et quia pepercisti nimis divitibus in iniungenda[1] sibi poenitentia». Et addidit beatus Petrus: «Insuper scias, te graviter peccasse in iudicando fratrem Iohannem de Cycestria, qui nuper obiit. Et nunc roga Dominum, ut det tibi talem finem, qualem ipse habuit». Et clamans frater Salomon dixit: «Miserere mei, dulcissime Domine, miserere mei, dulcis Iesus»; qui subridendo respexit in eum ita placido vultu, quod tota praecedens angustia statim evanuit, et ipse spirituali[2] gaudio repletus certissimam spem suae salutis concepit; et confestim vocatis fratribus denuntiavit quae viderat; unde non modice consolati fuerunt.

Incidens. Dignum memoria, quod, cum essent fratres in loco de Cornhulle, venit diabolus visibiliter et dixit fratri Gilberto de Vyz[3], cum sederet solus: «Credis evasisse me? Ecce hoc habebis adhuc»; et proiecit super eum plenum pugillum suum pediculorum et evanuit.

Secundus frater, qui receptus est a fratre Agnello, fuit frater Willelmus de Londonia, qui fuerat aliquando mutus, sed apud Berginge[4], meritis sanctae Etelburgae, sicut mihi retulit, loquelam recuperavit. Hic etiam, cum esset familiaris domini iustitiarii de Anglia, Huberti de Burgo, licet laicus et lascivus[5] (?), ut putabatur, existeret et in arte scissoria famosus, priusquam fratres aream vel cantariam haberent, Londoniae indutus est.

Tertius erat optimae indolis, pius, nobilis et delicatus, de ipsa civitate Londoniae oriundus, frater Iocius de Cornhulle, clericus; qui post multos labores, quos ibi sustinuerat, profectus est in Hispaniam moraturus et ibidem feliciter obiit.

Quartus fuit frater Iohannes, clericus, quasi octodecim annorum adolescens, bonae indolis et optimae conversationis, qui, citius completo cursu vitae praesentis, migravit ad Dominum Iesum Christum. Ipse domino Philippo sacerdoti, cum doleret dentes suos supra modum[6], suasit, ut mitteret panem et cerevisiam fratribus Minoribus, et promisit, quod Dominus Iesus curaret eum. Et sic factum est; unde ambo cito postea dederunt se ipsos et intraverunt Ordinem.

Quintus igitur fuit iste[7] frater Philippus Londonia oriundus, ordine sacerdos, qui postea guardianus Brugensis factus et officium praedicationis adeptus, plurimos lucrifecit. Postremo missus est in Hiberniam et ibidem feliciter migravit ad Dominum.

Post hos autem intraverunt quidam magistri, qui famam fratrum magnificaverunt, frater scilicet Walterus de Burgo, de quo vidit frater unus mirabilem visionem, quod scilicet Dominus Iesus, descendens de caelo, porrexit ei rotulum, in quo scriptum erat: «Tempus tui tritici non est hic, sed alibi». Huic revelavit dolum[8] cuiusdam mulieris religiosae, quae per visiones fictas delusit quendam fratrem discretum, ita ut eas scriberet. Frater vero Agnellus, non credens ei, iniunxit con-

[1] Ed. Br. *iniungendo sibi poenitentiam.*

[2] Ed. Br. *speciali,* refragante cod. C.

[3] Cod. C *Wyz.*

[4] Cod. C *Berkinges,* et deinde *Ethelburgae.*

[5] Ed. Br. *latius,* ed. Ho. *latinus,* sed huius editionis auctor legendum putat *lascivus.*

[6] Ed. Br. *suavi modo,* scil. suasit.

[7] Ed. Br. omittit *igitur* et *iste,* contradicente cod. C.

[8] Deest in cod. A, pro quo a Brewer substitutum est coniectando *fraudem;* in cod. C scriptum est *dominus* erronee pro *dolo.* Infra post *credens* ed. Br. omittit *ei.*

ventui, ut orarent, quatenus Deus revelaret ei rem quandam, pro qua fuit sollicitus. Et ecce! nocte illa visum fuit fratri Waltero, quod vidit cervam quandam ascendere velociter ad cacumen cuiusdam montis excelsi, et duo canes nigri [1] consecuti sunt eam et converterunt eam usque in vallem et ibi strangulaverunt eam; accurrens autem frater Walterus, ubi cervam invenire se credidit, non invenit nisi sacculum plenum sanguine. Cum igitur visionem hanc narrasset fratri Agnello, concepit statim ipse [2], quod per hypocrisim seducta fuisset, et misit ad eam duos discretos fratres, qui tandem confessam, quod finxisset quae dixerat, veritati reconciliaverunt.

Intravit et alius magister, scilicet frater Richardus Normannus, qui, cum verbum aedificationis a dicto Waltero quaereret, post diutinam deliberationem respondit: « Qui vult esse in pace, sileat ». « *Ky vout estre en pes, tenge sey en pes* ».

Intravit quoque tunc temporis magister Vincentius de Coventre, qui non multum post germanum suum, magistrum Henricum, ad intrandum Ordinem, cooperante gratia Iesu Christi, diligenter induxit. Intraverunt vero in die conversionis sancti Pauli, cum sanctae memoriae magistro Ada de Oxonia [3] et domino Willelmo de Eboraco, solemni baccalaureo. Hic vero magister Adam de Oxonia, toto famosus orbe, voverat, ut quidquid peteretur ab eo pro amore beatae Mariae, faceret; et hoc ipsum cuidam inclusae, sibi familiari, retulit. Ipsa vero amicis suis, scilicet monacho cuidam de Redinges [4], et alii de Ordine Cisterciensi et fratri cuidam Praedicatori revelavit secretum suum dicens, quod talem virum taliter lucrari possent, nolens scilicet, quod frater Minor fieret. Sed beata Virgo non permisit, licet praesentem eum aliquis haberet, ut pro amore suo id peteret; sed usque ad aliud tempus deferret. Visum enim fuit ei nocte [5], quod debuit transire pontem quendam, ubi fuerunt homines in aqua tendentes retia ad capiendum eum; ipse vero, licet [6] cum magna difficultate, evasit et venit ad locum placidissimum. Igitur cum divino nutu ceteros evasisset, venit casualiter videre fratres Minores, cumque ei [7] loqueretur frater Willelmus de Colvile senior, vir eximiae sanctitatis, inter cetera dixit: « Magister carissime, pro amore Matris Dei intra Ordinem nostrum et releva simplicitatem nostram ». Qui statim, quasi ex ore Matris Dei verbum ipsum audisset, concessit [8].

Fuit autem tunc socius magistri Adae de Marisco et ad robas suas, quem non multo post per Dei gratiam ad intrandum Ordinem sagaciter induxit. Videbatur autem quadam nocte fratri Adae de Marisco, quod venerunt simul ad quoddam castellum, et ultra portas fuit depicta dominica crux, et quicumque vellet ingredi, oporteret eum osculari crucem. Ingressus est ergo primus, osculata cruce, frater Adam de Oxonia; et alter frater Adam statim, eadem osculata, secutus est. Sed

---

[1] Ed. Br. *magni.*

[2] Ed. Br. omittit *statim ipse*, contra cod. C.

[3] Codd. B C hic et infra *Exonia*, et deinde ed. Br. *baculario* pro *baccalaureo*, cod. C *bakelario.*

[4] Cod. C *Radinges.*

[5] Cod. C ita: *Visum enim fuit ei, quod quadam nocte debuit.*

[6] Ed. Br. perperam *hoc*, contradicente cod. C.

[7] Ed. Br. omittit *ei*, refragante cod. C.

[8] Cod. C hic addit: *et sicut deveniens* (sic!) *cum aedificatione coeli maxima intravit.*

prior, inventa mox coclea [1], tam velociter ascendit, ut ab aspectu sequentis citius raperetur; sequens vero clamavit: «Incedatis moderatius, incedatis moderatius»! Sed alter nusquam postea comparuit. Et quidem visio haec omnibus qui tunc erant in Anglia fratribus potuit [2] esse manifesta; siquidem frater Adam post ingressum profectus est ad papam Gregorium, a quo, secundum quod optaverat, missus est ad praedicandum inter Saracenos; sed apud Barlete, socii sui mortem praecedens, obiit et post, ut dicitur, clarus miraculis effulsit. Intravit autem Adam de Marisco apud Wygorniam, zelo scilicet maioris paupertatis.

Post hos intravit frater Iohannes de Redingia [3], abbas Osengyae, qui nobis omnis perfectionis exempla reliquit.

Post hunc quoque magister Richardus Rufus, tam Oxoniae quam Parisiis fama clarissimus.

Intraverunt quoque milites nonnulli; scilicet dominus Richardus Gobion, dominus Aegidius de Merc [4], dominus Thomas Hispanus, dominus Henricus de Walepole: de quorum ingressu dixit dominus Roy: «Si volueritis esse discreti in fratribus recipiendis, si non procuraveritis privilegia ad oppressionem [5] hominum, et praecipue si non fueritis importuni in petendo, poteritis principari principibus».

COLLATIO IV.

De adeptione locorum [6].

Post hoc crescente numero fratrum, et eorum sanctitate comperta, crevit et fidelium devotio in eos, unde loca sibi competentia providere curaverunt. Igitur Cantuariae contulit eis aream quandam et aedificavit capellam satis honestam pro tempore dominus Alexander, magister hospitalis sacerdotum; et quia fratres nihil sibi omnino appropriare voluerunt, facta est communitati civitatis propria, fratribus vero pro civium libitu commodata. Specialissime vero promoverunt eos dominus Symon de Longeton, archidiaconus Cantuariae, et dominus Henricus de Sandwyg [7], nobilis quoque comitissa, domina Inclusa de Hakington, quae sicut mater filios, sic fovit eos in omnibus, principum et praelatorum, quorum [8] gratiam incomparabiliter consecuta fuerat, favorem sibi sagaciter acquirendo.

Londoniae autem hospitatus est fratres dominus Iohannes Ywin [9], qui emptam pro fratribus aream communitati civium appropriavit, fratribus autem usufructum

1 Cod. C *inventam mox cocleam.*

2 Cod. C *poterit*, et mox post *Gregorium* addit *nonum* et scribit *Barlette* pro *Barlete*. Denique ed. Ho. *sociis suis praedicens* pro *socii sui mortem praecedens.*

3 Cod. C *Redinges*, et deinde *Oseneyae* pro *Osengyae*, et *Parisius* pro *Parisiis*.

4 Cod. C *Mert*, et deinde *Rex* pro *Roy*.

5 Cod. C *depressionem.*

6 In ed. Br. et cod. A hic non incipit nova collatio, unde deest titulus, et in omnibus collationibus sequentibus differt numerus earum.

7 Cod. C scribit *Sandwych*, et postea ed. Br. *Baginton*. Teste Howlett *Hackington* est locus prope Canterbury.

8 Ed. Br. *quoque.*

9 Cod. C *Iwun:* et postea *ingressus religionem* pro *Ordinem ingressus*.

eiusdem pro libitu dominorum devotissime designavit; postea vero ipse ut laicus Ordinem ingressus, perfectissimae poenitentiae et summae devotionis nobis exempla reliquit. Ampliavit autem aream dominus Iocius, filius Petri, cuius filius optimae indolis Ordinem postea devotus intravit et devotior perseveravit in finem. Capellam vero aedificavit sumptibus propriis dominus Willelmus Joyemer, et ad alias domos construendas circiter ducentas libras per vices contulit, et indefesse usque ad mortem in spiritualitate[1] fratrum, continuis eos beneficiis visitans, perduravit. Ad infirmariam vero construendam contulit centum libras in obitu suo dominus Petrus de Oliland[2]. Aquaeductum procuraverunt praecipue et mutuis collationibus dominus Henricus de Frowye, et optimae conversationis adolescens, Salekinus de Basing, cooperante tamen amplissime munificentia regia. Alia quoque, tam[3] in aedificiis quam in libris quam etiam in areae ampliatione et aliarum necessitatum sublevatione, tot et tanta et tam multiplicia[4] beneficia, omnibus mortalibus admiranda, tempore meo vidi Londoniae ab ipso dulcissimo Iesu fratribus provideri, ut merito ab ipsis specialiter supra ceteros amari et honorari debeat idem[5] et aeternum.

Oxoniae primo[6] recepit fratres Robertus le Mercer et locavit eis domum, in qua intraverunt Ordinem multi probi baccalaurei et multi nobiles. Postea conduxerunt domum quandam in area, in qua sunt modo, a Richardo le Muliner, qui infra annum contulit aream et domum quandam communitati villae ad opus fratrum. Fuit autem area ipsa[7] brevis et arcta nimis.

Cantabrigiae primo receperunt fratres burgenses villae, assignantes eis veterem synagogam, quae erat contigua carceri. Cum vero intolerabilis esset vicinia carceris fratribus, quia eundem ingressum habebant carcerarii et fratres, dedit dominus Rex decem marcas ad emendum reditum, quo[8] satis fieret scaccario suo pro reditu areae, et sic aedificabant fratres capellam ita pauperrimam, ut unus carpentarius in una die faceret et erigeret una die xiv coplas tignorum. In festo autem sancti Laurentii, cum non essent nisi tres fratres clerici, scilicet frater W. de Esseby et frater Hugo de Bugeton, et novitius nomine frater Helias, qui tam claudus erat, ut portaretur in oratorium, cantaverunt officium solemniter cum nota, et in tantum flevit novitius, ut aperte per vultum canentis currerent lacrymae. Igitur cum sanctissime mortuus esset apud Eboracum, apparuit fratri W. de Esseby apud Northamptonam et quaerenti, quomodo se haberet, respondit: « Bene me habeo; ora pro me ».

Apud Slopisbyriam[9] dedit aream fratribus dominus Rex; ecclesiam vero aedifi-

---

[1] Id est, ut *amicus spiritualis fratrum*, cum Regula S. Francisci cap. IV. loquatur de *amicis spiritualibus*, ad quos fratres pro sublevanda necessitate recurrere possint.

[2] Cod. C *Eliland*, deinde *Frowyk* pro *Frowye* et *Basinges* pro *Basing*.

[3] Ed. Br. omittit *tam* et perperam ponit *tum... quum* pro *quam... quam*.

[4] Ita cod. C; ed. Br. *tot et tam multiplicata beneficia*.

[5] Cod. C *et idem*.

[6] Ita cod. C; ed. Br. *porro*.

[7] Cod. C omittit *ipsa* et paulo superius post *domum* omittit *quandam*.

[8] Ita cod. C; ed. Br. perperam *quod;* pro *reditu* codd. habent *redditum*, aliter autem edd. Paulo inferius cod. C omittit *unus* ante *carpentarius*.

[9] Cod. C *Salopisburi* (intellige: Shrewsbury).

cavit burgensis quidam nomine Richardus Pinde[1], ceteras officinas Laurentius nomine; et muros lapideos dormitorii, decernente sic ministro, fratre scil. Willelmo, pro zelo paupertatis amovit et luteos fecit cum mirabili devotione et mansuetudine et permagnis sumptibus.

COLLATIO V. (alias IV.).

Primitiva pietas fratrum. Silentium. Orationes[2].

Primitias autem[3] Spiritus habentes fratres illius temporis, non humanis constitutionibus, sed liberis suae devotionis affectionibus, regula tantum contenti et paucissimis aliis statutis, quae post confirmationem regulae eodem anno primitus emanaverant, Domino serviebant. Haec fuit autem prima constitutio, quam sanctus Franciscus fecit post regulam bullatam, sicut dixit bonae memoriae frater Albertus, scilicet quod fratres inter saeculares non comederent, nisi tres bolos carnis[4] propter observationem sacrosancti Evangelii; quia venerat ad eum rumor, quod fratres avide comedebant. Fratres igitur silentium usque ad tertiam tenere consueverunt et in oratione tam assidui esse, ut vix esset per totam noctem aliqua hora, in qua non esset aliquis in oratione in oratorio. In praecipuis quoque solemnitatibus[5], tanto fervore cantaverunt, ut per totam noctem nonnunquam durarent vigiliae; et cum non essent nisi tres vel quatuor aut ad multum sex, cum nota solemniter cecinerunt. Tantaque fuit simplicitas eorum tantaque puritas, ut de pollutione nocturna in capitulo[6] coram omnibus dicerent culpas suas. Inoleverat etiam inter eos tam religiosa consuetudo, ut nihil penitus iurarent, sed simpliciter dicerent: « Sciatis ». Quam cito quisquam eorum vel a superiore vel a socio fuisset increpatus[7], statim respondit: « Mea culpa », et frequenter etiam prostratus. Unde magister Praedicatorum bonae memoriae frater Iordanus dixit, quod diabolus, cum[8] aliquando ei apparuisset, dixerat ei, quod « mea culpa » abstulit sibi omne, quod lucrari credidit inter fratres Minores, quia scilicet dicebant culpas suas[9] invicem, si quis alium offendisset. Fuerunt tamen fratres omni tempore inter se ita iocundi et laeti, ut vix in aspectu mutuo se temperarent a risu. Unde cum fratres iuvenes Oxoniae nimis frequenter riderent, iniunctum fuit cuidam, ut quoties rideret in

---

[1] Cod. C *Pride,* et addit *proinde;* porro habet *Laurentius Cox* pro *Laurentius nomine.* Denique ante finem collationis ed. Br. omittit *devotione* post *mirabili.*

[2] Titulus in cod. C est: *De primitiva puritate fratrum.*

[3] Ed. Br. *etiam,* et paulo inferius omittit *primitus* ante *emanaverant.*

[4] Ed. Br. perperam sic: *nisi tantum tres bolos continuos.* Paulo inferius cod. C *observantiam* loco *observationem.*

[5] Ita cod. C; ed. Br. *solempnibus,* quae paulo inferius male omittit *non* ante *essent:* et postea ante *cum nota* addit *ita* (tamen ?); denique habet *ut multum* pro *ad multum.*

[6] Ed. Br. perperam *capella;* et paulo inferius *Inoleverat enim* pro *Inoleverat etiam.*

[7] Ed. Br. perperam *interrogatus.*

[8] Ita codd. A C, sed ed. Br. perperam *ei,* omittendo *cum,* et deinde *et dixit* pro *dixerat ei.*

[9] Ed. Br. falso *meas,* et infra *mutus se temperaret* pro *mutuo se temperarent.*

choro vel in mensa [1], toties reciperet disciplinas. Accidit autem, ut cum undecim disciplinas in una die recepisset, nec tamen posset se a risu continere, visum fuerit ei quadam nocte, quod totus conventus more solito stetit in choro, et tentabantur [2] fratres ridere more solito; et ecce crucifixus, qui stetit ad ostium chori, convertit se ad eos quasi vivus, et ait: « Filii Corae sunt, qui in hora cantus rident et dormiunt ». Videbatur etiam ei, quod crucifixus nitebatur extrahere manus suas [3] a patibulo, quasi volens descendere et recedere; et ecce custos loci statim ascendit et confirmavit clavos, ita quod non descendit. Hac igitur visione publicata territi, fratres maturius et sine riso notabili se gerebant. In tantum autem veritatem zelabant, ut vix hyperbolice aliquid loqui auderent, vel etiam propria delicta, cum tamen se puniendos scirent, si confiterentur, celarent.

In locis vero [4] capiendis, vel moram faciendo in iam captis, nulla fuit eis difficultas, vel aliis quibuscumque qualitercumque exsequendis, dummodo scilicet a suo superiore scirent ordinatum. Unde accidit, ut in locis, qui desolatorii tunc temporis dicerentur, fratres tam nobiles genere quam aliis conditionibus in saeculo spectabiles et in Ordine gratiosissimi sine querela se poni permitterent. Hoc solum suavissimum cordis eorum contristare videbatur affectum, quod ab invicem separari oportebat. Unde frequenter usque ad partes remotas fratres recedentes conducebant, et effusis abunde [5] in recessu lacrymis affectionis fidem mutuo demonstrabant.

COLLATIO VI. (alias V.).

Praedicatorum promotio. Haymo de Faversham.

Licet [6] autem fratres summae simplicitati et conscientiae puritati summopere studerent in omnibus, in audienda tamen lege divina et scholasticis exercitiis ita fuerunt ferventes, ut scholas theologiae, quantumcumque distarent, adire quotidie nudis pedibus in frigoris asperitate et luti profunditate non pigrarentur. Unde, cooperante gratia Spiritus sancti, ad officium praedicationis infra breve tempus plures promoti sunt. Inter quos primus exstitit bonae memoriae frater Hugo de Baldoc [7], frater quoque Philippus de Longeton, et frater Willelmus de Esseby, qui non solum sermone, sed in exemplificata devotione verbum Dei tam populo quam clero praedicaverat.

Promovit autem plurimum praedicantes et auctoritatis eis et famae fomenta praebuit adventus fratris Haymonis de Faversham, qui cum tribus aliis magistris apud

---

[1] Ed. Br. perperam omittit *in choro vel in mensa*, et deinde ponit *nullas* loco *undecim*.

[2] Ed. Br. falso *templabant*, refragante cod. C.

[3] Ed. Br. omittit *suas*.

[4] Ed. Br. omittit *vero*, et deinde *eis* ante *difficultas*, et inferius post *quibuscumque* perperam addit *locis vel*.

[5] Ed. Br. omittit *abunde* refragante cod. C.

[6] Titulus in cod. C *De promotione praedicatorum*; deinde iste cod. incipit ut in textu: ed. Br. *Quum fratres autem*.

[7] Cod. C *Baldac*, et deinde *Londonia* pro *Longeton*.

sanctum Dionysium in die Parasceves Ordinem[1] sacerdos et famosus praedicator intravit. Hic enim, cum adhuc saecularis esset, usus est cilicio usque ad poplites et alia plurima poenitentiae excellentissima monstravit exempla. Unde ita debilis et delicatus ad ultimum factus est, ut vix, nisi mollibus uteretur et calidis, vivere posset[2]. Accidit autem ei visio talis, cum[3] scilicet esset Favershamiae et oraret in ecclesia coram Crucifixo; et ecce descendit chorda de caelo, et ipse accepit eam et tenuit, et ita tractus est per eam in caelum. Cum vidisset ergo fratres Minores Parisius[4] memor istius visionis resumpsit vires, et erigens se contra se, socium suum magistrum Symonem de Sanwyz[5] et duos alios famosos [magistros] sagaciter induxit, ut, ipso celebrante missam, ipsi a Domino Iesu Christo peterent, quid sibi consultius foret ad salutem. Cumque simul omnibus Minorum professio complaceret, accesserunt, ad maiorem securitatem, ad sanctae memoriae fratrem Iordanum, magistrum Ordinis Praedicatorum, et obligaverunt eum in animam suam, ut eis[6] consilium suum fideliter daret. Qui, sicut erat veraciter inspiratus, consilio suo conceptum propositum confirmavit. Accesserunt ergo quatuor isti ad ministrum, fratrem scilicet Gregorium de Neapoli, et ab eodem recepti[7], apud S. Dionysium, postquam frater Haymo praedicaverat in die Parasceves de hoc versu: *In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati*, cum gaudio magno induti sunt. In die vero Paschae, cum videret[8] frater Haymo tam numerosum populum in parochia, in qua fratres audiebant divina (non enim habebant adhuc cantariam), dixit custodi, qui erat laicus, Vincentius[9] nomine, quod, si auderet (?), libenter praedicaret populo, ne forte communicarent in mortali. Iniunxit ergo ei custos ex parte Spiritus sancti, ut praedicaret. Praedicavit ergo ita motive, ut multi differrent communicare, quousque fuissent ei confessi. Sedit igitur tribus diebus in ecclesia et audivit confessiones et confortavit non mediocriter populum.

Itaque[10] ut prius dictum est, postquam venerunt fratres in Angliam, venit et ipse, et tam in praedicationibus quam in disputationibus et praecipue in praelatorum favore plurimum simplicitati primorum fratrum contulit. Fuit enim ita gratiosus et eloquens, ut etiam adversantibus Ordini gratus et acceptus existeret. Unde primo custos Parisius, postea lector Turonis et Bononiae et Paduae positus est. In legationem quoque in Graeciam ad Vatatium[11], una cum bonae memoriae fratre Radulpho *(sic)*

---

[1] Codd. *Ordine*.

[2] Ita cod. C; ed. Br. *nisi in assatis resceretur et calidis, rivere non posset.*

[3] Cod. C *quod*, et infra ante *Crucifixo* addit *Christo*.

[4] Ed. Br. omittit *Parisius*, et paulo superius *ergo*.

[5] Cod. C *Sandwyz*.

[6] Ed. Br. *sibi*.

[7] Utraque ed. perperam addit (intra *uncinos*) *sunt*, quod deest in codicibus, sed cod. A infra omittit *consolati*, et falso adiicit *qui*.

[8] Ed. Br. *viderat*, et infra *parochiam* pro *parochia*.

[9] Ed. Ho. *Beneventanus*, sed legendum videtur in cod. C *Benevenutus*.

[10] Cod. C *Iste, ut praedictum est, primo quando venerunt.*

[11] Utraque editio perperam *Natatium*. Nam imperator Graecus Ioannes II. Vatatzes, gener Theodori Lascaris, fratribus Minoribus usus est, ut cum Summo Pontifice unionem faceret.

de Remis, a piae memoriae papa Gregorio missus est. Hic[1] fratrem Gregorium de Neapoli Parisius ministrum Franciae, meritis suis exigentibus, a ministerio fecit amoveri, et iusto Dei iudicio, solutis his quos ipse immerito[2] incarceraverat, fecit incarcerari. Fratrem quoque Heliam, qui minister generalis erat, propter scandala, quae fecit, et tyrannidem, quam in zelatores Ordinis exercuit[3], in praesentia patris nostri papae Gregorii, appellantibus, procurante eo, contra ipsum plurimis provinciis, miro Dei favore deiecit. Quis vero de suis meritis praesumere, quis de se tutus esse possit, cum tales personas ad tantam calamitatem pervenisse cognoverit[4]? Quis enim Gregorio in praedicatione vel praelatione in Universitate Parisius vel clero totius Franciae comparabilis? Quis in universo christianitatis orbe vel gratiosior vel famosior quam Helias? Et tamen unus in fine meruit perpetuum carcerem, alius propter inobedientiam et apostasiam suam summi Pontificis excommunicationem. Utrumque tamen, licet[5] sero, poenituit.

Venit autem cum fratre Haymone in Angliam bonae memoriae frater Willelmus de Colville, senior, summae simplicitatis et eximiae caritatis vir; cuius germana postmodum in ecclesia cathedrali Cycestre[6] pro castitate servanda saevissime iugulata est. Iuvenis enim quidam, qui ob eius pulcritudinem diu desideraverat, ut eam solam posset invenire et ad amplexus amoris inducere[7], cum nullo ingenio posset eam inclinare: quam maligna sit carnalis dilectio, ipsam in ecclesia perimendo probavit. Inter carnaliter se amantes frequenter tantum in fine oritur odii, quantum prius erat amoris.

Postea venerunt in Angliam plures alii fratres probissimi[8] de Anglia oriundi, qui Parisius intraverant, quos adhuc existens in habitu saeculari ipse vidi: frater scilicet Richardus[9] Rufus, lector egregius, qui postea zelo reformandi Ordinem contra fratrem Heliam pro Francia profectus est ad curiam cum fratre Haymone. Qui et narravit, quod quidam novitius retulit ei, quod cum continua siti laboraret nec posset dormire de nocte, apparuit ei vir[10] quidam speciosus in habitu fratrum et praecepit, ut surgeret et sequeretur se; quod cum fecisset, duxit eum in locum amoenissimum et introduxit eum in pulcherrimum palatium et dedit ei bibere potum suavissimum et dixit ei: « Fili[11], quotiescumque sitieris, venias huc ad me, et dabo tibi bibere ». Et quaesivit novitius, quis esset; qui dixit, se esse fratrem Franciscum. Exinde ad se reversus novitius nullam penitus de cetero sitis tentationem sustinuit;

---

[1] Ed. Br. omittit *Hic*.

[2] Cod. C *iniuste*, et infra *relevari* loco *incarcerari*.

[3] Cod. C *exercuerat*. Deinde sequimur in textu formando cod. C, omittendo verba cod. A *in Angliam socius* (ed. Br. intra uncinos addit *missus*); pro *praesentia* utraque ed. *praesentiam*, contradicente cod. C, denique pro *deiecit* ed. Br. *prodeiecit*.

[4] Ed. Br. *devenire cognorit*.

[5] Ed. Br. perperam *hoc*.

[6] Cod. C *Cicestriae*.

[7] Ed. Br. *induceret*, et infra *odium* pro *odii*, refragante cod. C.

[8] Cod. C *probatissimi*.

[9] Ita cod. C, ed. Br. falso *Nicolaus*.

[10] Cod. C omittit *vir*, et post *sequeretur* ponit *se*, ubi ed. Br. *eum*.

[11] Ed. Br. *Frater*.

sed evigilans tam corde quam corpore se refocillatum et confortatum persensit[1]. Venit et tunc temporis frater Radulphus de Rosa, qui ob eximiam gratiam praedicationis domino regi Angliae familiarissimus effectus, fine suo probavit, quam inimica sit Deo huius mundi amicitia, et quam contrarium puritati Ordinis Minorum fratrum, magnatum[2] magnificari favoribus et in curiis principum continue commorari. Venit quoque frater Henricus de Burforde, qui cum adhuc novitius esset et cantor fratrum Parisius, contra tentationes, quas sustinuit, versus istos in meditatione composuit:

Qui Minor es, noli ridere; tibi quia soli
Convenit ut plores; iungas cum nomine mores.
Nomine tu Minor es, minor actibus esto, labores
Perfer, et ingentem nuntiat[3] patientia mentem.
Nempe cor obiurgat pernam, patientia purgat,
Si quidquam faecis[4] est; si quis te corripit, is est,
Qui te custodit; non te, sed quod facis, odit.
Quid tibi cum vili veste, cibo, quoque cubili
Porcorum[5]? Certe, tu singula perdis aperte,
Si mentitus eris factis quod veste fateris.
Umbra Minoris erit, qui nomen re sine quaerit.

Hic postea pro magna honestate sua quatuor ministrorum generalium et quatuor provincialium in Anglia socius specialis esse meruit. Hic etiam diu Patriarchae Antiocheni[6] in legatione sua in Lombardia primo interpres et praedicator exstitit et post domini papae Gregorii Noni poenitentiarius, custos quoque Venetiarum, et custodis Londoniae quoque vicarius.

Venit et tunc frater Henricus de Reresby, qui postea fuit datus in ministrum Scotiae, cum esset vicarius custodis Oxoniae, sed praeventus fuit morte. Qui apparuit post mortem suam custodi Oxoniae[7], dicens, quod, si non damnarentur fratres pro excessu, quem facerent in aedificiis, graviter tamen puniebantur; et addidit, quod, si fratres bene dicerent divinum officium, essent oves Apostolorum.

Venit quoque in Angliam tunc temporis frater Martinus de Barton[8], qui beatum Franciscum frequenter videre meruit; qui postea vicarius fuit ministri Angliae et in

---

[1] Ed. Br. *persentit.*

[2] Cod. C *magnificari magnorum favoribus.* Deinde pro *Burforde* habet *Burford.*

[3] Ita cod. A (*nuntiat,* id est manifestat), ed. Br. minus apte *vincat,* ed. Ho. *minuat* et in versu sequenti coniectando parum probabiliter *poenam,* cum uterque cod. et ed. Br. habeant *pernam.* Non facile indagari potest, quae sit vera lectio et qui sit sensus. *Perna* est coxa suis salita et cibus multis gratus.

[4] Ita cod. C; ed. A *facis;* utraque ed. ponit signum interpunctionis (;) post *facis* vel *fecis.* Sed sensus videtur esse: si quidquam *faecis* sive immunditiae in te est etc.

[5] Ita codd. et ed. Ho., sed ed. Br. *Peccator.* Deinde ed. Ho. pro *singula* coniiciendo non bene posuit *symbola.* In fine ultimi versi ed. Br. falso *qui nulla re sua quaerit.*

[6] Ita cod. C; ed. Br. *Antiocheno.*

[7] Cod. C omittit *Oxoniae,* et deinde ponit *licet non* pro *si non.*

[8] Cod. C *Bartona;* paulo inferius ante *multis* ed. Br. omittit *in.*

multis aliis officiis optime se habuit. Ipse narravit, quod in capitulo generali, in quo praecepit sanctus Franciscus destrui domum, quae fuerat aedificata propter capitulum, fuerunt quinque milia fratrum. Frater vero suus secundum carnem fuit seneschallus capituli et defendit[1] domum ex parte communitatis. Per ipsum scripsit sanctus Franciscus propria manu litteram, sub divo in pluvia non madefactus, ministro et fratribus Franciae, ut visis litteris iubilarent, laudes[2] divinae Trinitati dicentes: « Benedicamus Patrem et Filium cum Spiritu sancto ». Eodem quoque die pater idem fratrem, qui in puteum profundum ceciderat, fugiens, audito rumore, in ecclesiam, fusa oratione illaesum servavit. Dixit quoque, quod frater quidam, qui stetit in oratione Brixiae in die Natali Domini, in terrae motu[3], quem praedixerat sanctus Franciscus et per omnes scholas Bononiae per fratres praedicari fecerat, per litteram, in qua fuit plurimum Latinum[4], et ecclesia corruit, sub ruina lapidum illaesus inventus est. Hic terrae motus ante guerram Frederici per continuos XL dies factus est, ita ut moverentur omnes montes Lombardiae.

Venit quoque in Angliam frater Petrus Hispanus, qui fuit postea guardianus Northamtonae, qui lorica utebatur ob carnis illecebras edomandas.

Hic novitium quendam in conventu suo habuit, qui tentabatur exire Ordinem, a quo tandem vix obtinuit, ut ad ministrum secum ire vellet. Cum igitur incederent per viam, incepit frater Petrus praedicare ei de virtute sanctae obedientiae; et ecce avis quaedam silvestris praecessit eos ambulans[5] in via. Dixit ergo novitius[6], Stephanus nomine, ad fratrem Petrum: « Pater, si sic est, ut dicis, praecipe per virtutem obedientiae, ut capiam avem hanc silvestrem, ut ipsa expectet me ». Qui cum sic fecisset, statim stetit avis, et accessit novitius et tenuit eam et tractavit, sicut voluit; et statim sedata est omnis tentatio sua, et immutavit ei Deus cor aliud, et rediit statim Northamtonam et professus est perseverare, et postea factus est praedicator egregius, sicut ipse vidi.

COLLATIO VII. (alias VI.).

Divisio Angliae in custodias.

Post hoc multiplicatis iam locis, et fratribus tam meritis quam numero de die in diem multipliciter dilatis, visum fuit expediens, provinciam per custodias dividi. Divisa est igitur provincia in primo capitulo provinciali Londoniae [in custodias], quarum quaelibet singulari sanctitate pollebat. In custodia quippe Londoniae, cui praefuit frater Gilbertus, cui beata Virgo in obitu suo apparuit, praecipue viguit

---

[1] Ita cod. C; ed. Br. falso *descendit*.

[2] Ita cod. C; ed. Br. omittit *laudes*.

[3] Ed. Br. *tremore* pro *terrae motu*, refragante cod. C.

[4] Locus, ut videtur, corruptus, ita est in utraque ed.; sed in cod. C secundum Ho. potius legendum *falsum* (fictum?) *Latinum* pro *plurimum Latinum*. Pro *sub ruina* ed. Br. perperam *ob ruinam*.

[5] Ed. Br. *ambulantes*.

[6] Hoc loco explicit fragmentum chronicae, ex cod. C editum in tom. II. operis *Monumenta Franciscana*.

fervor et reverentia et devotio in divino officio. In custodia Oxoniae, cui praefuit frater Willelmus de Esseby, praecipue viguit studium. In custodia Cantebrigiae, cui praefuit frater Richardus de Ingewrth, praecipue viguit paucilitas pecuniae, in tantum, ut usque ad id temporis, quo visitavit frater Albertus Angliam, non uterentur fratres illius custodiae mantellis, sicut pater idem retulit. In custodia Eboraci, cui praefuit frater Martinus de Barton, viguit zelus paupertatis; non enim permisit, ut essent plures fratres in aliquo loco, quam quot possent mendicitate sola, sine debitis, in victualibus exhiberi. In custodia Sarisburiensi, cui praefuit frater Stephanus, praecipue viguit mutuae dilectionis affectus. Ipse siquidem tantae fuit suavitatis tantaeque iocunditatis et tam eximiae caritatis et compassionis, ut nullum permitteret pro posse suo contristari. Unde cum mori debuisset, et offerretur ei hostia salutaris, vidit ostium in hostia, per quam intrare deberet, et sic cantans alta voce: « Salve, Regina misericordiae », apud Sarum feliciter obiit. In custodia Wygorniae, cui praefuit frater de Leycestria, praecipue viguit primitiva simplicitas; nam et ipse, corpore quidem pusillus, sed corde magnanimus, summae simplicitati semper studuit et plures simplices ad Ordinem promovit. Tandem cum clamore valido et lacrymis sanctam et simplicem animam suam apud Wygorniam Domino commendavit.

In custodia Oxoniae, cui praefuit per XII annos frater Petrus, non sunt fratres usi pulvinaribus usque ad tempus fratris Alberti ministri. Unde cum diceret frater Albertus in capitulo, quod fratres monticulos sibi indecenter fecerunt ad caput suum sublevandum, respondit custos, quod satis scirent fratres esse carnales, nec oporteret eis hoc dicere. Sed nec pedulibus utebantur fratres nisi infirmi vel debiles, et hoc de licentia. Accidit autem, ut bonae memoriae frater Walterus de Madele duos pedules inveniret, et cum iret ad matutinum, calcearet se. Stetit ergo in matutinis, ut sibi visum erat, sic ut melius se habens, quam consueverat. Postea vero, cum venisset ad lectum suum et quiesceret, visum fuit ei, quod transire debuit per passum quendam periculosum inter Oxoniam et Gloverniam *Boysalym*, ubi consueverunt esse praedones, et cum descenderet in vallem profundam, accurrerunt clamantes ex utraque parte viae dicentes: « Occidite, occidite »! Territus ergo nimis dixit, se esse fratrem Minorem. At illi dixerunt: « Mentiris; non enim incedis discalceatus ». At ille secundum consuetudinem credens se esse discalceatum, dixit: « Immo, discalceatus incedo »; cumque confinenter pedem protulisset, reperit se calceatum coram iis dictis soccis; et prae nimia confusione statim a somno solutus, proiecit soccos in mediam aream.

COLLATIO VIII. (alias VII.).

De capitulo visitatorum.

Factum est autem post haec, ut mitterentur speciales visitatores in Angliam, qui causa visitationis capitula celebrabant. Primus autem visitator Angliae fuit frater Willelmus de Colvile senior, qui capitulum suum celebravit Londoniae sub fratre Agnello, ubi dominus W. Joymer capellam suis sumptibus aedificavit, et tunc temporis introitum in eandem cum memorabili gloria celebravit. Post haec venit

frater Iohannes Naverius[1], qui tunc primo portavit expositionem regulae secundum dominum Gregorium nonum; qui Londoniae et Leycestriae et Bristolliae similiter etiam fratres novitios in maxima multitudine sub fratre Agnello visitationis gratia convocavit. Et quidem tam arcta exstitit tunc conscientia fratrum in aedificiis construendis et picturis habendis, ut propter fenestras capellae in loco Gloverniae .... [2] constitueret, et propter pulpitum, quod frater quidam depinxerat, sibi capucium auferret; guardiano quoque loci idem fecit, quod picturas toleraverat. Tertius autem visitator venit a latere Generalis ministri fratris Heliae, sub fratre Alberto, frater Wygmundus Alemannus, vir valde famosus in peritia iuris et morum honestate conspicuus et domino Ottoni cardinali, qui tunc legatus erat in Anglia, familiarissimus. Hic tam districtam[3] formam et tam exquisitam a ministro Generali acceperat, et praecipue ut excommunicati essent de facto quicunque sibi quocumque modo celarent aliqua, vel dicta revelarent; a qua sententia nullus absolvere posset nisi ipse; insuper et omnes accusationes ad ministrum Generalem deportaret: quod tanta fuit vero conturbatio fratrum, qualis nunquam in Ordine fuerat. Convocatis enim fratribus Londoniae, Suthamtoniae, Gloverniae et Oxoniae, in multitudine nimia et ultra modum id (sic!) morantibus per mutuas accusationes, item per suspiciones saecularium foris, intolerabilis subito per totam provinciam tempestas orta est. Tandem visitatione utcumque completa, statim celebratum est provinciale capitulum Oxoniae, et contra fratrem Heliam unanimiter appellatum propter visitationem. Verum potestatem habuit visitator et in mandatis acceperat, ut alia quaedam faceret, quae cederent in notabile gravamen fratrum. Divertit ergo in provinciam Scotiae, et convocato capitulo, voluit visitare. Fratres autem formaverunt appellationem suam et formatam proposuerunt dicentes, se esse auctoritate capituli generalis a ministro Hyberniae visitatos, nec aliam visitationem se velle recipere. Ergo omnibus turbatis, turbatus et ipse non modicum, rediit in Alemanniam, secum habens seriem suae visitationis. Frater autem W. de Esseby, quem visitandi gratia miserat in Hyberniam, omnibus nequiquam peractis, profectus est ad eum Coloniam. Igitur cum venissent fratres Romam, mox petiverunt, ut fratres de cetero in suis locis visitarentur per capitulum generale, secundum quod se habet constitutio de visitatoribus. Dixit vero frater Arnulfus poenitentiarius Domino Papae, quod si diabolus fuisset incarnatus, non invenisset subtiliorem et fortiorem laqueum ad illaqueandas animas, quam fuit illa visitatio.

In capitulo visitationis fratris Willelmi de Colvile praedicavit quidam contra contractionem debitorum et dixit, quod ita fuit de procuratoribus, sicut fuit de quodam sacerdote, qui consuevit singulis annis facere festum sancti Nicolai. Et ecce! contigit ut fieret ita pauper, quod non potuit consuetum convivium celebrare, et instante ipso die, cum pulsaretur matutinus, iacuit in lecto suo et cogitavit, pulsante campana prima et respondente: *Io ke fray; Io ke fray*, et pulsante secunda et respondente: *A crey, A crey;* et cum cogitaret unde solveret, pulsabant ambae, et videbatur ei, quod dicerent, *Ke de un, ke de el; Ke de un, ke de el.* Et surgens fecit festum ex mutuo. Et approbatus fuit sermo a capitulo.

---

[1] Huius nominis lectio incerta est.

[2] Verba haec legi non potuerunt. Ed. Br. false sigla interpretando habet *maximam vim.*

[3] Codd. perperam *discretam.*

In capitulo visitationis fratris Wygredi accusatus fuit multipliciter sanctae memoriae frater Eustachius de Merc, tunc temporis guardianus [Oxoniae], et per diem et dimidium exclusus a capitulo. Alius autem quidam, de quo minus credebatur, statim fuit sanctificatus; et ait frater ille: « O me miserabilem! Ille homo tam famosae sanctitatis et tam probatae religionis et praecipuae discretionis ita visitatus est; et ego sic evasi! Quis dabit de cetero quidquam de iudiciis hominum »?

COLLATIO IX. (alias VIII.).

Divisio in administrationes[1].

Tempore vero non modico post adventum fratrum in Angliam evoluto, demandatum est a ministro Generali fratre Helia, ut provincia Anglica[2] divideretur in duas; ut esset scilicet una Scotiae et alia[3], ut prius, Angliae nominata. Voluit enim, ut dicebatur, quod sicut Ordo Fratrum Praedicatorum XII habet Priores provinciales in toto orbe, vice XII Apostolorum, sic et ipse sub se haberet septuaginta duos ministros, vice septuaginta duorum discipulorum. Factus est minister Provincialis Scotiae frater Henricus de Reresby; sed antequam venisset[4] ad ipsum obedientia, mortuus erat. Successit igitur ei frater Iohannes de Kethene, guardianus Londoniae, qui omnia loca ultra Eboracum capi fecit; qui, postquam[5] plures personas honestas et utiles ad Ordinem recepit, hic praecipuum zelum in divino gerens officio devotionis exemplar semetipsum exhibuit. Hic venerabilem patrem nostrum fratrem Albertum in loco Leycestriae cum debita reverentia recepit, et ab eo fratribus exponi regulam[6] humiliter imploravit. Igitur cum per plures annos provinciam Scotiae probabiliter rexisset, reconiuncta provincia Angliae, a ministro Generali fratre Alberto minister Hyberniae creatus est. Ipse quoque, quod dignum memoria duxi, in capitulo generali Ianuensi bonae memoriae fratri Willelmo de Notingham, ministro Angliae, una cum fratre Gregorio de Bossellis, constanter astitit; ubi fere contra totum capitulum generale causam feliciter obtinuit, ut privilegium indultum a Domino Papa de recipienda pecunia per procuratores penitus destrueretur; et expositio regulae secundum dominum Innocentium quantum ad ea, in quibus laxior est[7] quam

---

[1] Hic incipit fragmentum in cod. B, qui etiam, ut cod. C, hanc collationem numerat ut *nonam*.

[2] Ed. Br. *Anglicana*, refragante cod. B, ut testatur imago huius paginae arte lithographica expressa (fac-simile) et eidem editioni (notata littera C) adiuncta, cuius verba abbreviate scripta iuxta regulas paleographiae interdum aliter interpretari debuimus, quam editor intellexit. Plerumque autem has nostras lectiones meliores esse quam textus editionis, lector prudens vix negabit.

[3] Ita cod. A et etiam B (secundum nos); ed Br. autem *altera*.

[4] Cod. A habet *venisset;* cod. B *conveniret ad ipsum obedientia;* ed. Br. perperam *conveniret ad ipsam obeundam;* paulo inferius cod. A *Ketene* pro *Kethene*.

[5] Ita manifeste cod. B; ed Br. *in quibus plures utiles personas et honestas... recepit. Hic* loco: *Qui postquam plures* etc.

[6] Ed. Br. *regulas,* refragante cod. B.

[7] Ed. Br. *esset,* contra cod. B.

Gregoriana, suspenderetur. Ipse quoque verbum fecit pro reconciliatione fratris Heliae inter omnes definitores generales[1], ubi et obtinuit, ut moneretur per fratres, ut ad obedientiam Ecclesiae et Ordinis redire non differret. Ipse praeterea in promovendo studio tam studiosus erat, ut bibliam unam glossatam totaliter Parisius emi faceret et in Hyberniam deportari. Ipse postremo in consolandis fratribus tam sedulus erat, ut plures ad eum in aliis Provinciis desolati confugerent et secum proficere viderentur. Quum igitur circiter xx annos minister extitisset, in capitulo Metensi, in quo et frater Willelmus minister Angliae absolvebatur, absolutus est.

Incidens. Tempore fratris Iohannis mandavit frater Helias, ut fratres ipsi lavarent femoralia sua; laverunt ergo fratres administrationis Angliae, secundum quod mandatum fuerat; fratres autem administrationis Scotiae rescriptum suum expectaverunt.

Incidens. In absolutione fratris Heliae provisum fuit, ut tantum triginta duae administrationes essent in Ordine, xvi scilicet ultra montes et xvi citra; quia scilicet cum electio ministri Generalis ad solos pertineat ministros et custodes, si tot essent voces in electione vel definitione, cum multitudo causa confusionis sit, vix expediri posset aliquid, quod consensum tot personarum requireret[2].

COLLATIO X. (alias IX.).

De mutatione locorum et ampliatione.

Crescente indies numero fratrum, non potuerunt[3] sufficere multitudini domus et areae, quae suffecerant paucitati; praeterea, per providentiam Dei, tales intrabant[4] frequenter personae, quibus videbatur, et iure, honorificentius providendum. In nonnullis quoque locis ita inconsiderate se collocaverat fratrum simplicitas, ut non areas ampliari, sed ex toto domos amoveri oporteret. Hinc factum est, ut, vivente adhuc bonae memoriae fratre Agnello, multa fieret tam domorum quam locorum ampliatio. Veruntamen tantus erat zelator paupertatis, ut vix permitteret, vel ampliari areas vel domos aedificari, nisi secundum quod exegit inevitabilis necessitas. Sic evidenter patuit in infirmaria Oxoniae, quam construi fecit ita humilem, ut altitudo murorum altitudinem viri non multum excederet, et usque ad tempus fratris Alberti domus ipsa diversorio careret. Similiter dormitorium Londoniae, persistente tecto immobili, muris lapideis, amoto luto, fecit stabiliri. Igitur sub fratre Alberto mutatus est locus Northamtonae, et similiter locus Wygorniae et locus Herfordiae.

Sub fratre Haymone quoque in nonnullis locis facta est arearum ampliatio; dixit enim, quod maluit, quod fratres haberent amplas areas et colerent eas, ut habere possent pulmentaria domi, quam ab aliis ea mendicarent. Istud dixit occasione ampliationis areae Gloverniae, quam prius[5] per definitionem fratris Agnelli

---

[1] Ed. B. *generalis capitulis et obtinuit,* sed teste editore etiam cod. A omittit *capituli;* lectio *generales ubi et* est in cod. B.

[2] Sequimur cod. B; ed. Br. sic: *ad quod consensus personarum requireretur.*

[3] Cod. A *poterant*, ed. Br. *potuerunt.*

[4] Cod. B, loquens de hospitibus, fortasse melius *transibant*, sed in margine *intrabant.*

[5] Cod. B *primo.*

fratres pro magna parte mutilaverant, et postea cum magna difficultate a domino Thoma de Berkeley per sagacitatem devotionis uxoris suae recuperaverunt. Sub fratre Willelmo mutatus est locus Eboraci et similiter locus Bristolliae necnon et locus de Brigewater[1]; sed et locus de Grimisby, locus et Oxoniae sufficienter ampliatus. Verumtamen cum diceret ei quidam frater ex nimia familiaritate (qui et dicebatur *anima sua* a nonnullis fratribus, quod et ipse manu sua, inaestimabili affectu, eidem desolato scribere dignatus est), quod accusaret eum apud ministrum generalem, quod locus Londoniae non esset clausus; ardentissimo zelo respondit: « Et ego respondebo Generali, quod non intravi Ordinem, ut aedificarem muros ». Eodem itaque zelo tectum ecclesiae Londoniae fecit disponi et incastraturas claustri iussit abradi. Dixit tamen dicto fratri familiari suo aliquando, quod oportuit[2] facere aedificia aliquantulum magna, ne fratres futari facerent nimis magna.

Frater Robertus de Slaptun dixit mihi, quod dum essent fratres in quodam loco sibi mutuato, priusquam haberent aream, visum fuit fratri guardiano, quod sanctus Franciscus veniret ad locum; cui cum fratres occurrissent, duxerunt eum in solarium, et sedit diu circumspiciens in silentio; et mirantibus fratribus, dixit guardianus: « Pater, quid cogitas »? Et dixit ei: « Circumspice domum »; et circumspexit; et ecce tota domus ex virgis, luto et fimo lita; et dixit fratribus: « Tales deberent « domus fratrum Minorum esse ». Et accepit guardianus aquam et lavit sibi pedes et osculatus est stigmata in pedibus eius. Haec, ut puto, acciderunt ipsi fratri Roberto. Vidi autem et ego quendam praedicatorem famosum, qui fatebatur publice, quod per sollicitudinem, quam habuit circa domos cuiusdam loci construendas, amiserat affectum praedicandi et devotionem, quam consueverat habere.

Frater quoque Iohannes, visitator Ordinis fratrum Praedicatorum in Anglia, dixit de fratre Willelmo de Abingdon, quod, antequam construeret domos Gloverniae, incomparabilem habuit gratiam praedicandi; quod nunquam talis et tam gratiosus praedicator debuisset occupari circa aedificia, quia in tantum, ut dicebat dictus frater Iohannes, per sollicitudinem procurationis vilem se reddidit, ut diceret ei dominus rex Angliae: « Frater Willelme, tu consuevisti tam spiritualiter loqui; modo totum, quod loqueris, est *da, da, da.* » Et alias, cum blanditiis ageret apud eum, petens aliquid ab eo, vocavit eum idem princeps *serpentem.*

Dominus quoque abbas de Certeseye dixit mihi, quod cum quidam familiarissimus suus de Ordine Praedicatorum peteret ab eo ligna, dedit ei unum lignum; qui cum diceret, quod molestius sibi videretur propter unum solum lignum diu vexari, dedit ei aliud; et cum diceret, quod Deus trinus erat, et ideirco tria dare deberet, respondit ei abbas: « Per Deum, qui unus est, modo non habebis nisi unum solum ».

Quum frater Henricus de Burforde fuit inductus Parisius, non fuerunt in conventu ipso nisi circiter triginta fratres; et aedificabant tunc temporis locum, qui appellatur *Valvert;* in quo domum longam et altam construxerant, quae multis fratribus videbatur esse contra statum paupertatis Ordinis. Unde et beato Francisco supplicabant aliqui, et praecipue Frater Agnellus, ut eam destrueret. Et ecce, cum fratres eam ingredi debuissent, dispositione divina nullus in ea extitit, cum usque

---

[1] Cod. B. *Brugewalter.*

[2] Ita cod. B; ed. Br. *oporteret.*

ad tabulatum totum tectum cum parietibus corruit. Inventique sunt isti versus scripti in loco :

Gratia divina docuit praesente ruina,
Quod contentus homo sit breviore domo;

et sic dimiserunt aream.

COLLATIO XI. (alias X.).

De promotione lectorum.

Multiplicato loco, ubi principale studium florebat in Anglia, et ubi universitas scholarium convenire consueverat, fecit Frater Agnellus scholam satis honestam aedificari in loco fratrum, et impetravit a sanctae memoriae magistro Roberto Grosseteste, ut legeret ibi fratribus. Sub quo inaestimabiliter infra breve tempus tam in concionibus quam praedicationi congruis subtilibus moralitatibus profecerunt[1]. Ipso igitur ab cathedra magisteriali in cathedram pontificalem providentia divina translato, legit fratribus idem magister Petrus, qui postmodum in episcopum in Scotia promotus est. Cui successit magister Rogerus de Wesham[2], qui post decanus Lincolniensis ecclesiae et postea Coventrensis episcopus factus est. Similiter et magister Thomas Wallensis, cum laudabiliter apud fratres in eodem loco legisset, in episcopum Sancti David in Wallia assumptus est. Hi ergo semper existentes in omnibus fratribus favorabiles, facta eorum et famam plurimum per diversa loca promoverunt. Igitur usque adeo fama fratrum Angliae et profectus in studio aliis etiam provinciis innotuit, ut minister Generalis, frater Helias, mitteret pro fratre Philippo Walensi et fratre Ada de Eboraco, qui Lugduni legerunt. Fratrem quoque Vincentium de Coventria frater Albertus in adventu suo lectorem Londoniae, germanumque suum fratrem Henricum Cantuariae lectorem constituit. Et sic paulatim per diversa loca positi sunt lectores, frater scilicet Willelmus de Leycestria, Herfordiae; frater Gregorius de Bossellis, Leycestriae; frater Gilbertus de Cranforth, Bristolliae; frater Iohannes de Westun, Cantebrigiae; frater Adam de Marisco, Oxoniae. Et ita inundavit in provincia Anglicana donum sapientiae, ut ante absolutionem fratris W. de Nothingham essent in Anglia triginta lectores, qui solemniter disputabant, et tres vel quatuor, qui sine disputatione legebant. Assignaverat enim in Universitatibus pro singulis locis studentes, qui decedentibus vel amotis lectoribus succederent. Igitur, aliis omissis, de successione lectorum in Universitatibus succincte dicamus.

Ipsi vero inceperunt ut magistri, alii legerunt ut baccalaurei. Oxoniae legit primus fratrum frater Adam de Marisco, ut dixi. Secundus frater Rad. de Colebruge, qui a Parisiis, ubi prius laudabiliter rexerat (siquidem actu regens in Theologia intravit), Oxoniam, ut regeret, a generali ministro destinatus est, ubi et legit existens

[1] Cod. A *profecerant*.

[2] Cod. B *Wescam*. Editor addit, Grostete fuisse episcopum Lincolniensem ab anno 1235-1252; Wesham episc. Coventrensis ab anno 1245-1256; Thomas Wallensis episc. St. David ab anno 1248-1255.

novitius[1]. Tertius fuit frater Eustachius de Normaneville. Quartus fuit frater Thomas de Eboraco. Quintus frater Richardus Cornubiensis, qui eo tempore, quo frater Helias totum turbavit Ordinem, Parisius ingressus est, et in eadem turbatione, pendente appellatione, in Anglia constanter et devote professus, postea legit cursorie sententias Parisius, ubi magnus et admirabilis philosophus iudicatus est.

Quidam lector egregius, qui mecum studuit Oxoniae, consuevit semper in scholis, magistro legente vel disputante, intendere aliis quam lectioni, utpote compilationi originalium. Et ecce, cum ipse factus fuisset lector, ita facti sunt ei indevoti auditores sui, ut diceret, quod ita libenter clauderet quotidie librum suum et recederet, sicut legeret; et compunctus ait: Iusto Dei iudicio nullus vult audire me, quia ego nunquam volui aliquem doctorem audire. Ipse praeterea, cum amicis saecularibus nimis assidue comitaret[2], et occasione familiaritatis eorum fratribus minus quam soleret, intenderet, exemplo ceteris extitit, quod solum in silentio et quiete discuntur verba sapientiae, quod et mandata Dei, sicut dicit sanctus, nisi quieta mens scrutari non potest. Postquam autem ad se conversus quieti studuit, ita excellenter profecit, ut diceret dominus Lincolniensis, quod lectionem, quam fecerat, nescisset ipse fecisse. Unde postea crescente fama probitatis suae, ad partes Lombardiae a ministro Generali vocatus, et in ipsa curia Papae pro magno habitus extitit. Postremo autem apparente sibi Matre Dei, cui semper devotus extiterat, in extremis agenti, fugatis a se malignis spiritibus, feliciter ad poenas purgatorias, sicut ipse postea cuidam sibi familiari revelavit, emigrare promeruit. Dixit enim, se in purgatorio esse et graviter pati in pedibus, quia nimis frequenter consuevit adire quandam religiosam matronam, causa consolandi eam, cum deberet lectionibus suis et aliis magis necessariis[3] occupationibus intendere: petiit etiam, ut faceret pro anima sua celebrari missas. Fecit igitur sic per duos annos continue, et alia multa suffragia supererogavit.

Isti vero legerunt Cantebrigiae et non Oxoniae: frater Vincentius de Coventre, frater Ioh. de Weston[4], frater Willelmus Pictavensis, frater Humfridus; qui cum infirmaretur aliquando Cantebrigiae, sicut ipse mihi retulit, audivit vocem dicentem sibi: « Sentias te lapidem ». Igitur cum iaceret immotus sicut lapis, venerunt duo daemones et sederunt ad sinistram, et unus bonus Angelus sedit ad dextram. Et inceperunt daemones irritare eum calumniis; bonus vero Angelus diu tacuit. Tandem dixerunt daemones: « Quum sedent fratres in potationibus et garrulis hora completorii, tunc observamus eos; quum recedunt, tunc habemus alibi facere ». Et dixit bonus Angelus: « Ecce, quanta est malitia daemonum; volunt te ipso taedio interficere, ne possis de cetero laudare nomen Creatoris tui ». Confortatus ergo ex hoc, incepit sudare et sanus factus est.

Frater Petrus, minister Angliae, dixit, quod frater Eustachius de Normanvilla fuit maioris aedificationis quam alii, quantum ad ingressum Ordinis; quia fuit nobilis et

---

[1] Verba *ubi et legit* etc. desunt in cod. A et ed. Br. Infra post *Normaneville* in cod. B a manu posteriore additum est quod infra in fine collationis habetur: *qui prius fuerat multum nobilis et dives* etc.

[2] Cod. B *communicaret*.

[3] Cod. A *magnis negotiis* pro *magis necessariis*.

[4] Cod. B *Westum*.

dives, et laudabiliter rexerat in artibus et decretis, et fuerat cancellarius Oxoniae et promptus ad incipiendum in theologia.

COLLATIO XII. (alias XI.).

De institutione confessorum.

Fuerunt quoque fratres plurimi, qui licet praedicationis vel lectionis officium non haberent, de gratissimo favore praelatorum, per obedientiam et ordinationem ministri provincialis in diversis locis confessiones tam religiosorum quam saecularium audierunt. Inter quos praecipuus erat Londoniae frater Salomon, qui tam civium quam curialium generalis confessor extitit. Ab ipso, cum esset guardianus Londoniae post languorem suum, ut supra dictum est, exegit sanctae memoriae dominus Rogerus, episcopus Londinensis [1], canonicam obedientiam; sed cum ex longa familiaritate sibi amicabiliter obsisteret, dilationem usque alias impetravit. In tanta siquidem reverentia dominus ille Ordinem habuit, ut singulis fratribus se salutantibus assurgeret. Igitur frater Agnellus hac occasione statim misit ad curiam et decretalem, quae dicitur *Nimis iniqua* [2], pro fratribus fieri impetravit.

Floruit quoque in officio confessionis bonae memoriae frater Mauritius de Derham, qui, cum invenisset quendam puerum diutius desperabili languore tabescentem, audita confessione sua, iniunxit ei, ut per singulos dies diceret tria *Ave Maria* et peteret, ut beata Virgo impetraret sibi sanitatem, ut posset esse frater Minor; et cum sic faceret ad plenum, deinceps curatus est. Cum igitur circiter XVI [3] annos haberet, facit eum obligari et quasi fratrem usque ad legitimam aetatem inter fratres conversari; qua completa, sine dilatione sub fratre Agnello indutus est.

Floruit quoque Gloverniae frater Vincentius de Wygornia, pater totius provinciae; qui tantae abstinentiae tantique rigoris in se, et tantae suavitatis et socialitatis erat ad subditos, ut sicut Angelus ab omnibus amaretur; unde ob morum gravitatem et praecipuam prudentiam postea ad praedicationis officium et domini Coventrensis episcopi Rogeri confessor effectus [sic!].

Floruit quoque apud Lenniam famosissimae sanctitatis vir, frater Galfridus de Saresburia, qui in austeritate vitae se alterum, si dici potest, Franciscum exhibuit, in conformitate virtutis et suavitatis ac simplicitatis gratia secundum Antonium. Tantae vero pietatis fuit et compassionis in confessionibus audiendis, ut, ubi non videret confitentes congrua signa compunctionis ostendere, ipse eos potius ad fletum suis fletibus et singultibus commoveret; sicut de viro nobili domino Alexandro de Bissinburne [4] contigit; quia, cum sibi confiteretur quasi narrando quandam narrationem, flens amarissime frater ipsum flere coegit et ad propositum intrandi Minorum Ordinem suis meritis et salutaribus consiliis provexit; in quo proposito sanctissime mor-

---

[1] Editor in nota addit: Roger Niger, Episc. Londoniae ab 1229-1241.

[2] Hoc decretum est Gregorii IX. (1231, 21 Aug.), et tuetur fratres Minores a variis gravaminibus. Vide Bullarium Franciscan. Sbaralea tom. I. pag. 54, et Waddingum, Annales ad annum 1231, n. 56, et ad a. 1324, n. 7.

[3] Cod. B. XV.

[4] Cod. B *Bissingburne*.

tuus est. Apparuit autem postea familiari suo fratri Iohanni de Stanford et quaerenti, quomodo sibi esset, respondit: *La meye alme le fet cum creature que est obeysant a sun Creatur; et repose est celi ke la fit par ducsor*[1]. Instruxit quoque eum de fide sacramenti Eucharistiae tam sublimiter et tam subtiliter, ut nulli mortali fuisset modus ille possibilis.

Floruit etiam apud Oxoniam bonae memoriae frater Eustachius de Mere, qui postea guardianus loci et postremo custos Eboraci factus est. Qui consuevit narrare, quod sanctus Lanfrancus, volens ingredi religionem, cum esset maximus theologus, induit habitum fratrum et perrexit per abbatias ad probandum statum monachorum. Et venit et percussit ostium chori cum pila sua, et cum videret monachos propter hoc respicere ad ostium et ridere, dixit: « Non est hic Deus ». Et cum pervenisset ad Bek Harlewine, et nullus monachorum percutientem attenderet, intravit illuc in habitum conversi. Et cum celebraret Nicolaus papa concilium contra Berengarium, obtinuit licentiam eundi cum abbate suo, et ibi, cum omnes consternarentur super dictis haeretici, petita audientia, dissolvit dilucide rationes suas in tantum, ut diceret Berengarius: « Aut tu es Lanfrancus, aut tu es diabolus ». Et sic cognitus est a concilio.

COLLATIO XIII. (alias XII.).

De successione ministrorum generalium.

Primus[2] autem minister generalis post B. Franciscum fuit frater Helias, qui fuerat scriptor Bononiae. Cui successit frater Iohannes Parens de Florentia, minister Hispaniae, vir sapiens et religiosus et summi rigoris. Quo per fautores fratris Heliae absoluto, iterum factus est Generalis frater Helias. In capitulo siquidem, in quo facta est translatio sancti Francisci, voluerunt ipsi, quos ad capitulum concesserat venire frater Helias; nam omnes concessit illuc venire, qui vellent contra ministros provinciales ipsum fecisse Generalem. Unde et acceptum a cella sua portaverunt cum manibus ad ostium capituli, et fracto ostio voluerunt eum collocare in loco ministri generalis. Quod videns Generalis frater Iohannes coram toto capitulo se nudavit; et sic demum confusi post maximam turbationem cessaverunt. Nam nec sanctum Antonium audire voluerunt, nec aliquem ministrum provincialem. Credidit autem populus, quod esset discordia, quia corpus sancti Francisci tertia die, antequam fratres convenissent, translatum erat. Quinque[3] vero milites novitii, qui sederunt in capitulo et omnia viderunt, flentes dixerunt, quod ad magnum bonum Ordinis proveniret illa turbatio, quia Ordo nullum posset inordinatum tenere. Et sic accidit, quod omnes illi turbatores ad agendam poenitentiam per[4] diversas provincias missi sunt.

---

[1] Cod. B scribit ultima verba *obeysaunt a soun creatour, e repose è cely ke la fist par du cour.* Latine: Mea anima est sicut creatura, quae seipsam resignavit suo creatori; et beatus est is qui hoc fecit ex (toto) corde.

[2] Id est, *Vicarius* Generalis usque ad electionem factam per Capitulum Assisiense 1227. — Infra cod. A omittit *de Florentia.*

[3] Cod. A *quatuor;* et infra *perveniret* loco *proveniret.*

[4] Cod. A *in.*

Frater vero Helias, divertens ad quoddam eremitorium, permisit sibi crescere comam et barbam, et per hanc simulationem sanctitatis Ordini et fratribus reconciliatus est.

Ab hoc capitulo missi sunt ad papam Gregorium pro expositione regulae nuntii solemnes cum ministro generali, scilicet sanctus Antonius, frater Girardus Rusinol[1], domini Papae poenitentiarius, frater Haymo, qui postea fuit generalis minister, frater Leo, qui post fuit archiepiscopus Mediolanensis, frater Girardus de Mutina, frater Petrus de Brixia. Retulerunt etiam Papae, quale scandalum fecisset frater Helias, quia minister generalis revocaverat mandatum suum, ne scilicet possent fratres omnes venire ad capitulum, qui vellent; et insuper, quod indignatus ex hoc, priusquam fratres convenissent, fecisset translationem fieri. Qui satis motus ad hoc, quousque audiret, quod in eremitorio tam singularem vitam duceret, valde offensus extitit erga eum. Consequenter[2] tamen in capitulo Reatino, absoluto fratre Iohanne Parente, concessit, ut fieret ipse Generalis, et praecipue propter familiaritatem, quam habuerat cum beato Francisco. Postea cum propter carnalitatem et crudelitatem suam totum turbaret Ordinem, appellationem movit contra eum frater Haymo Parisius; et ipso invito, ad celebrandum capitulum generale convenerunt multi ministri provinciales et fratres probatissimi Cismontani, procurante factum Ordinis in curia[3] fratre Arnulfo, poenitentiario domini papae Gregorii noni. Igitur post diutinam concertationem electi sunt de universo Ordine fratres, qui Ordinis reformationem providerent. Qua provisa, recitata fuit in capitulo generali coram Papa, in quo fuerunt septem[4] cardinales. Post praedicationem vero Papae, quae erat de statua aurea, quam vidit Nabuchodonosor, et thema: « *Tu, rex, cogitare coepisti, quid esset*[5], incepit frater Helias se excusare dicens, quod fratres, cum elegerunt eum in Generalem, dixerunt, quod vellent, quod comederet aurum et haberet equum, si hoc requireret sua debilitas: et modo ita gravabantur et scandalizabant eum. Et cum vellet ei respondere frater Haymo, non concessit Papa, donec dominus Robertus de Sumercote, cardinalis, dixit ei: « Domine, iste senex vir bonus est; bonum est, ut audiatis eum, quia breviloquus est ».

Stetit ergo frater Haymo quasi timidus et tremebundus; frater Helias vero sedit inconcussus in omnibus, ut videbatur, et imperterritus. Incepit autem frater Haymo breviter commendare dicta sua sicut reverendi patris, et contra intulit, quod licet dixissent fratres, quod vellent, quod comederet aurum, non dixerant, quod vellent, quod haberet thesaurum. Insuper, licet dixissent, quod vellent, ut haberet equum, non dixerant, quod vellent, ut haberet palafredum vel dextrarium. Et statim frater Helias, fractus impatientia, dixit palam, quod mentiebatur; et fautores sui incipiebant similiter conviciari et succlamare; et alii ex parte contraria similiter contra eos. Tunc motus Papa praecepit, ut silerent, dicens: « Non est modus religiosorum iste ». Tunc diutius sedens Papa quasi in silentio et meditatione, omnes in stuporem convertit. Interim suggessit dominus Reginaldus, Protector Ordinis, palam fratri Heliae,

[1] Cod. A *Russinol*.

[2] Ed. Br. cum cod. A *contra*, refragante cod. B.

[3] Ita bene cod. B; ed. Br. cum cod. A *Vicario*.

[4] Cod. A *II*.

[5] Daniel 2, 29.

ut resignaret in manibus Papae; qui publice respondit, quod noluit. Tunc Papa, primo commendans personam suam et recitans familiaritatem, quam cum sancto Francisco habuerat, conclusit, quod crediderat, quod placuisset fratribus ministerium suum; sed ex quo non placuit, sicut tunc probatum fuit, absolvendum eum decrevit. Et statim absolvit eum a ministerio generali. Factum est tam immensum gaudium et ineffabile, quale nunquam dixerunt se vidisse qui interesse meruerunt.

Igitur ingressus solus Papa cellam quandam, vocavit ministros et custodes ad electionem; et priusquam scriberentur, vota singulorum audivit; et cum canonice fuisset electus frater Albertus Pisanus, minister Angliae, frater Arnulfus, poenitentiarius, qui praecipue totum negotium promoverat, electione pronuntiata, incepit *Te Deum laudamus.* Et quia frater Helias, ut dicebatur, nunquam fuerat professus regulam bullatam, unde et conscientiam habuit recipiendi pecuniam, statim provisum est, ut ipse profiteretur et in eadem forma totum capitulum et continuo totus Ordo. Et sic factum est. Igitur celebrata missa a ministro generali, dixit idem fratribus, qui non erant de capitulo: « Iam audistis primam missam, quae unquam celebrata fuerit in Ordine isto a ministro generali. Eatis nunc cum benedictione Iesu Christi ad loca vestra ». In ipso capitulo factus fuit frater Haymo minister totius Angliae, et frater Iohannes de Ketene, qui fuerat minister Scotiae, factus est minister Hiberniae.

Post hoc frater Helias, electo ad morandum loco de Cortona [1], contra generalem prohibitionem generalis ministri sine licentia accessit ad loca pauperum dominarum; unde sententiam latam a domino Papa videbatur incurrisse. Mandavit autem ei frater Albertus, ut veniret ad eum gratia absolutionis obtinendae, vel saltem occurreret ei apud aliquem locum medium. Quod cum facere dedignaretur, pervenit verbum ad Papam; et cum Papam perpenderet velle, ut generali ministro, sicut alius quilibet frater, obediret, non ferens ipse humiliationem suam, quippe qui obedire non didicerat, ad partes Frederici [2] se transtulit. Unde non immerito a Papa publice excommunicatus est.

Igitur frater Albertus, laudabiliter in ministerio generali se gerens, corrigendo excessus praedecessoris sui, ultra montes, ubi maior facta fuerat Ordinis deformatio, dum vixit, semper [3] se tenuit. Mortuus est autem Romae feliciter, super omnes nationes Anglicos in zelo sui Ordinis commendans.

Successit autem ei frater Haymo, Anglicus, qui quae ipse bene inceperat sollicite promovere curavit. Sub ipso celebratum est primum et ultimum capitulum generale definitorum, quod nunquam fuit in Ordine propter insolentiam quidem eorum; quia scilicet omnes ministros, qui in loco capituli fuerunt, cum Generali modis omnibus voluerunt emitti a loco; quod et factum est. Igitur ordinatio, quae facta fuerat de isto capitulo subditorum coram Papa in absolutione fratris Heliae, et de custodibus et guardianis eligendis canonice, propter eorundem subditorum insolentiam in capitulo generali proximo deleta est. Voluerunt enim quidam fratres, ut cu-

---

[1] Cod. A et ed. Br. omittendo *de* scribit *Cortuna.*

[2] Cod. B *Aretinas.*

[3] Cod. B omittit *dum vixit, semper.*

stodes ab Ordine penitus delerentur, dicentes eorum officia superflua esse [1]. Ipse in media hyeme citatus est a Protectore Ordinis et aliis Cardinalibus, cum esset citra montes, coram quibus egregie respondit ad obiecta sibi, et gratiam maximam sibi conciliavit.

In diebus suis venit mandatum a capitulo, ut eligerentur fratres per singulas provincias Ordinis, qui dubitabilia regulae annotarent et ad ministrum generalem transmitterent. Electi sunt ergo ad hoc in Anglia frater Adam de Marisco, frater Petrus, custos Oxoniae, frater Henricus de Burford [2] et quidam alii. In ipsa vero nocte apparuit S. Franciscus fratri Iohanni Banistre et ostendit ei puteum profundissimum; cum diceret: « Pater, ecce fratres volunt exponere regulam, immo tu potius expone nobis regulam »; respondit Sanctus: « Fili, vade ad fratres laicos, et ipsi exponent tibi regulam tuam ». Igitur annotatis aliquibus articulis, mittunt eos fratres dicti [3] ad Generalem, in cedula sine sigillo, obsecrantes per aspersionem sanguinis Iesu Christi, ut regulam stare permittat, sicut a sancto Francisco, dictante Spiritu sancto, tradita fuit. Istud autem mandatum tam Protectori Ordinis quam et fratribus ultramarinis eximie placuit; et confirmavit testimonium, quod perhibuerat frater Albertus Anglicis. Mortuus est autem frater Haymo Anagniae. Ad quem etiam, cum decumberet, visitandum dominus papa Innocentius IV. venire dignatus est.

Huic autem successit frater Crescentius, medicus famosus, minister Veronae, cuius zelum inflammavit caritas, informavit scientia, confirmavit constantia. Nam tam contrarios sibi habuit fratres provinciae suae, ut in ipsa nocte capituli generalis, in quo electus erat, post querelam suam, quam fecerat zelatoribus Ordinis de rebellione fratrum suorum, videret eum unus frater in visione tonso capite, barbam canam habentem dependentem usque ad cingulum suum, et audivit vocem de caelo factam super eum in haec verba: « Iste est Mardocheus ». Igitur cum audisset frater Radulfus de Rhemis visionem, dixit statim: « Pro certo ipse erit hodie electus in Generalem ». Cum autem fideliter et prudenter aliquandiu ministrasset, impetravit absolutionem suam, et postea factus est episcopus civitatis, de qua oriundus erat.

Huic quoque successit frater Iohannes de Parma, lector, qui sententias cursorie legerat Parisius, praecipuus zelator Ordinis; qui venit in Angliam tempore fratris W. de Notingham, et provinciale capitulum celebravit Oxoniae, et fratres ad unitatem revocavit, qui praecedere ceteros in sententiis singularibus inceperant. Hic obedientiam et honestatem Anglicorum in omnibus provinciis praedicavit. Ipse fratres Parisius personaliter in Universitate, professionis simplicitatem protestans, revocata appellatione quam fecerant, reconciliavit. Ipse, ut vicissim generale capitulum ultra montes et citra celebraretur, ordinavit. Demum, non valens diutius pondus portare ministerii generalis, a domino papa Alexandro IV., ut cedere posset, obtinuit. Dixit autem idem pater, quod cum ex duobus parietibus construatur aedificium Ordinis, scilicet moribus bonis et scientia, parietem scientiae fecerunt fratres ultra caelos et caelestia sublimem, in tantum, ut quaererent, an Deus sit; parietem vero morum permiserunt ita bassum esse, ut pro laude magna dicatur de fratre: securus homo est; unde non convenienter videbantur aedificare. Voluit autem,

---

[1] Cod. B *officium superfluere* et infra omittit *gratiam maximam sibi.*

[2] Cod. B *Boreford* et inferius *Banastre* loco *Banistre.*

[3] Cod. B omittit *dicti.*

ut fratres reverentia [1] suae religionis et publicis meritis se potius tuerentur erga praelatos et principes, quam Apostolicis privilegiis; et ut essent minores inter omnes humilitate et mansuetudine.

Frater Haymo dixit, quod sic fuit de fratribus, qui noluerunt venire in conventum post infirmitatem suam, priusquam essent nimis fortes, ne forte non possent redire ad recreationem, sicut fuit de puero, qui debuit invitus doceri litteras, et cum dixisset A, dixit quod, licet aeque bene sciret dicere B, atque [2] A, nullo modo voluit; quodsi diceret B, praeciperet magister, quod diceret C, et deinceps.

Dixit etiam, quod cum adhuc saecularis esset, ita delicatus erat, quod non potuit sine multiplicibus remediis vestium et calceamentorum vivere, sed postea fortior fuit sine talibus.

Cum rediret frater Haymo a concilio generali, in quo provincialis minister factus fuerat, timens debilitatem suam, cogitavit, quod si posset pervenire ultra montes, postea non timeret; accidit autem, ut ubi plus timuerat fieret fortior, et in Francia debilior.

Incidens. Frater Radulfus Rhemensis, Anglicus, post diutinos labores venit in Angliam, et apud Sarum diutius contemplationi vacans feliciter obiit. Ipse narravit, quod cum sanctus Franciscus incederet per viam in frigido vento et fieret pusillanimis, resumpto spiritu, ascendit in montem et exuit se et convertit contra ventum et dixit sibi ipsi, quod bene sibi esset, si haberet unam tunicam.

Incidens. Frater Iohannes de Parma, minister generalis, in pleno capitulo generali Ianuae praecepit fratri Bonifacio, qui fuerat socius sancti Francisci, ut diceret fratribus de stigmatibus suis veritatem, quia multi de his per orbem dubitabant. Et respondit cum lacrymis: « Isti oculi peccatores ea viderunt; et istae manus peccatrices contrectaverunt ea ».

Sed et frater Leo, socius sancti Francisci, dixit fratri Petro, ministro Angliae, quod apparitio Seraphim facta fuit sancto Francisco in quodam raptu contemplationis, et satis evidentius, quam scribebatur in vita sua; et quod multa fuerunt tunc sibi revelata, quae nulli viventi unquam communicavit. Verumtamen dixit fratri Rufino, socio suo, quod cum a longe videret Angelum, nimis territus fuit, et quod eum dure tractavit; et dixit ei, quod Ordo suus duraret usque ad finem mundi, et nullus malae voluntatis diu durare posset in Ordine; et quod nullus odiens Ordinem diu viveret, et quod nullus veraciter amans Ordinem suum malum finem haberet. Praecepit autem sanctus Franciscus fratri Rufino, ut lapidem, super quem steterat Angelus, lavaret et ungueret oleo; quod et fecit. Ista scripsit frater Garynus de Sedenefeld ab ore fratris Leonis.

Frater Albertus dixit, quod tria praecipue sublimaverunt Ordinem: nuditas pedum, vilitas vestimentorum, et abiectio pecuniae.

Frater Walterus de Reygate dixit, quod revelatum fuit cuidam fratri in provincia sancti Francisci, quod daemones omni anno celebrant concilium contra Ordinem, et tunc tres vias adinvenerant, scilicet familiaritatem mulierum, receptionem inutilium personarum et contrectationem pecuniae.

---

[1] Ed. Br. *reverentiam*.

[2] Ed. Br. *igitur;* coniiciendo posuimus *atque,* ut aliquo modo propositio sit congrua.

COLLATIO XIV. (alias XIII.).

De successione ministrorum provincialium.

Primus igitur minister Angliae fuit frater Agnellus Pisanus, ut supra dictum est, vir prudentia naturali praecipue praeditus, omni virtute, ordine et honestate conspicuus. Qui post nuntium, quod pro praelatis Angliae simul cum fratre P. de Theukesbury, tunc temporis guardiano Londoniae, et fratribus Praedicatoribus in curia Romana commendabiliter consummaverat, infirmatus est Oxoniae dysenteria, prae frigore, ut dicebatur, et labore, quem pro pace reformanda inter dominum regem et marescallum suum in marchia Walliae, et in discurrendo per Angliam sustinuerat[1]. Postquam autem fluxus per medicinalia restrictus fuerat, accepit eum iliaca passio et dolor lateris, unde vix a clamore continere se valuit. Clamavit autem per tres dies continuos, antequam obiret, quasi continue: « Veni, dulcissime Iesu »! Igitur, sacramentis ecclesiasticis rite perceptis[2], ipse de successore requisitus ut consuleret, consuluit, ut mitteretur frater Hugo de Wellys ad fratrem Heliam, et ut fratres peterent sibi concedi in ministrum fratrem Albertum Pisanum, vel fratrem Haymonem, vel fratrem Radulfum Rhemensem. Constituit autem, quantum in se fuit, vicarium fratrem Petrum de Theukesbury; et sic, petitis singulariter suffragiis singulorum fratrum, completa commendatione, quam et ipse cum conventu dixit, feliciter expiravit. Videbatur autem socio suo fratri Waltero de Maddeley, quod funus[3] quoddam iacuit in choro, quod a cruce videbatur recenter depositum. Nam et iam quinque vulnera habuit in modum crucifixi Iesu Christi sanguinaria. Cum vero crederet, quod esset ipse dulcis Iesus Christus, appropinquans cominus vidit, quod erat frater Agnellus.

Incidens. Dignum memoria, quod vir venerabilis magister Serlo, decanus Oxoniae[4], monuit fratrem Agnellum, quod raro comederet extra conventum. Accidit autem, ut guardianus quidam eadem die, qua praedicaverat populo, coram saeculari quodam cum quodam monacho verbis iocaretur post prandium, siquidem comederant cum fratribus; saecularis autem dixit clam fratri cuidam, qui erat suus secretarius, hoc non decere praelatum et praedicatorem. Guardianus autem idem dixit mihi, quod maluisset, quod percussus fuisset lancea per medium costarum suarum, quam tale dedisset exemplum. In tantum zelabant fratres honestatem Ordinis, et praecipue frater Agnellus, ut nec secretario regis parceret, sed amovit eum a curia et non permisit, quod aliquid mitteret vel acciperet.

Frater Agnellus, cum diu in ordine diaconatus fuisset minister Angliae, noluit promoveri in sacerdotem, priusquam per capitulum provinciale procuratum fuisset a capitulo generali, ut sibi praeciperetur. Tam devotus autem erat in officio divino, ut non solum in missa, sed etiam in choro, et cum esset per viam, videretur con-

---

[1] Anno 1232, ut observat editor.

[2] Ita recte cod. B (fac-simile C), ed. Br. *peractis*.

[3] Id est: cadaver, in quo sensu etiam apud classicos occurrit et non raro apud scriptores medii aevi (Du Cange, Glossarium).

[4] Cod. B *Exon.*

tinue flere, ita tamen quod perpendi non potuit in strepitu, vel gemitu, vel deformatione vultus. Officium quoque dicebat semper stando, et acriter increpavit fratrem, qui sedendo dixit in minutione horas suas. Cum autem sensit mortem sibi imminere, dixit fratri Petro de Theukesbury: « Tu scis totam vitam »; et cum diceret frater Petrus, quod non fuerat sibi unquam generaliter confessus, percussit caput suum et incepit clamando plangere, et statim cum mirabili contritione est confessus ei de tota vita sua. Postea, evocatis fratribus, absolvit eos, et cum ex praecepto suo commendationem inchoassent, ipse sibi manu sua clausit oculos et manus super pectus in modum crucis collocavit.

Post multos autem annos, cum necesse [1] haberent fratres amovere corpus suum, cum scilicet destruxissent capellam, in qua coram altari et in choro sepultus erat, invenerunt capsellam plumbeam, in qua iacuit, simul cum fossa plenam oleo purissimo, ipsum vero corpus simul cum vestimentis incorruptum et suavissime redolere.

Igitur frater Helias, recepto nuntio, quod mortuus erat frater Agnellus, statim provinciale sigillum, in cuius impressione fuit agnus cum cruce, destrui fecit, indigne ferens, quod fratres Angliae ministrum sibi dari peterent aliquem nominatum. Unde fere per annum ministrum eis mittere distulit; tandem, revocato quodam, quem iam miserat, mandavit fratri Alberto Pisano, qui fuerat minister Hungariae, Alemanniae, Bononiae, Marchiae Anconitanae, Marchiae [2] Trevisinae et Thusciae, ut proficisceretur in Angliam et ibidem fratribus ministraret. Venit ergo in festo sanctae Luciae in Angliam et in festo Purificationis celebravit Oxoniae capitulum provinciale praedicavitque [3] de hoc themate: *Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis* [4]. Igitur omnia de fratribus faciens secundum libitum voluntatis suae, humilitatem et mansuetudinem, simplicitatem et zelum, caritatem et patientiam fratrum Angliae multipliciter experimentatus est. Unde licet publice tunc dixisset fratribus, quod talem dominum usque in finem habituri erant, qualem ipsis se in illo capitulo exhibuerat, de die in diem tamen deinceps sal evangelicum in omni sacrificio plus solito sapienter offerens, alter reddebatur ex altero. Nam in tantum postea fratres Angliae commendavit, ut se ipsis ex toto mentis affectu dederit et ipsos ineffabili foedere sibi copularit; voluntati siquidem suae in omni perfectionis proposito eos conformes invenit, et pro reformatione Ordinis in carcerem et in exilium secum ire paratos.

Statuit ergo, in domo hospitum, nisi cum Praedicatoribus et fratribus aliarum provinciarum, semper silentium teneri in mensa. Fratres quoque voluit tunicas veteres novis superponere, et propter vilitatem et propter diuturniorem durationem. Claustrum Suthamtoniae lapideum, licet cum magna difficultate, destruxit, quia scilicet homines villae se obiecerunt; et chartam seu compositionem, quae fuit inter monachos Redyngae et fratres, quod scilicet pro voluntate sua non possent eos expellere, ferventissime eisdem restituit et obtulit, se fratres amoturum, si vellent. De capella vero loci, quod non potuit eam humiliare propter dominum regem, qui eam

---

[1] Ita cod. B (fac-simile), ed. Br. perperam *nocte*.

[2] Cod. B omittit *Marchiae*.

[3] Cod. A *praedicavit quoque*.

[4] Isaias 51, 1.

construxerat, optavit, ut caelitus destrueretur [1]. Ipse collocavit fratres Cestriae et Wyntoniae, sed cum difficultate magna. Ipse recepit mandatum domini papae Gregorii, quod fratres Praedicatores nullum obligarent, quominus posset ad quamcumque vellet religionem intrare; nec fratres suos novitios, nisi completo anno probationis, ad professionem reciperent. Consueverunt enim ipso die ingressus sui, si vellent, profiteri, sicque [2] fecit bonae memoriae frater R. Bacun. Ipsi [3] ergo plurimum commoti, impetraverunt postea a domino papa Innocentio IV., quod nullus frater Minor suos obligatos reciperet; quod si faceret, esset excommunicatus de facto; et ipsi similiter annuerunt de nostris. Obligaverunt ergo tot modis, et in tantum hoc privilegium publicaverunt, quod vix aliquem dimitterent. Sed non diu duravit ista tribulatio. Nam bonae memoriae frater W. de Notingham et frater Petrus de Theukesbury ostenderunt domino Papae, quid praedecessor suus statuerat, et ipse circumventum se dicens, licet cum molesta dilatione hoc fieret, revocatoriam eis concessit. Dixit autem aliquando frater Albertus, quod valde debemus diligere fratres Praedicatores, quia in pluribus profuerunt Ordini nostro, et occasionaliter instruxerunt nos ad futura pericula praecavenda.

In officio divino extitit semper devotissimus et clausis oculis evagationem mentis evitabat. In societate fratrum semper hilaris et iocundus omnium ad se convertit affectum. Unde cum minutus [4] fuisset aliquando cum conventu, talem inter socios proposuit parabolam, propter novitium quendam praecipue, qui praesens erat, qui nimis sapiens erat in oculis propriis et praesumpsit intromittere se de impertinentibus. Rusticus, inquit, quidam audiens, quod tanta quies esset et tot deliciae in Paradiso, profectus est, ut quaereret ubi esset, si forte aliquo modo posset intromitti. Et cum tandem pervenisset ad portam, invenit sanctum Petrum et ingressum petiit; a quo cum quaereret Petrus, si leges Paradisi custodire posset et proponeret, dixit quod sic, dummmodo eas sibi dicere dignaretur. Dixit igitur Petrus, quod solummodo servaret silentium. Quod cum libenter annueret, intromissus est; et progrediens per Paradisum vidit quendam arantem cum duobus bobus, uno macilento et alio pingui, et pinguem permisit ire sicut libuit, et macrum semper stimulavit. Et accurrens [5] redarguit eum. Et statim affuit sanctus Petrus et voluit eum expellere; pepercit tamen ei illa vice et praecepit, ut sibi caveret. Et statim profectus inde, vidit hominem portantem lignum longum, et voluit ingredi domum et semper vertit lignum ex transverso ostii; et accurrens docuit eum, ut praeponeret unum caput ligni. Et statim affuit sanctus Petrus et voluit eum modis omnibus expellere; pepercit tamen ei et illa vice. Tertio profectus inde vidit hominem secantem ligna in silva; et semper pepercit veteribus truncis et cavis roboribus, et prostravit et dissecuit recta et viridia et quaecumque pulcherrima. Et accurrens increpavit eum. Et statim affuit sanctus Petrus et expulit eum. Voluit autem, ut subditi superiores suos ubique haberent in reverentia, dicens: « Absit, ut familiaritas pariat contemptum ».

---

[1] Haec propositio *De capella... destrueretur*, omittitur in cod. B.

[2] Cod. A *sic quod*.

[3] Scilicet Fratres Praedicatores. — Paulo inferius cod. B omittit *postea*.

[4] Id est, sanguinis detractionem passus. Certis anni temporibus illa aetate hoc communiter fieri in monasteriis solebat.

[5] Cod. A adiungit *ac statim*.

Incidens. In praedicta collatione dixit frater Albertus parabolam contra praesumptionem iuvenum dicens, quod taurus quidam ibat quotidie per prata et blada, ubicumque voluit, et cum die quadam circa horam primam vel tertiam divertisset ad aratrum et videret, quod seniores boves pedetentim incederent et parum arassent, culpavit eos et dixit, quod uno impetu tantum fecisset; et rogaverunt eum, ut iuvaret eos; et cum positus esset sub iugo, cucurrit cum impetu nimio usque ad medium sulci et lassatus incepit palpitare, et respexit dicens: « Quomodo! Non est adhuc totum consummatum » ? Et responderunt senes, quod *nondum*, deridentes scilicet eum. Et dixit taurus, quod non potuit progredi. Dixerunt autem ipsi, quod ideo moderatius ibant, quia oportuit omnibus modis eos operari, et non ad tempus.

Fratrem Eustachium de Mere compulit pisces comedere contra consuetudinem, dicens, quod multas bonas personas amisit Ordo per indiscretionem eorum. Dixit autem, quod cum esset cum sancto Francisco in quodam hospitali commorans, compulit eum Sanctus duplicare quotidie quod comedere consueverat. Extitit etiam tam liberalis, ut guardianum quendam graviter argueret [1] et similiter praedicatorem, quia non providebant conventui abundantius post laborem in solemnitate quadam. Tam magnae pietatis et compassionis erat, ut obedientiam faceret cuidam fratri debili, ut partes suas natales adiret et per totam [2] custodiam a loco in locum, si vellet, circuiret, et ipse, si fratres gravarentur, exhibitione sua sumptus pro ipso refunderet. Igitur postquam per duos annos et dimidium Angliam nobilius rexerat, profectus est cum pluribus electis contra fratrem Heliam, et post generale ministerium inter Anglicos Romae feliciter obiit.

Cui successit frater Haymo, qui fratres, sicut erat benignissimus et dulcissimus, in omni pace et caritate tenere curavit. Ipse induit dominum Herfordensem episcopum, Radulfum de Maydenstone, secundum visionem, quam de ipso habuerat, cum esset archidiaconus Cestriae, quod scilicet venit quidam puer, cum sederet et disponeret clerum in synodo, et proiecit ei aquam in faciem, et statim conversus est in puerum miserabilem. Et venit ad lectum, in quo iacuit frater Haymo, et rogavit, ut ipsum ibi iacere concederet; et sic fecit. Et secundum haec finem felicem habuit in Ordine [3]. Igitur frater Haymo per annum unum ministravit in Anglia, et postea in Generalem electus est.

Successit autem ei vicarius suus, frater W. de Notingham, per communem electionem et confirmationem factam ab eis, quibus fuerat demandata. Igitur frater Willelmus, licet inferioribus officiis penitus existeret inexpertus, utpote guardiani et custodis, ita strenue se gerebat, ut per universas provincias zelus suus et probitas divulgarentur.

In diebus illis accidit, ut duo fratres valde famosi inirent in domum cuiusdam

---

[1] Ed. Br. *arguit*.

[2] Ita legendum videtur in cod. B; ed. Br. non bene *diversam*.

[3] Ita ed. et cod. B; cod. A *Qui post hoc felicem finem*. Editor notat episcopum Radulfum de « Maidstone » renuntiasse suo officio ante finem anni 1239, cumque quinque annos usque ad suam mortem in Ordine vixisse. — A manu posteriori in cod. B additur: stetit autem in Conventu Gloverniae, ubi et obiit, et sepultus est in presbyterario (sic), in parte boriali in arcu quodam.

frankelani[1], qui honorifice suscepit eos et abundanter exhibuit. Et cum sederent in prandio, supervenit rector ecclesiae, culpans eos, quod non diverterant ad ipsum; et cum plurimum compulisset eos, ut comederent appositas carnes, et modestiam suam movere non posset, iratus ait: « Comedite, comedite; nam frigus occidit corpora vestra, et gula occidit animas nostra»; et surgens abiit.

Minister autem frater Albertus consuevit dicere socio suo, Omnebonum nomine, cum veniret ad amicos spirituales: « Comede, comede, modo secure possumus ». Cavit autem, quantum potuit, ab omnibus saecularibus.

Item, frater Willelmus consuevit narrare, quod sanctus Stephanus, fundator Ordinis Grandis Montis, posuit cistam quandam in loco secreto et tuto; et prohibuit, quod, dum viveret, nullus accederet. Igitur tentati sunt fratres scire, quid esset in cista; nam et ipse Sanctus voluit, ut omnes exemplo suo haberent eam in magna veneratione. Post mortem ergo suam non potuerunt differre, sed fregerunt eam et non invenerunt nisi chartam unam, continentem scilicet: « Frater Stephanus, fundator Ordinis Grandis Montis, salutat fratres suos et supplicat, ut observent se a saecularibus. Quia sicut vos, dum nesciebatis, quid erat in cista, habuistis eam in honore, sic et ipsi vos ».

Frater Albertus fuit Oxoniae in praedicatione cuiusdam iuvenis fratris; et cum audacter damnaret aedificiorum sublimitatem et alimentorum abundantiam, corripuit eum propter vanam gloriam.

Frater Adam de Marisco narravit, quod puer quidam nimis delicatus, cum infirmaretur, et rogaret eum pater suus, ut pro amore suo comederet, sicut fuit suus filius carissimus, respondit, quod non fuit suus filius. Similiter etiam respondit matri suae, cum ipsum in eadem forma fortiter rogaret. Cumque quaereretur, cuius esset filius, si non erat suus, respondit indignanter et proterve: « Ego sum filius mei ipsius ». Sic est de his, qui sunt proprii sensus et voluntatis.

Frater Haymo, cum esset provincialis minister Angliae, dixit, quod quidam fluctus percusserunt Ordinem, cum fratres fecerunt dedicari in areis suis cantarias et altaria, quod scilicet non possunt post converti in usus profanos. Tantus enim zelator paupertatis erat, ut in provinciali capitulo in habitu vilissimo et scisso sederet cum extremis in refectorio ad terram.

COLLATIO XV. (alias XIV.).

De speciali[2] profectu quorundam fratrum.

Postremo, memoriae commendandum credo, quod adhuc viventibus plurimis, per quos plantata fuit vinea Minorum in provincia Anglicana, et in ipsa et in aliis provinciis propagines suae creverunt in tantum, quod ad diversas dignitates et officia tam in Ordine quam extra fratres proficerent, et ipsi praecipue qui amplius se humiliaverant. Nam frater Nicolaus, qui, cum laicus esset, litteras didicit in Anglia, postea confessor domini papae Innocentii IV., et postea episcopus Assisii factus est.

---

[1] *Franchilani* (Fraunclein) vocabantur coloni *libere tenentes* et armigeri, distincti a *villanis,* qui agros *in villenagium* tenebant. Ita fere Du Cange, Glossarium v. *franchilanus.*

[2] Ita cod. B; ed. Br. *spirituali.*

Quidam[1] quoque puer tenerrimus, qui cum laicus receptus est, et postea gloriosa Virgine sibi apparente et digitum suum in os suum ponente in signum praedicationis et lectionis, non solum praedicator et lector egregius, sed etiam in regimine Ordinis praecipuus habitus est. Quis autem enumerare sufficeret, quam singulariter profecerunt, qui in principio adventus fratrum singulari fervore intraverunt? Et cum essent boni baccalaurei et genere nobiles caparonem probationis precaverunt; et postea plures in praedicationis seu lectionis officio et Ordinis regimine tam strenue tamque laudabiliter se gesserunt.

Frater Eustachius de Mere, primo diu guardianus Oxoniae, postea custos Eboraci, usque ad mortem consuetum modum abstinentiae, vigiliarum et corporalis exercitationis in se ipso, ad alios autem angelici affectus suavitatem semper habuit; moriens quoque Matrem misericordiae frequenter in haec verba medullitus allocutus est: « Per tuum, Virgo, Filium, per Patrem, per Paraclitum, adsis praesens ad obitum meum et summum exitum ».

Frater Robertus de Tornam, primo guardianus Lenniae, postea per multos annos custos Cantabrigiae, postremo ineffabili fervore impetrata licentia proficiscendi cum crucesignatis in Terram Sanctam, cum famam[2] incomparabilem tam saecularium quam fratrum in officio gravi acquisisset, tantae nobilis suae salvationis in morte signa monstravit, ut de salute sua nullus fidelis ambigere debeat.

Frater Stephanus de Belase, primo guardianus Lenniae, postea custos Herfordiae, tantae fuit dulcedinis tantaeque perfectionis, ut etiam lacrymis zelum cordis sui testaretur, cum videret quod rigor religionis laxaretur. Unde nimio desiderio quietis ab omni absolutus officio, habuit *fructum suum in sanctificationem et finem vero vitam aeternam*[3].

Frater Will. Coche, qui, cum fortissimus robore foret, per praematuros labores custodiae Londinensis et curas alias penitus exinanitus est. Ab activa tandem ad contemplativam se transtulit et plenus operibus in pace quievit.

Frater Augustinus, bonae memoriae fratris W. de Notingham germanus, primo domini Innocentii Papae IV. familiaris, postea cum nepote eiusdem domini, Patriarcha Antiocheno, in Syriam profectus, postremo episcopus Laodiceae factus est. Hic retulit publice in conventu Londoniae, se fuisse apud Assisium in festo S. Francisci, et fuit ibi papa Gregorius, et cum procederet ad praedicandum, cantabant fratres: *Hunc Sanctus praeelegerat;* et subrisit Papa. Narravit autem Papa in illa praedicatione, qualiter apud Venetias duo haeresiarchae conversi sunt et missi ad ipsum cum litteris cardinalium, qui ibi erant legati, continentibus, quod ambo illi haeretici una nocte eadem hora viderunt Dominum nostrum Iesum Christum quasi in forma iudicii sedere cum Apostolis suis, et omnibus Ordinibus, qui sunt in mundo: sed fratres Minores nusquam viderunt ibi nec sanctum Franciscum, quem quidam legatorum in praedicatione dixerat sancto Iohanni evangelistae in stigmatum collatione praelatum. Viderunt autem ipsum Dominum Iesum reclinantem se in gremio sancti Iohannis, et ipsum se vicissim in suo. Cumque pro certo crederent, hoc sibi ad confirmationem suae opinionis ostensum — siquidem blasphemasse putabant legatum, et

---

[1] Ab hoc loco cod. A ita laesus est, ut plurima ab editore non potuerint legi.

[2] Ita legendum esse coniectamus; cod. B et ed. Br. *tamen*.

[3] Rom. 6, 22.

inde graviter scandalizabantur et praedicationi detrahebant — ecce, dulcis Iesus aperuit manibus propriis eius [sic] vulnus lateris sui, et apparuit S. Franciscus intra pectus suum apertissime; et clausit dulcis Iesus vulnus et ipsum totaliter inclusit interius. Igitur expergefacti haeretici, [cum [1]] in crastino sibi invicem obviassent, narraverunt sibi mutuo visionem, et cardinalibus publice confessi, ad Papam, ut dictum est, missi sunt et ab ipso plene reconciliati.

Post praedicationem vero venerunt novi milites ad Papam, et ipse singulis sertum de floribus imposuit; et inde inolevit consuetudo, ut omnes, qui debent milites fieri, in festo illo arma recipiant. In illo festo Papa celebravit extra ecclesiam super tabulam sub divo, quia non potuit esse in ecclesia prae multitudine populi.

Frater Petrus de Theukesbury, minister Alemanniae, contra regem et legatum et plures falsos fratres, cooperante gratia Dei, statum Ordinis defendit, in tantum, ut usque in plures provincias fama facti perveniret, et zelus veritatis invincibiliter probatus est. Ipse speciali dilectione domini Lincolniae [2] ditari meruit, a quo plura secreta sapientiae frequenter audivit. Dixit enim ei aliquando, quod nisi fratres foverent studium et studiose vacarent legi divinae, pro certo similiter contingeret de nobis, sicut de aliis religiosis, quos videmus in tenebris ignorantiae, proh dolor! ambulare.

Incidens. Item dixit fratri Ioh. de Dya, quod provideret sibi sex vel septem idoneos clericos de partibus suis, quos posset beneficiare in ecclesia sua; qui scilicet, quamvis nescirent Anglicum, exemplo praedicarent. Unde constat, quod non recusavit eos quos Papa instituit, et nepotes cardinalium, quia nesciebant linguam Anglicanam, sed quia non quaerebant nisi temporalia. Unde cum diceret ei advocatus in curia: « Canones hoc volunt », respondit: « Immo, canes hoc volunt ». Surrexit et confessus est Anglice, flexis genibus, coram personis praesentatis sibi a cardinalibus, et tundebat pectus suum cum fletu et eiulatu, et sic confusi recesserunt.

Praeterea, cum quaereret camerarius domini Papae mille libras, in quibus visitaverat curiam, volens ut acciperet eas a mercatoribus; respondit, quod noluit dare eis occasionem peccandi mortaliter; sed si sospes veniret in Angliam, deponeret eas in templo Londoniae, alioquin nunquam haberet obolum. Praeterea dixit fratri Praedicatori: « Tria sunt necessaria ad salutem temporalem, cibus, somnus et iocus ». Item iniunxit cuidam fratri melancholico, ut biberet calicem plenum optimo vino pro poenitentia; et cum ebibisset, licet invitissime, dixit ei: « Frater carissime, si haberes frequenter talem poenitentiam, haberes utique meliorem [3] conscientiam ». Item frater Petrus narravit, quod cum clerici sancti Edmundi archiepiscopi peterent pro quodam consanguineo suo, qui fuit veredarius, respondit Sanctus: « Si biga sua fracta est, propter reverentiam precum vestrarum faciam eam reparari; quodsi reparari non possit, emam sibi novam; sed pro certo noveritis, quod statum suum nunquam mutabo ». Item dixit idem sanctus episcopus, cum offerrentur sibi quaedam pretiosa iocalia, et moneretur a suis, ut ea reciperet; respondit: « Si pren-

[1] Haec vocula deest in ed. Br.

[2] Grostete. — Pro intelligentia eius, quod paulo inferius de hoc praelato narratur, sciendum est, ipsum controversiam habuisse cum curia Romana circa beneficia ecclesiastica conferenda.

[3] Ita cod. B; sed ed. Br. posuit *melius ordinatam*, nescio cur, cum illa phrasis apud Scholasticos non sit inusitata.

derem, penderem; inter prendere et pendere non est nisi una littera ». Item idem pater frater Petrus narravit, quod cum dominus Robertus Lincolniae episcopus in principio suae promotionis plurimum indigeret equis, venit senescallus suus, cum sederet ad libros suos, et denuntiavit ei, quod duo albi monachi venerant ad praesentandum ei duos palefridos pulcherrimos; et cum infestus esset ei, ut eos reciperet, et allegaret, quod exempti essent; penitus non adquievit nec movit se a loco, sed dixit: « Si reciperem eos, traherent me per caudas suas in infernum ».

Dominus Robertus Grosseteste, Lincolniae episcopus, ita graviter offendebatur aliquando, quod Minister non permisit fratrem quendam morari in hospitio suo, quem aliquando habuerat, quod noluit alicui fratri, nec etiam confessori suo loqui; et tunc dixit ei frater Petrus, quod si omnia bona sua daret fratribus, et non daret eis affectum cordis sui, fratres ea non curarent. Et incepit episcopus flere et dixit: « Vae vos peccatores! quia nimis affligitis me; quia non possum non vos amare, etsi talem vultum vobis ostenderim »; siquidem fratres in mensa sua comederent ad latus suum, et tamen noluit eis loqui.

Ipse dixit ei, quod loca super aquam non sunt sana, nisi fuerint in sublimi sita. Item dixit, quod valde sibi placuit, quando vidit manicas fratrum repeciatas.

Item dixit, quod piper parvum melius fuit quam zinziberum in salsa.

Item dixit, quod gaudebat, quando vidit, quod scholares sui non curabant [1] de lectione sua, dummodo ipse eam sollicite providisset; quia scilicet deesset sibi occasio vanae gloriae, et non amitteret aliquid de merito suo [2].

Narravit autem eidem patri frater Mansuetus, nuntius domini papae Alexandri IV., in eodem loco, quod eadem die, qua lecta fuit littera in audientia, in qua decreverat dominus Innocentius IV. octo sententias contra Praedicatores et Minores, amisit loquelam, nisi quod postea dixit: « propter iniquitatem corripuisti hominem »; et frequentissime invocavit S. Franciscum; nam et in sanitate sua dixerat, quod nullius Sancti fuerat expertus tot suffragia. Dominus autem Alexander IV., cum esset Hostiensis [3], praedixerat, quod certus fuerat, quod Dominus cito auferret Papam de medio propter favorem, quem praestitit contra Ordinem. Verumtamen in obitu suo omnes familiares sui deseruerunt eum, praeter fratres Minores. Et similiter Papam Gregorium et Honorium et Innocentium, in cuius obitu fuit praesentialiter S. Franciscus. Frater Mansuetus dixit, quod eadem die electionis suae suspendit dominus Alexander IV. litteram, quam dederat dominus Innocentius contra Praedicatores et Minores; et postea palam factum, quod fecit Papa revocari eam. Decreverat enim Innocentius, quod essent excommunicati omnes fratres, si alicuius parochianum aliquo die festo ad audienda divina reciperent, et similia. Dixit etiam dictus frater Mansuetus, quod nullus mendicus, ne dicam nullus homo, miserabilius et vilius moritur quam papa quicumque.

Dixit etiam, quod quidam frater, stans in oratorio in oratione in cilicio, vidit maximum exercitum v millia militum equitum intrantem mare; et crepuit mare,

---

[1] Ita cod. B habere videtur; ed. Br. non bene interpretando habet *cessabant*.

[2] Praecedentes narratiunculae de Grostete sunt in margine cod. B. Nunc reditur ad fr. Petrum de Theukesbury.

[3] Id est, cardinalis episcopus *Ostiae*.

quasi essent omnes ex aere candente; et dictum est ei ab uno eorum, quod fuit Fredericus imperator, qui ivit in montem Etnae[1]. Nam eodem tempore mortuus est Fredericus.

Narravit autem idem frater Mansuetus, quod cum esset puer circiter decem annorum, informatus fuit a fratribus Minoribus, ut Eucharistiam praecipue veneraretur. Ut igitur die Paschae digne posset communicare, cum adhuc esset puerulus, ieiunavit fere tota[2] quadragesima. Et ecce ipso die Paschae, cum totus populus communicaret, accessit quidam sceleratissimus et infamissimus homo ad communionem, nomine Gentius; et percepta communione sine debita reverentia, statim divertit et sedit super banchum et coepit garrulare cum astantibus, non plus curans, quam si morsellum panis in ore suo teneret. Et ecce vidit frater Mansuetus Eucharistiam exire ab ore suo et ad magnum spatium areae transilire in terram; et statim accessit ad sacerdotem, virum scilicet valde venerabilem, et retulit ei quod viderat; et illico praecepit, ut quaereret Eucharistiam, ubi descenderat; et cum quaereret, mox invenit eam in eodem loco, cum tamen populus diutius transisset ad communionem per locum illum et redisset. Igitur idem puerulus dictam hostiam et omnes, quae super altare consecratae remanserant, reverenter accepit et ineffabiliter in fide confirmatus extitit.

Frater quoque Petrus, minister Angliae, narravit, quod cum esset valde familiaris in domo domini Galfridi Le Despensyr, accidit, ut veniret semel ad dictam domum, et venit filius dicti domini, Iohannes nomine, puerulus, et sicut semper consuevit, accessit ad eum familiarissime. Cum autem dictus puer ivisset cum domina matre sua in capellam et astitisset dicto patri Petro celebranti et domum ivisset[3] denuo, fugit dictum patrem, nec potuit ullo modo compelli a matre, ut ad eum accederet. Cumque quaereret mater causam, pro qua fugeret, dixit, quod viderat eum devorare infantem in capella super altare, et timuit, ne faceret sibi similiter.

Frater Garinus de Essewel[4], qui iuvenis satis intravit Ordinem, et postea in tantum profecit, ut non sine multorum admiratione in pluribus locis solemniter legeret, et in familiaritate magnatum prudenter se gereret, et in negotiis Ordinis laudabiliter se haberet, in praedicationis officio et studio contemplationis incomparabiliter excresceret. Demum eadem hora nona in complexu et osculis crucifixi obiit coram altari Suthamptonae. Apparuit autem apud Sarum quidam frater diu ante mortuus, nomine frater Iohannes, fratri Symoni de Wymborne et dixit, se bene valere, et fratrem Garinum sine omni mora transisse purgatorium et ivisse ad Dominum Iesum Christum.

Ad tantam quoque perfectionem provinciam Anglicanam provexerat, ut frequenter diceret minister generalis, frater Iohannes de Parma, cum esset in Anglia: O utinam talis provincia posita esset in medio mundi, ut omnibus esse posset ecclesiis in exemplum! Ipse quidem Generalis provinciale capitulum Angliae celebravit Oxo-

---

[1] Id est Aetna. Ita legendum esse putamus verbum in cod. A, cuius pagina una arte lithographica expressa est. Ed. Br. *Ethicae*.

[2] Ed. Br. *totam quadragesimam*, refragante cod. A.

[3] Cod. A *venisset*.

[4] Cod. B *Erwelle*.

niae, in quo confirmavit constitutiones provinciales de parsimonia et paupertate aedificiorum. Cumque dedisset fratribus optionem de ministro provinciali confirmando vel absolvendo, petiverunt eum communiter confirmari.

Dixit autem dictus frater Willelmus aliquando, quod cum dominus Lincolniae sanctae memoriae, tunc temporis actu legens apud fratres Minores. Oxoniae praedicasset in capitulo fratrum de paupertate, et mendicitatem posuisset in scala paupertatis proximum gradum ad amplexum caelestium, seorsum tamen dixit ei, quod adhuc fuit gradus quidam superior, scilicet vivere ex proprio labore; unde dixit, quod beginae sunt perfectissimae et sanctissimae religionis, quia vivunt propriis laboribus, et non onerant exactionibus mundum.

Dixit etiam memorabilis pater, quod quidam novitius erat, qui voluit facere abstinentiam, et dixit magistro suo, quod proposuit paulatim tentare quid posset. Magister autem suus concessit ei cum gaudio; et cum aliquamdiu incepisset, et semper, requisitus a magistro, bene se habere dixisset, tandem incepit timere, quod fieret debilis et dixit hoc magistro suo, et ipse respondit: « Cito pro Deo comedas et bibas, aut deficies, quia deficit fides tua. Sic et Petrus metuens mersus est ».

Praeterea dixit, quod oportebat considerare mentem sancti Francisci et intentionem in regula; alioquin, sicut insensibiliter crescunt pili barbae, sic crescent superfluitates in Ordine. Oportet etiam niti contra fluctus saeculi supra quam necesse est, alioquin trahet nos inferius, quam intendamus; sicut facit aqua volentes transire et directe tendentes ad ripam oppositam. Praeterea dixit, quod nescit homo, si molestum sit ei amoveri a loco, nisi per experientiam, sicut non advertit, quod pili haerent capiti, nisi cum trahuntur. Ipse in Scripturis sacris studiosissimus erat et studentes studiose promovebat. In mensis extra refectorium lectionem semper habere volebat, et affectu specialissimo nomen Iesu venerabatur et verba sancti Evangelii devotissime recolebat; unde et super unum ex quatuor Clementinis canones perutiles compilavit, et expositionem, quam idem Clemens fecit, complete scribi in Ordine procuravit. In meditatione post matutinum praecipue diutissime sedit, nec confessionibus nec consiliis de nocte, sicut praedecessores sui fecerant, intendere voluit. Dixit etiam, quod sicut peius est dare falsam regulam in faciendo quidquam, quam male facere, sic peiores sunt pravae sententiae circa facta Ordinis quam imperfecta opera. Difficillime credidit cuiusquam relationi, nisi vellet coram pluribus dicere id quod denuntiaret, et super omnia suspicionis vitium vitare curavit. Familiaritates magnatum et mulierum maximo studio declinavit, et etiam mirabili magnanimitate iras potentium pro iustitia parvipendit. Dixit autem aliquando, quod magnates sibi familiares suis consiliis illaqueant, et mulieres, utpote mendaces et malitiosae, suis blanditiis etiam devotos dementant. Diffamatorum famam reformare, dummodo eos poenitere perpenderet, omni diligentia studuit, et desolatorum corda confortare, praecipue in officiis Ordinis existentium, summa sagacitate curavit.

Igitur postquam circiter novem annos provinciam Angliae rexerat, in capitulo Metensi absolutus est, et ex parte capituli generalis missus ad Papam. Sed cum pervenisset cum ministro generali Ianuam, et socius suus frater Richardus percussus fuisset pestilentia, quae supervenit; fugientibus aliis, propter solatium socii sui remansit, et similiter cum eo percussus est et mortuus. Fratres autem Angliae, audito quod absolutus erat, et ignorantes eius decessum, convocato provinciali capitulo, reelegerunt eum. Quod cum generalis minister audisset potius motu affectionis

quam iudicio rationis factum, convocato iterum per vicarium, scilicet fratrem Gregorium de Bosellis, capitulo, mandavit, ne alias absolutum per generale capitulum reeligerent; confirmationem tamen electi demandavit fratri Iohanni de Ketene, fratri Adae de Marisco et fratri Iohanni de Stamfordia. Electus est autem frater Petrus de Theukesbury et ibidem confirmatus.

In absolutione fratris Heliae quaesitum fuit a papa Gregorio, si posset tunc iterum eligi, et respondit Papa quod non.

Cum vellent quidam fratres, quod nullo modo contraherentur debita, dixit frater Willelmus mihi, quod non debuerunt fratres obligare se aliquo modo ad solutionem nec tempus certum praefigere solutionis, sed poterant licite obligare suam sollicitudinem, quod operam fidelem darent, ut fieret solutio. Dixit etiam, quod in centum casibus possent fratres licite contrahere debita. Dixit quoque, quod non peccaret frater, si per manum suam dispensaret pecuniam alienam in eleemosyna.

Dixit insuper, quod oportuit eum post visitationem ludere parum, ut averteret memoriam ab auditis. Ipse dixit mihi, quod suscitaret dulcis Iesus Ordinem novum ad excitationem nostram, quod puto impletum in Ordine de Poenitentia Iesu Christi. Nam fratres de Ordine sancti Augustini prius fratribus recommendaverat in capitulo Stamfordiae; fratres quoque de Ordine de Carmelo, quos dominus Richardus de Grey in Angliam duxit, cum rediret comes Richardus a Syria, in familiaritatem fratrum nostrorum ubique diu ante receperat. Fratres autem de Ordine Trinitatis, quos magister theologus Iohannes, apparente sibi Christo Iesu, cum celebraret, praesente episcopo Parisiensi et clero, sub Innocentio III. divinitus instituit, diu ante venerunt in Angliam [1].

Frater Willelmus dixit, quod cum diutius moraretur in conventu Romae, et fratres nullam pitantiam haberent, nisi castaneas, ita impinguatus est, ut plurimum erubesceret. Praeterea dixit mihi, quod cum nutriretur in domo patris sui, et venirent plurimi pauperes precantes eleemosynas, dedit eis de pane suo et accepit frustum ab eis, quia videbatur ei, quod suavior fuit panis durus, qui petebatur pro amore Dei quam delicatus, quo ipse vescebatur et sodales sui; unde ut suum tam suavem facerent, ibant pueruli et petebant ab invicem pro amore Dei.

Frater Petrus recepit primo fratres de Poenitentia Iesu Christi et recommendavit in capitulo Londonensi, qui in Provincia tempore concilii Lugdunensis ortum habuerunt per quendam novitium, qui expulsus erat. Tertio anno administrationis fratris Petri venerunt fratres de Ordine Martyrum in Angliam, quorum fundator erat quidam Martinus, qui fuerat Parisius quasi fatuus nobilium Alemanniae [2].

---

[1] Editor dicit, Trinitarios venisse in Angliam 1224, Carmelitas 1250, Augustinianos 1254, Fratres de Poenitentia (Friars of the Sack) 1257.

[2] In fine editor notat, maximam partem harum narrationum esse ad marginem cod. B scriptam, nec certum ordinem earum determinari posse; et integram paginam, quae deest in cod. B, esse quidem in cod. A, sed legi non posse nisi ultima haec verba: *paupertas sine pecunia, et patientia sine contumelia tertiumque (?) multum frequentior est oratio sine devotione.*

APPENDIX[1].

I.

Nomina illorum, qui fuerunt fratres Minores pro fide [martyrizati].

Beatus frater Electus, laicus, tempore beati Francisci suscepit martyrium pro [fide Christi].

Frater Otto, frater Beraldus, frater Petrus, frater Accursius, frater Adiutus: — Hi quinque fratres martyrizati sunt tempore Innocentii [III.] et beati Francisci; quorum meminerunt historia et legenda....... confessor apud Marochium XVII Kal. Feb. [Ian. 16.] quorum vener[andas reli]quias dominus Petrus, infans regis Portugalliae, [qui fuerat] hospes praedictorum fratrum, a Marochia secum deferens... celebrem passionis ordinem plenius divulgavit. [Eorum] gesta martyrii habentur in conventu Londoniae.

Frater Thomas de Tholentino de Marchia, frater Iacobus de Padua, frater Demetrius de Gorgia laicus, frater Petrus de Senis: — Hi quatuor martyrizati sunt pro fide Christi in civitate Chana a Saracenis; quorum passionis ordinem refert frater Odoricus in suo *Itinerario*. Passi anno Domini MCCCXX. nono die mensis Aprilis.

Frater Petrus de Narbona, frater Stephanus Cone, frater Hugonis, frater Daniel: — Hi quatuor fuerunt martyrizati Ierosolymis in festo sancti Martini episcopi et confessoris, in Novembre anno Domini MCCCXCI., a Kadi legis Saracenorum scilicet episcopo sive pontifice, una cum confessoribus Amiraldi et Soldani, in praesentia Valentinorum, Agarenorum, ibi tunc existentium.

---

[1] Editor I. tomi operis *Monumenta Franciscana* chronicae fratris Thomae de Eccleston et epistolis fratris Adae de Marisco addit (p. 493) commentariolum sub titulo: Prima fundatio fratrum Minorum Londoniae, in quo post aliqua excepta, ex dicti Thomae libro sumta, plura de aedificio Conventus Londinensis et de ipsius benefactoribus exhibentur, quae omittimus, quia ea legere extra Angliam vix aliquem delectat. Sed p. 526 et in adiecto appendice p. 547 seqq. sequuntur plures catalogi nominum breviumque notitiarum ad generalem Ordinis Minorum historiam spectantium, qui in rebus historicis determinandis utiles esse possunt. In his nominibus scribendis non pauci quidem inveniuntur errores, quos corrigere vel notare non vacabat. Quare, exceptis nonnullis manifestis vitiis, editionem primam fideliter reproducimus. Editor (p. 439) affirmat, narrationem de prima fundatione Fratrum Minorum Londoniae etc. sumtam esse ex codice chartaceo saec. XV. in biblioth. Cottonensi, Vitellius F. XII.

Frater Deodatus de Aquitania, frater Stephanus de Senone, frater Nicolaus de Debevico: — Hi sustinuerunt martyrium in Ierosolyma a Saracenis, diverso tamen tempore.

Frater Nicolaus de Marochio, frater Benedictus de Reginone[1], frater Thomas de Fulgentio, laicus, frater Gregorius de Digiadra: — Hi successive et tempore diverso fuerunt martyrizati in Bosnia ab haereticis.

Frater Franciscus de Alexandria, frater Paschasius de Hispania, frater Raymundus de Provincia, frater Laurentius de Alexandria, laicus: — Hi fuerunt martyrizati in Tartaria a Tartaris diverso tempore.

Frater Leo de Ulixbona fuit martyrizatus ab infidelibus in Marochio tempore sancti Antonii.

Frater Vitus de Hispania fuit decollatus in Marochio a Saracenis pro fide Christi.

Frater Monaldus de Marochio recepit martyrium in oriente ab infidelibus.

Frater Antonius de Armenia, frater Aldrobandus de Florentia: — Hi receperunt martyrium pro Christo in Persia.

Frater Bernardus de Aragonia recepit martyrium inter Sebes.

Frater Iacobus, custos Terrae Sanctae, fuit martyrizatus pro fide catholica a Saracenis.

Frater Stephanus, inquisitor haereticae pravitatis, fuit martyrizatus[2] ab haereticis pro defensione fidei in civitate Tolosana.

Frater Iheronimus fuit martyrizatus a soldano Babyloniae in Aegypto.

Frater Antonius de Mediolano, frater Andreas de Hungaria: — Hi duo fuerunt martyrizati in vicaria ab haereticis, tempore tamen diverso.

Frater Conradus de Albis de Mediolano recepit martyrium a Saracenis pro fide Christi.

Frater Monaldus fuit martyrizatus in Tartaria, cuius caput fuit portatum ad civitatem Anconae.

Frater Richardus fuit martyrizatus in Tartaria in civitate Armalecis.

Frater Petrus de Provincia fuit martyrizatus inter Tartaros.

Frater Iohannes de Monte Puliciano fuit martyrizatus in Babylonia Aegypti.

Frater Willelmus Walden de Anglia fuit martyrizatus a Saracenis et combustus in Perside, civitate Salamasci v. die mensis Iunii, anno Domini MCCCXLII.

II.

Isti sunt sancti fratres Episcopi et Confessores de Ordine [Minorum].

Almus Christi confessor sanctus Franciscus.

Sanctus Antonius de Padua, egregius et famosus praedicator.

Sanctus Bonaventura de Balneo Regio, doctor devotus, generalis octavus, et post cardinalis et episcopus Albanensis.

---

[1] Cod. *Regine*.

[2] Cod. hic et infra *mortuus*.

Sanctus Ludovicus, filius Caroli Siciliae, episcopus Tolosanae, qui mortuos suscitavit, et multa alia miracula fecit.

Sanctus Bernardinus.

Beatus frater Rufinus de Sciphio, confessor.

Beatus frater Gerardus de Valencia, qui in vita et in morte miraculis mirabiliter claruit.

Beatus frater Walterus, episcopus Pictaviensis, habuit specialem gratiam curandi homines a quartana et in morte unum daemoniacum curavit.

Beatus frater Lucius de Marchia, confessor.

Beatus frater Leo, Archiepiscopus Mediolanensis, qui in vita claudum sanavit et in morte caecum illuminavit.

Beatus frater Iacobus de Todio, confessor.

Beatus frater Iohannes de Alvernia, confessor.

Beatus frater Peregrinus de Marchia, confessor.

Beatus frater Willelmus de Anglia, qui erat verus obediens, qui guardiano suo obediebat post mortem suam.

Beatus frater Iohannes Holkote de Anglia, qui in vita et in morte quamplures resuscitavit ad vitam.

Beatus frater Clotsale de Anglia, qui ultra mare pro sancto habetur. Obiit MCCCXLIII.

Beatus frater Gandulphus de Lombardia, qui iacet in provincia Siciliae in matrici ecclesia terrae Pollicii, miraculis clarus.

Beatus frater Iacobus de Faldrano, qui iacet in loco Moliani provinciae Marchiae, custos Firmanae.

Beatus frater Andreas de Vilio Campaniae, nepos domini Alexandri episcopi quarti, reiiciens cardinalitatus honorem, remisit capellum domino episcopo. Hic plenus sanctitate vivens in Ordine post eius obitum usque in praesens miraculis coruscare non cessat.

III.

[Isti] sunt episcopi et cardinales, qui non fuerunt ministri generales.

[Beatus] Petrus de Camera, doctor in theologia, Parisius, de provincia Romana, primo episcopus Nov[arae], deinde archiepiscopus Mediolani, postea cardinalis et episcopus Praenestinus[1]; tandem [assumptus] ad apicem sanctissimi pontificatus, et dictus est Alexander Quartus.

Frater Bertrandus de Turribus, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit cardinalis et episcopus Tusculanus tempore Ioannis XXII.; qui postillando scripsit super epistolas et evangelia per totum annum, et fecit librum Sermonum de Sanctis, qui vocatur *Sanctorum* [*Bertrandi*].

---

[1] In cod. etiam infra *Penestrinus*.

Frater Gerardus...[1] fuit presbyter cardinalis, tituli XII Apostolorum, et postea episcopus Salu[ceriae].

Frater Bentivengia de Tuderto, provinciae sancti Francisci, fuit cardinalis et episcopus Albaniae.

Frater Pastor Provincialis, doctor in theologia, fuit cardinalis tituli sanctorum Petri et Marcellini.

Frater Iacobus Gaietanus de Anagnia, nepos domini Bonifacii VIII., fuit cardinalis sancti Clementis.

Frater Vicedomus Placentinus fuit cardinalis et episcopus Praenestinus.

Frater Vitalis de Furno, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit cardinalis et episcopus Albanensis.

Frater Helias de Nabinarius, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit cardinalis.

Frater Bartholomaeus de Cucurno de Ianua, doctor in theologia, fuit cardinalis.

Frater Bertrandus, cardinalis.

Frater Helias de Siso, cardinalis.

Frater Gentilis de Monte Floris, provinciae Marchiae, fuit presbyter cardinalis tituli sancti Martini in Montibus.

Frater Petrus de Fuxo, comitis Fuxi, doctor in theologia, provinciae Aquitaniae, cardinalis tituli sancti Laurentii in Damaso.

Frater Petrus... consanguineus domini Sixti Episcopi IV., et modo presbyteri cardinalis sancti Sixti.

Et nota hic, quod anno Domini MCCCXXVIII., tempore Ioannis XXII., anno eius 12.°, frater Petrus de Carnaria[2], per Ludovicum dominum Bavariae, in Imperatorem triplici corona per vim coronatum, cum Romanorum [consensu] electus erat et vocatus Nicolaus IV., qui statim post, scil. anno Domini MCCCXXX., resignavit, et est episcopus.

IV.

Isti sunt [Papae] et Cardinales, qui fuerunt ministri generales.

Frater Bonaventura de Balneo Regio, doctor devotus, generalis octavus, post cardinalis et episcopus Albanensis.

Frater Hieronymus de Esculo, generalis et presbyter cardinalis, tituli sanctae Potentianae, post episcopus Praenestinus, et tandem sanctissimus pontifex, dictus Nicolaus IV.

Frater Matthaeus de Aquasparta, generalis, episcopus cardinalis sanctae Rufinae, et postea Portuensis.

Frater Iohannes Murro, generalis, et post cardinalis episcopus Portuensis et sanctae Rufinae.

---

[1] Vagat in cod., sicut pluries infra.

[2] Scil. de Corbario proprie Reate; ipse sibi imposuit nomen Nicolai V.

Frater Fortunarius Vasalli, generalis et postea cardinalis.

Frater Guillelmus Farinarii, generalis, et post cardinalis, tituli sanctorum Petri [et Marcellini].

Frater Marcus de Viterbio, generalis xxiii., et postea cardinalis.

Frater Thomas de Frigiano, generalis xxiv., et postea patriarcha Gradensis, deinde presbyter cardinalis, tituli sanctorum Nerei et Achillei, tandem episcopus Tusculanensis.

Frater Leonardus de Giffone, generalis xxv., post cardinalis.

Frater Ludovicus de Venetiis, generalis xxvi., postea cardinalis, tituli sancti [Marci].

Frater Franciscus de Savona de Ruere [1], generalis xxviii., postea presbyter [cardinalis], tituli sancti Petri [ad Vincula], demum inspiratione divina assumptus est ad culmen sanctum pontificatus, et dictus Sixtus IV., anno Domini mcccclxxi. ix. [die Octobris].

V.

Isti sunt ministri generales Ordinis Minorum.

1. Sanctus Franciscus, Ordinis fratrum Minorum institutor et dux, generalis minister fuit in eodem Ordine, et rexit Ordinem xx [annos]. In quo tempore frater Helias de Assisio fuit vicarius eiusdem S[ancti].

2. Frater Iohannes Parens de provincia Romana fuit secundus generalis minister, [et] ministravit vi annis; et hic primus minister fuit provinciae Hispaniae.

3. Frater Helias de Assisio, qui scriptor fuerat Bononiae, fuit tertius generalis minister et ministravit ix annis.

4. Frater Albertus Pisanus fuit quartus generalis et ministravit tribus annis; qui prius fuit minister in provincia Angliae.

5. Frater Haymo de Faversham, Anglicus, fuit quintus generalis et ministravit v annis. Hic ex commissione domini Innocentii Papae IV. totum divinum officium cum novis rubricis ordinavit, quod a tota Romana curia et eam sequentibus est assumptum. Hic etiam prius fuit minister in provincia Angliae.

6. Frater Crescentius, medicus famosus, quondam minister Veronae, fuit vi. generalis; qui postea factus est episcopus civitatis suae, de qua oriundus erat.

7. Frater Iohannes de Provincia [2], sanctae memoriae, magister in theologia, et lector curiae, de provincia Bononiae, fuit vii. generalis, et ministravit viii annis. Hic signis micat. Hic etiam scripsit fratri Rogero Bakon tractatum, qui incipit «*Innominato Magistro*».

8. Frater Bonaventura de Balneo Regio, doctor in theologia, de provincia Romana, fuit viii. generalis; ministravit xviii annis. Postea factus est cardinalis primus in Ordine et episcopus Albanensis; qui sanctissime scripsit super Sententias, et inter doctores Parisienses dicitur «*Doctor mellifluus*». Hic dulcissimo sermone descripsit

---

[1] Italice: de la Rovere.

[2] Parma.

vitam sanctissimi patris nostri Francisci, et fecit contemplativum tractatum de vita Christi.

9. Frater Hieronymus de Esculo, provinciae Marchiae, fuit IX. generalis, et ministravit VI annis; postmodum factus est presbyter cardinalis terrae sanctae Potentianae (sic!). Deinde factus est episcopus cardinalis Praenestinus. Tandem assumptus est ad apicem summam apostolatus, et dictus est Nicolaus IV. episcopus, in ordine Minorum primus. Hic totam Graeciam adduxit ad fidem et obedientiam sanctae Romanae ecclesiae.

10. Frater Bonagratia, de provincia Bononiae, qui rexit V annis; quo mortuo, nullo trahente, maior campana diu pulsatur.

11. Frater Acholotus[1] de Prato, magister in theologia Parisius, de provincia Tusciae, fuit XI. generalis et ministravit uno anno.

12. Frater Matthaeus de Aquasparta, doctor in theologia Parisius ac lector curiae tempore Martini episcopi, fuit de provincia sancti Francisci et XII. generalis, qui ministravit II annis. Postea factus est Portuensis et ecclesiae Rufinae sanctae episcopus cardinalis.

13. Frater Raymundus Provincialis, doctor in theologia Parisius, fuit XIII. generalis, et ministravit VI annis.

14. Frater Iohannes de Murro, doctor in theologia Parisius, de provincia Marchiae, fuit XIV. generalis et ministravit VII annis; postmodum factus est Portuensis et sanctae Rufinae episcopus cardinalis; qui tunc etiam extitit Ordinis nostri protector et corrector.

15. Frater Gundisalvus Hispanus, doctor in theologia Parisius, fuit XV. generalis et ministravit IX annis.

16. Frater Alexander de Alexandria, doctor in theologia Parisius, de provincia Ianuae, fuit XVI. generalis, et ministravit uno anno, tempore Clementis papae V.

17. Frater Michaelis (sic!) de Cesena, doctor in theologia Parisius, de provincia Bononiae, XVII. generalis, et ministravit XII annis.

18. Frater Geraldus Odonis, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit XVIII. generalis, et ministravit XIV annis; postea factus est episcopus et patriarcha Antiochensis. Hic erat generalis tempore Iohannis XXII. et Benedicti XII.

19. Frater Fortunarius Vasalli, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit XIX. generalis et ministravit V annis, postomodum factus est archiepiscopus et cardinalis Ravennatis et postea patriarcha Gradensis, et sepultus in ecclesia fratrum Minorum de Padua.

20. Frater Gulielmus Farinerii sive de Cordovio, doctor in theologia, de provincia Aquitaniae, fuit XX. generalis et ministravit VIII annis et VII mensibus; postea factus est presbyter cardinalis, tituli sanctorum Petri et Marcellini.

21. Frater Iohannes de Bucho, doctor in theologia, in provincia Aquitaniae, fuit XXI. generalis et ministravit uno anno.

22. Frater Marcus de Viterbio, doctor in theologia, de provincia Romana, fuit XXII. generalis et ministravit VIII annis; postea factus est cardinalis presbyter, tituli sanctae Praxedis.

---

[1] Arlottus.

23. Frater Thomas de Frigiano, doctor in theologia, de provincia Bon[oniae] fuit XXIII. generalis et ministravit VI annis; postea factus est patriarcha Gradensis, deinde presbyter cardinalis, tituli sanctorum Nerei et Achillei, et postea episcopus Tusculanus.

24. Frater Leonardus de Gyffone, doctor in theologia de cathedra Cant..., de provinciae Terrae Laborum, fuit XXIV. generalis, electus Tolosae, et ministravit VI annis; postea factus est cardinalis.

25. Frater Ludovicus de Veniciis[1], doctor in theologia, fuit XXV. et ministravit III annis; postea factus est cardinalis sancti Marci.

26. Frater Petrus de Canzano, doctor in theologia, de provincia Penestrinae (sic!) fuit XXVI. generalis et ministravit uno anno.

27. Frater Martinus de sancto Georgio, doctor in theologia, de provincia Ianuensi, fuit XXVII. generalis minister et ministravit III annis.

28. Frater Henricus de Ast, de provincia Ianuensi, fuit XXVIII. generalis et ministravit XVII annis cum dimidio.

29. Frater Antonius de Pareto, de provincia Romana, fuit XXIX. generalis et ministravit annis XVII.

30. Frater Angelus de Senis, doctor in theologia, de provincia Tusciae, fuit XXX. generalis et ministravit annis II.

31. Frater Antonius de Massa, doctor in theologia, de provincia Tusciae, fuit XXXI. generalis et ministravit annis VI; qui postea factus est episcopus Massanus.

32. Frater Willelmus de Casali, doctor in theologia, de provincia Ianuensis fuit XXXII. generalis et ministravit annis....

33. Frater Antonius de Rusconibus, de Cumis, doctor in theologia.

34. Frater Angelus de Peruso[2], doctor in theologia.

35. Frater Iacobus de Mosonica[3], doctor in theologia.

36. Frater Iacobus de Sarsuelis, doctor in theologia.

37. Frater Franciscus de Savona, doctor in theologia famosissimus, primo minister Ianuae, deinde generalis, postea presbyter cardinalis, tituli sancti Petri ad Vincula; deinde vero summus pontifex dictus Sixtus IV.

[38]. Frater Zanetus de Udina, doctor theologiae.

[39]. Frater Franciscus de Samson.

[40]. Frater Egidius Delphinus.

[41]. Frater Raynaldus Gratianus.

VI.

Isti fuerunt Ministri Provinciales in [Anglia].

1. Frater A[gnellus Pisanus].
2. Frater Albertus Pisanus, qui post fuit generalis IV. Obiit [Romae].
3. Frater Haymo de Faversham, Anglicus, qui etiam postea fr...

---

[1] Venetiis.

[2] Perusia.

[3] Nozzanica.

4. Frater Willelmus de Notyngham, vir Dei sanctissimus. Obiit Ia[nuae].

5. Frater Petrus de Tewkysbury, qui primo fuit minister Alma[niae, deinde] Angliae; iacet Bedford.

6. Frater Iohannes Stamford, iacet Linne.

7. Frater Petrus Swenfeld, iacet Leycestre.

8. Frater Thomas Bongaye, doctor Oxoniae, iacet Northamptonae.

9. Frater Iohannes Peccham, doctor Parisius, et resumpsit Oxoniae; lector cu[riae], et post archiepiscopus Cantuariensis. Iacet inter monachos.

10. Frater Hugo de Bathonia confirmatus, sed mortuus ante receptionem...

11. Frater Robertus de Cruce, doctor Oxoniae, iacet Bridgewater.

12. Frater Willelmus Geynysborough, doctor Oxoniae, lector curiae, et postea... episcopus Wygorniae, iacet apud Beluacum.

13. Frater Rogerus Merston, doctor Oxoniae, iacet Norwici.

14. Frater Hugo Hertylpole, doctor Oxoniae, iacet inter fratres Assisii.

15. Frater Adam de Lincolnia, doctor Oxoniae, iacet Lyncolniae, qui fecit mirabilia...

16. Frater Richardus Conyngton, docto[r] Oxoniae, iacet Cantebrigiae.

17. Frater Willelmus Notyngham, docto[r] Oxoniae, qui fecit solemnem postillam super unum ex IV^{or}., iacet Leycestre.

18. Frater Rogerus de Denemed, doctor Cantebrigiae, iacet Sarum.

19. Frater Iohannes Rodyngton, doctor Oxoniae, vir sanctissimus, iacet Bedfordiae.

20. Frater Iohannes Went, doctor Oxoniae, qui fecit miracula in vita, iacet Herfordiae.

21. Frater Willelmus Tythemersch, doctor Cantebrigiae, iacet Bedfordiae.

22. Frater Rogerus Conway, doctor Oxoniae, iacet Londoniae. Hic strenue defendebat Ordinem in curia contra Armachanum.

23. Frater Symon Tunstede, doctor Oxoniae, iacet apud Bruszerd.

24. Frater Robertus de Wysete, docto[r] Oxoniae, iacet Londoniae.

25. Frater Iohannes Mardeslay, doctor Oxoniae, iacet Eborum.

26. Frater Thomas Kyngesbery, docto[r] Oxoniae, iacet Notyngham.

27. Frater Iohannes Tyssyngton, doctor Oxoniae, iacet Londoniae.

28. Frater Nicolaus Fakenham, doctor Oxoniae, iacet Colcestre.

29. Frater Iohannes Souche, doctor Cantebrigiae, qui postea fuit episcopus Londoniensis, iacet Kerdiviae.

30. Frater Willelmus Butler, doctor, Oxoniae iacet.

31. Frater Vincentius Boys, doctor, Oxoniae iacet.

32. Frater Petrus Russel, doctor, Oxoniae iacet.

33. Frater Robertus Wellys, doctor Oxoniae, hic electus et confirmatus... mortuus ante receptionem, obiit in Francia.

34. Frater Ioannes David, doctor Cantebrigiae, iacet Kerdiviae.

35. Frater Rogerus Donwe, doctor Oxoniae, iacet apud Ware.

36. Frater Richardus Leke, doctor Oxoniae, iacet Lychefeldiae.

37. Frater Thomas Radner, doctor Oxoniae, iacet Radingiae.

38. Frater Willelmus Goddard, senior, doctor Oxoniae disertissimus, iacet Londoniae.

59. Frater Iohannes Persevalle, doctor Oxoniae, iacet Londoniae.

40. Frater Henricus Standych, doctor Oxoniae, qui postea fuit episcopus Assuaensis.

50. Frater Richardus Bryngkeley, doctor Cantabrigiae, iacet ibidem.

VII.

Nomina illorum, qui fuerunt fratres Minores, quondam Reg... trem in saeculo habitu sunt (!)

Frater Iohannes, quondam rex et imperator Constantinopolitanus.

Frater Iohannes, quondam rex et imperator Tartarorum.

Frater Iohannes quondam rex Armeniae; frater Henricus quondam rex Cipriae; frater Antonius, quondam rex Castelliae; de quibus habetur in chronicis fratris *Richardi de Dunelmo*, lib. VIII. c. 9.

Frater Iohannes, rex Hierosolymorum, de quo in chronicis praedictis, lib. VII. c. 4.

Frater... rex Saxoniae; frater Alphurnus, rex Arragoniae, frater Alphonsus rex Beluariae, de quibus in eisdem chronicis.

Frater Iacobus, frater Alphonsus, reges Aragoniae.

Frater Fernandus, frater Sanctius, reges Castelliae.

Frater Robertus, quondam rex Siciliae.

Frater Fredericus, quondam rex Trincariae vel Siciliae.

Frater Petrus, frater Alphonsus, frater Ferrardus, quondam reges Portugalliae.

Frater Ludovicus, quondam rex Neapoli.

Frater Robertus, rex Neapoli, per tres dies ante mortem fecit professionem.

Frater Iohannes, rex Armeniae, dimisso regno nepoti suo, effectus est frater minor et postmodum a Saracenis occisus est.

... [1] Dux Alzaciae in Saxonia effectus est frater minor sacer et professus, qui iacet in conventu Kilensi custodiae Bremensis. Hic dux intravit ordinem Minorum cum aliis duobus militibus.

Item, procedente tempore diversorum regum filii ordinem Minorum intraverunt, inter quos erat unus frater Ludovicus, nunc sanctus et canonizatus, filius Caroli regis Siciliae et haeres regni illius, postmodum episcopus Tolosanus; cuius frater Robertus minor eo patri suo successit in regno. Mater vero eorum fuit domina Maria, filia regis Hungariae. Alius etiam erat filius et haeres regis Maioricarum, qui ordinem Minorum etiam intravit. Alius erat frater Philippus, filius regis Hungariae, qui anno Domini MCCLXXXV. apud Neapolim in natali Domini cum magnis solemniis intravit ordinem fratrum Minorum. Nam dominus Robertus praedictus, germanus sancti Ludovici episcopi, qui tunc erat rex Siciliae, praedicavit in missa, et uxor sua, domina Sanxia, soror praedicti Philippi, in prandio personaliter ministravit. Item circa tempus secundae pestilentiae Petrus Infans, dux nobilis et gloriosus, de stirpe regali regis Castelli, duas habens filias reginas venerabiles, [mundo] renuntians

---

[1] Adolphus, dux Olsatiae (germanice Holstein).

et pompis eius, ordinis sancti Francisci assumpsit habitum, quem publice [tri]bus de... annis, et tandem in curia Romana mortuus est, et venerabiliter sepultus.

VIII.

Isti sunt personae quaedam valentes in saeculo, qui intraverunt ordinem fratrum Minorum in Anglia.

Imprimis frater et dominus Robertus de Insula, baro de Lyle, intravit Ordinem Londoniae, et ibidem sacer et professus obiit IV. die mensis Ianuarii, anno Domini MCCCXLIII.

Frater et dominus Robertus filius Walteri, baro, fundator conventus Colecestriae, intravit ibidem ordinem, anno Domini MCCCXXV.

Frater Robertus Hylton, baro de Hylton, indutus erat in conventu de Brygenorth, in custodia Wigorniae et sepultus est coram altare Virginis ex parte australi ecclesiae.

Frater Robertus Lamborne, filius unius baronis, et ultimus haeres illius baroniae, intravit ordinem Londoniae: qui postea fuit confessor dominae reginae Isabellae.

Frater Iohannes Zatmestre, famosus in saeculo, intravit Londoniae.

Frater Willelmus Scharshille, quondam iustitiarius regis Edwardi III., distractis omnibus temporalibus, intravit ordinem, cum honore magno, Oxoniae.

Frater et dominus Rogerus Bourne, miles, sepultus in habitu fratrum Norwici MCCCXXXIV.

Frater Robertus Nigram, quondam miles, intravit ordinem, et obiit Notyngham MCCCXLVII.

Frater Mathaeus Garton, valens armiger, venditis terris suis, factus est frater minor.

Frater Iohannes Stapilton, haeres magnarum opum et dominii, spretis uxore et haereditate, factus est frater minor.

Frater Radulphus de Maydynyston fuit ante introitum ordinis episcopus Herfordensis, qui intravit ordinem anno Domini MCCXXXIX.

Frater Iohannes de Redyng fuit ante introitum ordinis abbas de Oseneye.

Frater Adam de Marisco, doctor Oxoniae ante ingressum ordinis.

Frater Alexander Hales, natione Anglicus, doctor, cancellarius, et archidiaconus Parisiensis, relicta pompa saecularis conversationis habitum fratrum Minorum anno Domini MCCXXVIII. assumpsit, in quo virgo et doctor irrefragabilis XVII annos supervixit, et anno Domini MCCXLV. Parisius obiit, circa finem assumptionis, in cuius sepultura Odo, legatus domini episcopi, missam celebravit, cum assistentia multorum venerabilium praelatorum venientium de concilio domini episcopi.

Haec in laudem eius refert magister Iohannes de Garlaundia in libro « *de ministeriis Ecclesiae* », qui incipit, [« *Angli*[*c*[*a quo fulcet* », et cetera, in fine libri.

Frater Radulphus de Corbrug, qui fuerat doctor Parisius, et legit Oxoniae... novitius, intravit enim Parisius ordinem tunc actu regens in theologia.

Frater Hugo Wylluby, cancellarius et doctor Oxoniae, ac canonicus Eboracensis ecclesiae.

Frater Oliverus Stanwey, doctor utriusque iuris et cancellarius C[antebrigiae].

Frater Iohannes Wales, doctor theologiae, qui fuit bachellarius in theologia Oxoniae.

Frater Reginaldus Lambourne, primo bachillarius in theologia de collegio de Mer[ton] prius in ordine sancti Benedicti doctoratus, ordinem beati Francisci Oxoniae in]travit] et obiit Northampton.

Frater Iohannes de Wynchelsey, doctor theologiae, ac canonicus Sarum, ibidem intravit ordinem, sed obiit novitius.

Frater Iohannes de Insula, iuris civilis professor et quondam decanus de Bokel...

Frater Eustachius de Normanvyle, qui fuerat multum nobilis ac dives; qui fuerat magister artium ac decretorum, et cancellarius Oxoniae.

IX.

De secundo Ordine Sancti Francisci.

Beata Clara, qui in vita et in morte miraculis mirabiliter claravit.

Beata Agnes, soror sanctae Clarae.

Beata Ortulana, mater earundem.

Beata Magdalena, soror ordinis sanctae Clarae in provincia Argentinae.

[Be]ata Freburgh iuxta Basileam per vi milliaria.

X.

De tertio Ordine Sancti Francisci.

Sancta Elizabeth, filia regis Hungariae, et comitissa Thuringiae.

Sancta Brigida, principissa Nerciae et filia regis Sveciae.

Sancta Ethwide in provincia Saxoniae.

Sancta Rosa, quae iacet Viterbii.

Sanctus Elzearius, comes Alzaciae.

Sanctus Ludovicus VIII. rex Franciae.

XI.

Excerpta ex chronica fr. Thomae de Eccleston[1].

Ordo Minorum incepit A. D. 1206.

Anno D. 1224. anno 8. Henrici III. venerunt Minores in Angliam, quatuor scilicet clerici, et quinque laici. Clerici fuerunt frater Agnellus Pisanus diaconus; 2. frater Richardus de Kingesthorp, natione Anglicus, sacerdos et praedicator. aetate provectior, qui primus extitit, qui citra montes populo praedicavit in Ordine; 3. Richar-

---

[1] Lelandi Collectanea IV. 341. Quae sequuntur sumta sunt ex appendice in tom. I. *Monumenta Franciscana*, p. 547.

dus Devoniensis, natione Anglus, ordine acolythus; 4. Gulielmus Esseby novitius, Anglus etiam.

Conduxerunt sibi domum Londini in Cornehul, et construxerunt sibi cellas.

Frater Richardus Ingerwrde et Richardus Devoniensis conduxerunt sibi domum Oxonii in parochia s. Albae.

Iactis fundamentis religionis, iidem profecti Northamptonam conduxerunt domum in parochia s. Aegidii.

Primus guardianus Oxonii Willelmus Esseby, adhuc novitius.

Cantabrigiae primus guardianus frater Thomas de Hispania.

Frater Ioannes de Gernemuta, vir magnae sanctitatis, qui postea obiit Notinghamiae, et sepultus est inter canonicos Selfordiae.

Adam de Exonia[1] post ingressum profectus est ad papam Gregorium IX., a quo missus est ad praedicandum inter Saracenos, sed apud Barlete obiit.

Intravit autem Adam de Marisco apud Wigorniam.

Post hos intravit frater Io: de Reading, abbas scilicet Osneiae.

Post hunc Mr. Richardus Rufus, tam Oxoniae quam Parisiis fama clarissimus.

Primo receperunt Cantabriae fratres villae burgenses, assignantes eis veterem synagogam, quae erat contigua carceri.

Apud Salisbury dedit aream fratribus Dominus rex Henricus, ecclesiam vero aedificavit quidam burgensis, nomine Richardus.

. . . . Post per cives introducti sunt in villam, ubi nunc sunt.

Frater Hugo de Baldok, Philippus de London, Wilhelmus de Esseby, primi ex Minoribus praedicabant in Anglia.

Promovit autem plurimum praedicantes adventus fratris Haymonis de Faversham, qui cum tribus aliis magistris apud s. Dionysium famosus praedicator intravit.

Primo custos fuit Parisiis, postea lector . . . . positus est.

Bononiae et Paduae. In legatione quoque in Graeciam ad Nataem (sic!)[2] principem a piae memoriae Gregorio missus est.

Venit autem in Angliam cum fratre Haymone frater Wilhelmus de Colevylle senior, cuius germana postmodum in ecclesia cathedrali Cicestriae pro castitate observanda saevissime iugulata est.

Richardus Rufus cum Haymone profectus est in Franciam, et ad curiam contra Heliam turbatorem Ordinis.

Venit et tunc temporis Radulphus de Rosa, magnus praedicator et familiarissimus Henrico, postea Gregorii papae poenitentiarius. Obiit in curia plenus dierum.

Venit et tunc frater Henricus de Beresby, qui postea datus fuit in Ministrum Scotiae, cum esset vicarius custodis Oxoniae, sed praeventus fuit morte. Mortuus est Leyrcestriae, cui successit Ioannes de Kechene, guardianus de London.

Sub fratre Haymone in nonnullis locis facta est arearum ampliatio.

Sub fratre Wilhelmo de Abyngdon mutatus est locus Ebori, locus Bristolliae, locus de Brugewater, locus de Grymmesby, et locus Oxoniae.

Frater Agnellus fecit scholam honestam aedificari in usus fratrum Oxoniae, ubi legebat Grostest, postea episcopus Lincolniae. Cui successit in lectione Mr. Petrus,

---

[1] Oxonia.

[2] Vide supra pag. 229, nota 11.

postea episcopus in Scotia. Deinde Mr. Ioannes de Wescham, qui postea decanus fuit Lincolniae et episcopus Coventrensis. Post quem legit magister Thomas Walleus, postea episcopus s. Davidis.

Unde minister generalis Helias misit pro Philippo Wallensi et fratre Adam de Eboraco, ut Lugduni legerent.

Fratrem quoque Vincentium de Coventre frater Albertus in adventu suo lectorem Londoniae, germanumque fratrem suum Henricum Cantuariae lectorem constituit. Et sic paulatim per diversa loca positi sunt lectores, scilicet frater Wilhelmus de Leycestria Herfordiae, frater Gregorius de Bosel Leycestriae, frater Gilbertus de Cranford Bristolliae, frater Ioannes de Weston Cantabrigiae, frater Adam de Marisco Oxoniae.

Ita ut ante absolutionem fratris Willelmi de Notingham essent in Anglia xxx lectores.

A. D. 1308. Legit *Oxoniae* primus fratrum Adam de Marisco. 2. frater Radulphus de Coleburg, qui prius Parisiis laudabiliter rexerat. 3. frater Eustachius de Normanvyle, prius Mr. artium, doctor decretorum, et cancellarius Oxon. 4. Thomas de Eboraco. 5. frater Richardus Rufus Cornubiensis, qui eo tempore, quo frater Helias turbavit religionem, Parisiis ingressus est. Postea legit cursorie Sententias Parisiis, ubi magister et mirabilis philosophus iudicatus est. 6. frater Io. Walleus. 7. frater Thomas Dokking. 8. frater Henricus Brisigham. 9. frater Willelmus de Heddele. 10. frater Thomas de Bungey. 11. frater Ioannes Peccham, qui incepit Parisiis et resumpsit Oxoniae; tandem episcopus Cantuariae.

Legerunt *Cantabrigiae* frater Vincentius de Coventre, frater Io. de Weston, frater Wilhelmus Pictaviensis, frater Humfredus.

Frater Haymo, Anglicus, sextus ab Helia fuit minister generalis.

Haymo Romae commendatus papae per Richardum Somerton Cardinalem.

Romae in capitulo, quo depositus fuit frater Helias, minister generalis, Haymo electus fuit in ministrum totius Angliae.

Mortuus est Haymo senex Anagniae, ad quem visitandum dignatus est venire Innocentius IV.

Floruit Gul. de Notingham Oxoniae tempore Ioannis de Parma, octavi ministri generalis; cui successit Bonaventura, magnus ille theologus.

Consueverunt in ipso die ingressus, si vellent, profiteri. Sicque fecit frater piae memoriae Rogerus Bacon.

Frater Wil. de Notingham et frater Petrus de Tewkesbyri ostenderunt domino papae Innocentio quae suus statuerat praedecessor.

Frater Haymo per unum annum ministravit in Anglia, et postea in generalem electus est. Successit autem ei vicarius suus frater Gul. de Notingham.

Frater Nicolaus, qui, cum laicus esset, litteras didicit in Anglia, postea confessor Innocentii IV. et episcopus Assisii facus est.

Frater Eustachius de Mere, vir famosae religionis.

Frater Robertus de Turnham, guardianus Linniae, tanquam signifer cum cruce signatis in terram sanctam profectus est.

Frater Augustinus, Wil. de Notingham germanus, Innocentio IV. familiaris, postea episcopus Laodicensis.

Igitur postquam circiter quatuordecim annos idem Willelmus provinciam Angliae rexisset, in capitulo Metensi absolutus est, pauloque post Ianuae ex peste obiit.

XII.

Lectores theologiae fratrum Minorum in Universitate Oxoniae[1].

Sextus, frater I. Wallensis.

Septimus, frater T. Dockinge.

Octavus, frater. A. de Brisigham.

Nonus, frater W. de Heddele.

Decimus, frater T. de Bungeya.

Undecimus, frater I. de Pecham, qui primo incepit Parisius, postea resumpsit Oxoniae, postea magister curiae, postea archiepiscopus Cantuariae.

Duodecimus, frater H. de Apeltre.

Tertius decimus, frater R. de Cruce.

Quartus decimus, frater R. de Toftis.

Quintus decimus, frater Alanus de Rodano.

Sextus decimus, frater Rogerus de Marston.

Septimus decimus, frater Alanus de Wakerfeld.

Duodevicesimus, frater N. de Ocham.

Undevicesimus, frater Walterus de Knolle.

Vicesimus, frater H. de Hertepol.

Vicesimus primus, frater I. de Persora.

Notandum quod secundum alia chronica quartus magister, sc. proximus post fratrem Eustachium, hic non nominatur, nec alicubi reperivi nomen eius expressum; et quintus post fratrem T. de E[boraco].

Vicesimus secundus, frater Iohannes de Berewyco; iacet Stanford.

Vicesimus tertius, frater Iohannes de Barneby.

Vicesimus quartus, frater Adam de Lincolnia, postea minister Angliae; iacet Lincolniae.

Vicesimus quintus, frater Willelmus de Geynisborn, qui primus fuerat minister, et postea magister in curia Papae legit, et demum episcopus Wigorniae; iacet apud Beluacum.

Vicesimus sextus, frater Iohannes Basset.

Vicesimus septimus, frater Thomas Rondel; iacet Londoniae.

Vicesimus octavus, frater Ada de Howden.

Vicesimus nonus, frater Philippus de Briddilton.

Tricesimus, frater Petrus de Haldeswel.

Tricesimus primus, frater Iohannes de Horley.

Tricesimus secundus, frater Martinus de Alnewika.

Tricesimus tertius, frater Robertus de Beverlaco.

---

[1] Hic catalogus lectorum, qui in ipsa chronica Thomae de Eccleston (coll. XI.) incipit, scil. usque ad sextum lectorem, continuatur in cod. B ad marginem et a manu recentiore, ut hic legitur. A numero vigesimo secundo alia manus adhuc recentior nomina scripsit; et iterum alia manus a sexagesimo secundo.

Tricesimus quartus, frater Richardus de Coniton, postea minister; iacet Cantebrigiae.

Tricesimus quintus, fratrer Thomas de Pontefracto.

Tricesimus sextus, frater Petrus de Sutton; iacet Stanfordiae.

Tricesimus septimus, frater Ranulphus de Rockysley; iacet Wigorniae.

Tricesimus octavus, frater Willelmus de Schyrbourne.

Tricesimus nonus, frater Willelmus de Notingham, postea minister Angliae.

Quadragesimus, frater Iohannes de Wylton.

Quadragesimus primus, frater Iohannes de Combe; iacet Oxoniae.

Quadragesimus secundus, frater Willelmus de Alnewyke, qui postea apud Montem Bononiae Neapoli legit; demum episcopus.

Quadragesimus tertius, frater Willelmus Herberd; iacet Herefordiae.

Quadragesimus quartus, frater Thomas de Sancto Dunstano.

Quadragesimus quintus, frater Iohannes de Radingia; iacet Avinoniae.

Quadragesimus sextus, frater Iohannes de Thornton.

Quadragesimus septimus, frater Richardus de Drayton; iacet Salopiae

Quadragesimus octavus, frater Robertus de Leycestria.

Quadragesimus nonus, frater Walterus de Foxisley.

Quinquagesimus, frater Henricus Cruche.

Quinquagesimus primus, frater Iohannes de Ratforde.

Quinquagesimus secundus, frater Iohannes de Preston.

Quinquagesimus tertius, frater Walterus de Southampton (?).

Quinquagesimus quartus, frater Iohannes de Ridevans.

Quinquagesimus quintus, frater Laurentius Briton.

Quinquagesimus sextus, frater Iohannes de Rudinton.

Quinquagesimus septimus, frater Iohannes de Howden.

Quinquagesimus octavus, frater G. Stanforth.

Quinquagesimus nonus, frater Edmundus de Grafton.

Sexagesimus, frater Stephanus Sorel.

Sexagesimus primus, frater Adam Wodham.

Sexagesimus secundus, frater Robertus de Redelive.

Sexagesimus tertius, frater Thomas Ratford.

Sexagesimus quartus, frater Iohannes Went.

Sexagesimus quintus, frater Thomas Oterborne.

Sexagesimus sextus, frater Iohannes Valeys.

Sexagesimus septimus, frater Richardus Malevile de custodia Londinensi.

XIII.

Fratrum Minorum Magistri Cantabrigiae [1].

Primus, frater Vincentius de Coventre.

Secundus, frater W. Pictavensis.

Tertius, frater Eustachius de Normanvile, qui incepit Oxoniae et resumpsit ibi.

---

[1] Ex cod. B fol. 78.

Quartus, frater I. de Westone.
Quintus, frater W. de Milton.
Sextus, frater T. de Eboraco, sed incepit Oxoniae.
Septimus, frater Umfridus de Hautboys.
Octavus, frater W. de Wynbourne.
Nonus, frater Rob. de Royston.
Decimus, frater Walterus de Ravigham.
Undecimus, frater W. de Assewelle.
Duodecimus, frater Rogerus de Marston; incepit Oxoniae.
Decimus tertius, frater T. Brisigham, sed incepit Oxoniae, etc.
Decimus quartus, frater I. de Lereringfot.
Decimus quintus, frater Th. de Bungeya, sed incepit Oxoniae.
Decimus sextus, frater Rob. de Worstede.
Decimus septimus frater Henricus de Apeltre.
Duodevicesimus, frater Bartholomaeus de Stalam.
Undevicesimus, frater Ric. de Southwerke.
Vicesimus, frater Ric. de Burton.
Vicesimus unus, frater Galfridus de Tudington.
Vicesimus secundus, frater I. Russel.
Vicesimus tertius, frater Walterus de Knolle, sed incepit Oxoniae.
Vicesimus quartus, frater I. de Kymberley.
Vicesimus quintus, frater W. Fingringho.
Vicesimus sextus, frater I. de Linpenho.
Vicesimus septimus, frater Richardus de Temple.
Vicesimus octavus, frater Galfridus Heyroun.
Vicesimus nonus, frater Adam de Houeden, sed incepit Oxoniae.
Tricesimus, frater Ric. de Trillek.
Tricesimus unus, frater Ric. de Coniton, sed incepit Oxoniae, et resumpsit. Cant.
Tricesimus secundus, frater Symon de Saxlingham.
Tricesimus tertius, frater Ric. de Grymeston.
Tricesimus quartus, frater I. de Wateley.
Tricesimus quintus, frater W. Doffeld.
Tricesimus sextus, frater Rogerus Dunemede.
Tricesimus septimus, frater Walterus Beaton.
Tricesimus octavus, frater Ric. de Sloler (?)
Tricesimus nonus, frater Robertus de Cave.
Quadragesimus, frater Ranulphus de Grenton.
Quadragesimus unus, frater Thomas de Hyndringham.
Quadragesimus secundus, frater Symon de Hussebourne.
Quadragesimus tertius, frater Edmundus Marchal.
Quadragesimus quartus, frater Walterus de Blockeswourthe.
Quadragesimus quintus, frater Thomas de Elmedene.
Quadragesimus sextus, frater Henricus de Costesey.
Quadragesimus septimus, frater Robertus de Yrtone.
Quadragesimus octavus, frater Thomas de Cannynge.
Quadragesimus nonus, frater Rodulphus Pigaz.

Quinquagesimus, frater W. de Lilleford.
Quinquagesimus unus, frater R. Bevercote.
Quinquagesimus secundus, frater Bartholomaeus de Rippes.
Quinquagesimus tertius, frater Henricus de Hychintone.
Quinquagesimus quartus, frater Willelmus de Chitterne.
Quinquagesimus quintus, frater Willelmus Stainton.
Quinquagesimus sextus, frater Robertus Alifax.
Quinquagesimus septimus, frater Richardus Kellawe.
Quinquagesimus octavus, frater Iohannes Russel.
Quinquagesimus nonus, frater Gilbertus Peckam.
Sexagesimus, frater Iohannes de Casan (?) de provincia Ianuae.
Sexagesimus unus, frater Willelmus Tithemers, de custodia Oxoniae.
Sexagesimus secundus, frater Willelmus Dormyntone (?) de custodia Bristolliae.
Sexagesimus tertius, frater Ric. de Haltone.
Sexagesimus quartus, frater Iohannes Kellaw.
Sexagesimus quintus, frater Iacobus de Pennis, postea episcopus.
Sexagesimus sextus, frater Adam de Hely.
Sexagesimus septimus, frater Petrus de Aragonia.
Sexagesimus octavus, frater Walterus de Bykertone.
Sexagesimus nonus, Iohannes de Autringham.
Septuagesimus, frater Walterus de Stowe.
Septuagesimus unus, Rogerus de Cicilia.
Septuagesimus secundus, frater Will. de Harlestone.
Septuagesimus tertius, frater . . . de Walsham.
Septuagesimus quartus, frater Willelmus de Folenyk (?).

XIV.

Generales ministri Ordinis fratrum Minorum[1].

Minister primus, frater Franciscus, fundator ordinis Minorum, iacet apud Assisium.

Minister secundus, frater Elias, quondam scriptor Bononiae.

Minister tertius, frater Iohannes Parent, primus minister Hispaniae.

Minister quartus, frater Elias iterato.

Minister quintus, frater Albertus Pisanus, primus minister Angliae.

Minister sextus, frater Haymo de Faversham, minister Angliae prius.

Minister septimus, frater Crescentius, medicus famosissimus, postea episcopus unde fuit oriundus.

Minister octavus, frater Iohannes Parma, qui cursorie legit sententias Parisiis.

Minister nonus, frater Bonaventura, doctor theologiae, postea cardinalis et episcopus Albae.

Minister decimus, frater Hieronymus, postea cardinalis, deinde summus pontifex, dictus Nicolaus IV.

[1] Ex cod. B fol. 102. et sequens catalogus ibid. fol. 103.

Minister undecimus, frater Allotus, doctor Parisiensis, iacet ibidem.

Minister duodecimus, frater Matthaeus, doctor Parisiensis, postea cardinalis.

Minister tertius decimus, frater Raymundus, qui legit sententias cursorie Parisiis, postea doctor ibidem.

Minister decimus quartus, frater Iohannes de Murro, doctor theologiae, postea magister palatii, deinde cardinalis.

Minister decimus quintus, frater Gunsolvus (sic!), doctor Parisiis, iacet ibidem.

Minister decimus sextus, frater Alexander, qui incepit Romae, et resumpsit Parisiis.

Minister decimus septimus, frater Michael de Cersano (sic!), magister Parisius, a papa Iohanne XXII. depositus.

Minister decimus octavus, frater Geraldus Odonis [1], postea patriarcha Antiochenus et episcopus Cathanensis.

Minister decimus nonus, frater Fortunerius Vasalli, doctor Parisiensis.

Minister vicesimus, frater Willelmus Farinarii, electus pro cathedra Parisiensi, qui incepit in curia Avinoniae.

XV.

Ministri provinciales in Anglia.

Primus minister, frater Agnellus Pisanus, qui iacet Oxoniae.

Secundus minister, frater Albertus Pisanus, postea generalis.

Tertius minister, frater Haymo Anglicus, postea generalis.

Quartus minister, frater Willelmus de Notingham; iacet Marsiliae.

Quintus minister, frater Petrus de Theukesbury; iacet Bedefordae.

Sextus minister, frater Iohannes de Staunford; Linniae iacet.

Septimus minister, frater Petrus Swynesfled; iacet Leycestriae.

Octavus minister, frater Iohannes de Bungey, magister Oxoniae; iacet Northampton.

Nonus minister, frater Iohannes Pecham, magister Parisius et in curia Romana, archiepiscopus Cantuariensis.

Decimus minister, frater Petrus Hugo de Bathonia.

Undecimus minister, frater Robertus de Cruce, magister Oxoniae; iacet Bridgewater.

Duodecimus minister, frater Willelmus de Geynesburgh, qui in curia Romana legit cursorie et ordinarie, doctor theologiae et episcopus Wigorniae.

Tertius decimus minister, frater Rogerus de Merscheton, doctor theologiae.

Decimus quartus minister, frater Hugo de Hertepole, doctor theologiae; apud Assissium iacet.

Decimus quintus minister, frater Adam de Lyncolne, doctor theologiae.

Decimus sextus minister, frater Rich. de Coniton, doctor theologiae.

Decimus septimus minister, frater Will. de Nottingham, doctor theologiae.

---

[1] Quod sequitur est a manu recentiore.

Decimus octavus minister, frater Rogerus de Denemed, doctor theologiae Cantebrugae.

Decimus nonus minister, frater Iohannes de Rodyngton, doctor theologiae Oxoniae, de eadem custodia.

Vicesimus minister, frater Iohannes de Went, doctor theologiae Oxoniae, de custodia Bristolliae, et iacet Herefordiae.

Vicesimus primus minister, frater Willelmus Tithemersch, qui incepit Cantabrigiae, qui fuit absolutus . . . tempus ministrorum successorum suorum.

Vicesimus secundus minister, frater Rogerus Coneway, qui incepit Oxoniae, et sepultus est Londoniae.

Vicesimus tertius minister, frater Symon Donestede, qui incepit Oxoniae, et sepultus est apud [soro]res de Brusiard.

Vicesimus quartus minister, frater Robertus Wyshed, qui incepit Oxoniae, et sepultus est Londoniae.

Vicesimus quintus minister, frater Iohannes Mardiston, qui incepit Oxoniae, et sepultus est Eboraci.

Vicesimus sextus minister, frater Iohannes Kynbury, qui incepit Oxoniae.

Vicesimus septimus minister, frater Iohannes Tyssyngton, qui incepit Oxoniae et sepultus ra . . . [*Eboraci*].

Vicesimus octavus minister, frater Nicolaus Fakenham.

Vicesimus nonus minister, frater Iohannes Zouche, postea episcopus Landavensis.

Tricesimus minister, frater Willelmus Botellere.

Tricesimus primus minister, frater Vincentius Boys.

Tricesimus secundus minister, frater Petrus Russel.

Tricesimus tertius minister, frater Robertus Wallys, doctor theologiae.

Tricesimus quartus minister, frater Iohannes David, doctor theologiae, et de custodia Bristolliae.

Tricesimus quintus minister, frater Rogerus Days, sacrae theologiae doctor.

Tricesimus sextus minister, frater Richardus Leech, [sacrae] theologiae doctor.

Tricesimus septimus minister, frater Thomas Radnor, sacrae theologiae doctor, de custodia Bristolliae, et de conventu Herefordiae.

CHRONICA ANONYMA
FRATRUM MINORUM GERMANIAE

EDITA

A P. LUCA CAREY

ORD. MIN. PROV. HIBERNAE RECOLL., CONVENTUS S. ISIDORI IN URBE
p. t. GUARDIANO.

CHRONICA ANONYMA.

Anno Domini 1217, qui fuit undecimus a prima conversione B. Patris nostri Francisci, regulae vero approbatione nonus, domino Honorio tertio Ecclesiam Dei in terris gubernante, Ottone secundo imperatore, multiplicatis iam fratribus tam pietate quam numero, celebratur generale capitulum Assisii ad S. Mariam de Portiuncula, ibique assignatis provinciis et ministris institutis, per universum fere catholicae fidei orbem fratres divisi sunt. Missus est tunc omnium primo in Germaniam *frater Iohannes de Penna*, comitatus sexaginta fratribus. Simul atque praescriptae provinciae oras essent ingressi et linguam terrae ignorarent, incolis percontantibus de his quae ad vitae usum requiruntur, si quem forte cibum capere, aut hospitio excipi velint etc., responderunt voce theutonica: *Ia*, quod est affirmandi adverbium, fuitque eorum necessitati subinde satisfactum. Quod advertentes boni isti et simplices fratres, verbum illud nescio quod prae se ferre pietatis opinati sunt, ideoque ad omnia et singula interrogata sic respondere statuerunt. Accidit tandem, ut aliquando sciscitarentur Germani suo idiomate, an forte pestiferam haeresim ex Lombardia per Germaniam disseminandam secum ferrent. Illi ad haec voce affirmativa: *Ia*, existimantes quaeritari ex se, si esuriant vel sitiant. Continuo ex ipsis alii verberibus affecti, alii vinculis constricti, alii nudi in publicum protracti, omnes demum miseris modis pessime tractati, finibus illis absque mora excedere iussi sunt; qui et eo celerius in Italiam remearunt, quo minus spes relinquebatur alicuius tunc apud Germanos fructus edendi. Exinde male coepit audire Germania apud fratres, quae tam efferatis barbarisque gentibus habitari credebatur, ut ad ipsam, nisi martyrii desiderio ferventes, nemo fratrum mitti vellet. Nullas quidem adhuc sui propositi indices litteras secum ferebant fratres; etenim regula nondum bullata, sed simplici tantum verbo per dominum Innocentium papam approbata fuerat; itaque fratres per diversas orbis partes hinc inde dispersi, alicubi admittebantur tanquam pauperes, sed habitationes exstruere non permittebantur, alicubi vero, ut in Germania, sicut profugi aut falsarii cum ignominia et iniuria sunt repulsi. Unde non longe post absque fructu ad B. Franciscum, plagis, contumeliis et damnis exsaturati, reversi sunt dolentes.

Anno Domini 1219, qui fuit a prima conversione B. Francisci decimus tertius, a regulae approbatione undecimus, celebrato iterum capitulo apud S. Mariam de Portiuncula, electisque ministris pro nutu et voluntate Dei, fratres litteris papalibus,

nec non reverendissimi domini cardinalis Hugolini, episcopi Hostiensis, Ordinis protectoris secundi, muniti, per totum ferme mundum sunt ablegati, et ubique gentium maxima cum caritate et benevolentia recepti, Ordinem sanctum mirifice propagarunt. Diversum tamen accidit iis, quibus Hungaria sorte contigit, quod visum fuit hic commemorare. Pervenerunt quidem illi alicuius episcopi beneficio in Hungariae regnum navigio transvecti, sed parum humaniter excepti; nam cum per campos hinc inde errarent, pecorum custodes — brutum et ferox genus — aut canibus incitatis eos persequentes, aut lanceis oblongis, cuspide tamen aversa, eos verberantes, gravissime excruciarunt, nulla tamen praetenta causa, neque verbulo aliquid ab eis expostulantes. Fratres hac angustia circumventi, non potuerunt non vehementer dolere, collatisque inter se querimoniis, consultare coeperunt, quia cum barbaris mutuum conferre sermonem non poterant, quid causae esset, cur ita caederentur? Respondente autem quodam ex fratribus, quia forte tunicas nostras superiores ambiunt; quibus illico datis, nec tamen illis a verberum inflictu desistentibus, inferiores etiam vestes ultro contulerunt. Et nec sic quidem cessantibus illis, subintulit frater, quia braccas forte nostras habere contendunt; praeter braccas siquidem, ablatis iam tunicis, evangelici pauperes nihil prorsus quod darent habebant; quae omnia viri isti accipientes nudos tandem fratres dimiserunt. Ex quorum uno frater Iordanus se cognovisse refert, quod quindecies tali modo braccis in Hungaria spoliatus fuerit; qui denique pudore casto adductus, hoc ingenio uti coepit, ut braccas deinceps fimo boum et vaccarum aliisve immunditiis inquinaret, quas illi tunc abhorrentes non eripuerunt. Sane huiusmodi verbera et ludibria fratres perpessi et nullos se ibidem fructus facere videntes, in Italiam redierunt.

Anno Domini 1221, decimo cal. Iunii, Friderico II. Rom. imp., indictione 13, die sancto Pentecostes, sanctus pater Franciscus ad S. Mariam de Portiuncula frequentissimum convocavit generale capitulum, sub cuius fine, cum iam iam fratres essent dimittendi, rediit in memoriam beato patri Francisco, nulla adhuc in Germania esse Ordinis iacta fundamenta; et quia tunc imbecillitate corporis laborabat, quidquid ex parte sui capitulo erat proponendum, id omne fratri Heliae nomine suo commisit. Ad eius itaque pedes sedens B. Franciscus, vellicata tunica ipsum admonuit, qui se inclinans mentem eius accepit, erectusque publice sic profatur: « Fratres, ita ait Frater » — significans B. Franciscum, qui per antonomasiam *Frater* a fratribus dicebatur — « Est quaedam regio Theutonia, in qua sunt homines christiani et devoti, qui, ut scitis, saepe terram nostram cum longis baculis et largis ocreis, sub rapidissimo sole sudoribus aestuantes pertranseunt ac limina Sanctorum visitant, laudes Deo et Sanctis eius decantando. Et quia ad eos aliquando missi fratres male tractati redierunt, nullus ad ipsos ire compellitur frater, nisi qui gloria divina et animarum zelo inflammati inspiratione caelesti ire velint; quibus eandem obedientiam, immo angustiorem se daturum pollicetur, quam daret euntibus ultra mare. Si qui igitur essent periculum hoc non detrectantes, surgant et se in partem trahant. » Et ecce! circiter nonaginta fratres miro martyrii desiderio ardentes surrexerunt, qui se morti ultro offerentes seorsum decedere et determinationem exspectare iussi sunt, qui, quanti, quomodo et quando ire debeant.

---

[1] Cfr. Waddingus, Annal. Min. tom. I. ad an. 1219, n. XLI.

Interim designatur minister Germaniae frater Caesarius, qui et ipse Germanus ex oppido Spira oriundus fuit, et non ita pridem fratris Heliae concionibus conversus Ordinem intraverat, ipsemet non postremi nominis iam antea in saeculo concionator mirificusque evangelicae vitae aemulator existens. Huius arbitrio relinquebatur liberum, ut ex nonaginta istis fratribus eligeret quos vellet. Cumque forte fortuna in fratrem quendam nomine Iordanum incidisset, Germanorum feroces mores mirum in modum formidantem, quorundam instinctu edoctus: « Et tu, inquit, nobiscum ibis »; ille contra: « Non sum de vestris, neque animo vobiscum eundi surrexi, sed ut abituros in Theutoniam quasi martyrizandos nossem et amplecterer ». Hic Iordanus consueverat in orationibus Domino supplicare, ut nunquam ab haereticis Lombardiae seductus, aut ferocitate Germanorum perterritus fidei naufragium pateretur; idcirco ab utrisque dignaretur eum Dominus misericorditer liberare. Quare cum non posset adduci, ut fratri Caesario acquiesceret, fratri Heliae, B. Francisci vicario, sistitur, qui talibus eum affatur: « Praecipio tibi, frater, per sanctam obedientiam, ut deliberes finaliter, an ire velis, necne ». Tum ille obedientiae vinculo constrictus, animum huc illucque dividens conscientiae rationem habere coepit: electionem iniret; sed ne propriae voluntatis suggestione convinceretur timebat; Theutones adiret, nisi tantae essent crudelitatis, sed patientiae virtutis meritum et coronam ne amitteret metuebat. Et ita inter utrumque perplexus, nec consilii quidquam in se ipso inveniens, consuluit fratrem quendam, tribulationibus et persecutionibus optime probatum, illum nempe, qui quindecies in Hungaria braccis exutus fuerat. At ille: « Vade, inquit, ad fratrem Heliam et dic: Frater, nec ire volo, nec remanere, sed quidquid mihi praeceperis, hoc faciam, et videbis te quamprimum ex hac perplexitate liberatum ». Quod et fecit. Quo audito frater Helias praecepit ipsi in virtute sanctae obedientiae, ut cum fratre Caesario in Germaniam properaret. Iste frater Iordanus diaconus fuit de Yane vallis Spoletanae, qui in capitulo provinciali Halberstadii, quod Saxoniae oppidum est, tempore sancti Bonaventurae anno Domini 1262 dominica *Iubilate* celebrato, talia de se ipso commemorasse ex veterum monumentis vere accipimus. Qui quidem Iordanus fratri Caesario fidissimus Achates maximusque Ordinis per Theutoniam propagandi exstitit coadiutor.

Frater ergo Caesarius Spirensis Germanus, primus iam Germaniae minister per B. Franciscum constitutus, obedientiam sibi iniunctam utiliter adimplere haudquaquam cessavit. Conquisivit igitur socios fratrem Iohannem de Plano Carpinis, latini et lombardici, fratrem Barnabam Germanum, sui nec non et lombardici idiomatis praedicatores insignes; fratrem Thomam de Zelchio vel Celano, qui antiquam legendam S. Francisci postea conscripsit, fratrem Iosephum de Tervisio, fratrem Abrahamum Hungarum, fratrem Simonem Tuscum, filium comitissae de Colozon[1], fratrem Conradum Theutonicum clericum, fratrem Petrum sacerdotem de Camerino, Iacobum et Gualtherum sacerdotes, et Palmerium cum fratre Iordano diaconos, et fratres aliquot laicos[2], quorum nomina in memoria sunt apud Dominum; fuerunt tamen eorum in universo 12 clerici et 15 laici.

---

[1] Waddingus scribit *Colazone* et adiunxit in margine manuscripti horum Chronicorum: miraculis Spoleti clarum.

[2] Waddingus adiunxit: videlicet fratrem Benedictum de Salato Theutonicum, fr. Henricum, fr. Silverium, fr. Constantium et alios.

Hos itaque frater Caesarius sibi assumptos, quia ipsemet, utpote homo devotus, beatum Franciscum et alios sanctos fratres invitus deseruit, de licentia beati Francisci eos per Lombardiae domos distribuit, exspectaturos ibi suum verbum. Ipse vero in valle Spoletana moram traxit per tres fere menses. Et cum iter Theutonicum arripere disponeret, vocatis fratribus, Iohanne de Plano Carpinis, qui postea minister Theutoniae et sub Innocentio IV nuntius apostolicus ad Tartaros fuit, Barnaba item et quibusdam aliis, misit eos ante faciem suam ad praeparandum locum Tridenti ceteris aut ternis aut quaternis subsequentibus. Quibus ita successive ante festum S. Michaelis Archangeli convenientibus, ab episcopo Tridentino per dies quindecim perbenigne fuit prospectum. In festo autem S. Michaelis frater Caesarius sermonem habuit ad clerum, et frater Barnabas ad populum. Ad quorum praedicationem civis quidam Tridentinus, vir dives, lombardicae et theutonicae linguae non imperitus, cui nomen erat Peregrinus, compunctus, fratres omnes novo habitu induit; paulo post, omnibus suis rebus venditis et pauperibus distributis, Ordinem est ingressus.

Frater autem Caesarius, facta Tridenti admonitione fratribus de humilitate et patientia custodienda, reliquit ibi pro populi aedificatione fratres aliquot; ex aliis binos ternosque confaederans, unum spiritualibus, alium temporalibus praeficiens, ante se praemisit in Bozanum; ibidem quoque dominus episcopus Tridentinus fratres subinde venientes per dies aliquot sustentavit et dedit eis licentiam in sua dioecesi praedicandi. De Bozano tandem progressi veniunt Brixinam, a loci episcopo humanissime excepti. De Brixina vero montana petentes adierunt Störzingam oppidum a prandii quasi tempore. Ibi cum homines panem prae manibus non haberent, et fratres mendicare nescirent, sperabant, se vesperi ad aliquem locum venturos, ubi pietate hominum facile reficerentur. Pergunt itaque et Mittwalden pertingunt, ubi cum magna penuria duabus buccellis panis et septem rapis miserae famis saevitiam cum gaudio cordis ita temperabant, ut magis provocarent. Peregerant eo die septem milliaria Germanica; cumque de praetereuntis rivuli aquis hausissent, quieti se dederunt.

Mane facto, famelici et ventre latrante surgentes, coepto institerunt itineri, vixque ad medium milliare progressi, coeperunt vires defluere, crura tabescere, genua infirmari a ieiunio; et urgente famis improbitate ad corna, arbuta, pruna sylvestria et huiusmodi decerpenda atque degustanda deflexerunt, neque id sine scrupulo. Nam cum sexta esset feria, solvere metuebant ieiunium; non abiicienda tamen videbantur pomella quaedam agrestia, quae secum ferebant, ut, si extrema immineret necessitas, haberent quo utcumque refocillentur. Et sic nunc pausando, nunc lente procedendo difficillime Macharei (Mattrei) oppidum quoddam attingunt. Et ecce Deus, cui derelictus est pauper, pauperum suorum curam gerens mirabiliter providit, ut vix portas ingressi obviam haberent duos viros hospites, qui commiseratione tacti duobus denariis panes illis emerunt. Sed quid hoc inter tantos? Verum quia tempus raparum erat, rapis mendicatis panis defectum suppleverunt. Facto ergo prandio, magis referti quam refecti processerunt; et ita per villas, castella, monasteria transeundo Augustam pervenerunt, ubi a domino Sibothone[1], episcopo Augustano,

---

[1] Annotavit hic Waddingus: nescio an potius Sigefrido, cum Sibothonem electum dicat catalogus episcoporum Augustanorum apud Gasparem Bruschium anno 1227.

et eiusdem clero amicissime sunt excepti. Quin ipse dominus episcopus tanti in fratres ferebatur amore, ut in singulorum oscula ruens, venientes reciperet abeuntesque dimitteret. Haud minus vicedominus quoque, episcopi nepos, fratres amplexabatur, qui propria sua curia excedens fratribus locum dedit. Dici praeterea non potest, quanta a toto populo sint reverentia et devotione salutati.

Eodem itaque anno circa festum B. Galli frater Caesarius, primus Theutoniae minister, Augustae cum fratribus ferme 31 primum celebrat capitulum, et inde per diversas Germaniae oras fratres distribuit. Praemisit autem fratrem Iohannem de Plano Carpinis et fratrem Barnabam concionatores Herbipolim, qui inde Moguntiam, Wormatiam, Spiram et Coloniam petierunt, ubi sermonibus ad populum habitis multos ad poenitentiam converterunt et fratribus subsequentibus commoda domicilia praepararunt. Ablegavit tunc etiam fr. Caesarius minister fratrem Iordanum cum duobus sociis, Abrahamo et Constantino fratribus, Salisburgum, qui archiepiscopo loci acceptissimi venerunt. Item tres alios cum fratre Iosepho misit Ratisbonam, ubi manserunt usque ad annum 1229; et exinde coeperunt exstruere in eadem urbe insigne monasterium, ut suo loco dicetur. Frater interim Caesarius praecedentium vestigia paulatim subsecutus, verbo et opere eos in bono confortare et consolari non destitit. Qui eodem adhuc anno Herbipolim deveniens, recepit ibidem iuvenem quendam egregium, litteris optime instructum, Hartmodum nomine, in ipso sancti Andreae apostoli festo, cuius et nomine insignitus, Hartmodi appellatione fratribus Italicis incognita, Andreas deinceps vocitabatur. Qui non multo post ad sacerdotium evectus, in facundum evasit praedicatorem custosque Saxoniae est constitutus. Recepit ibidem alium quempiam Rodingerum, qui postea guardianus Halberstadiensis, denique magister spiritualis disciplinae S. Elisabeth effectus est, cui deinde successit magister Conradus Marburgensis, fidelissimus Sanctae istius moderator[1].

Anno 1222 frater Caesarius minister, plurimis iam receptis fratribus tam clericis quam laicis, capitulum provinciale Wormatiae cum fratribus de civitatibus viciniorubus instituit, et quia tanta sacerdotum premebatur penuria, ut necesse esset unum novitium sacerdotem per alternas vices nunc Spirae, nunc Wormatiae in solemnitatibus sacrum facere fratribus eorumque confessiones excipere, promovit tunc tres fratres ad sacerdotium, Palmerium, Abrahamum Hungarum et Andream Germanum, antea Hartmodi nomine gaudentem brevi etiam fratrem Iordanum de Yane vallis Spoletanae; fratrem vero Thomam de Celano Moguntinensis, Wormatiensis et Coloniensis conventuum custodem fecit.

Eodem anno videns frater Caesarius — qui erat vir profundae contemplationis et maximus evangelicae paupertatis zelator, et tanti apud fratres, ut ipsum post S. Franciscum sanctissimum venerarentur — Ordinem in Germania felicibus auspiciis et solidis iam niti fundamentis, instituto vicario fratre Thoma, tunc unico custode, non tam taedio, quam beatum Franciscum visendi ceterorumque vallis Spoletanae fratrum desiderio captus, adiuncto sibi fratre Simone de Colozano, viro nobili, cum aliis quibusdam rediit ad s. Franciscum, et ab eo est dulcissime receptus; idemque in capitulo generali, eodem anno Portiunculae celebrato, ministeriatu suo absolvitur,

---

[1] Addita Waddingi: Similiter ibidem quendam fr. laicum habitu donavit, nomine Rudolphum. Cfr. Annal. Min. ad an. 1221, n. IV-XI, ubi Waddingus hanc narrationem reportat dicens, se eam a Balduino de Brunsvicke non tam desumpsisse quam exscripsisse.

cum annis duobus praefuisset, eique frater Albertus de Pisis, qui iam ex Anglia redierat, sufficitur.

Secundus itaque Theutoniae minister tempore s. Francisci fuit frater Albertus de Pisa, qui postea etiam factus fuit minister Hispaniae ac demum Generalis. Cum ipso in Germaniam anno Domini 1223 missi sunt ex Italia viri insignes, eruditione praestantes: frater Marcus de Mediolano, frater Iacobus de Tervisio, frater Anglicus, iuris peritus, et alii quamplures fratres. Ipse autem Albertus simul ac venisset in Germaniam, convocatis senioribus, fratre videlicet Iohanne de Plano Carpinis et fratre Thoma, vicario et custode, aliisque nonnullis; et communicato cum eis consilio, agit capitulum Spirae iuxta murum apud leprosos in nativitate B. Virginis, quo in loco tunc guardianus erat frater Iordanus, qui in eodem capitulo missam decantavit. In ipso capitulo de Ordinis statu et propagatione sollicite cogitantes patres, fratrem Marcum de Mediolano custodem Franconiae, fratrem Angelum de Wormatia custodem Bavariae et Sueviae, fratrem Iacobum custodem Alsatiae, fratrem Iohannem de Plano Carpinis custodem Saxoniae constituerunt, cui eidem Iohanni clericorum Spirensium multitutudini concionari demandatum est. Sermone finito, dominus episcopus Spirensis fratres Ordinis clero et populo suo serio recommendans, concessit ipsis praedicandi et confessiones audiendi in sua dioecesi auctoritatem; quorum praedicationibus et exemplis plurimi, abnegato saeculo, sacro se Ordini manciparunt. Quorum unus fuit Burchardus, filius comitis Poppenburgensis, cathedralis ecclesiae canonicus; item Albertus magister adolescentum, vir apprime doctus; item miles quidam strenuus, et alii quamplures. Orta autem ibidem turbatione ob recessum quorundam ab Ordine, tepuit populi gratia erga fratres usque eo, ut indignanter et aversis oculis mendicantes fratres intuerentur et inviti eleemosynas administrarent. Dei autem providentia praeter omnium opinionem subito gratia, quae penitus concidisse videbatur, refloruit, et fratres in maiorem potius quam pristinum populi favorem sunt restituti.

Eodem anno 1223 frater Iohannes de Plano Carpinis, vigilem Ordinis dilatandi curam suscipiens, misit plures maturae discretionis fratres Hildeshemiam, Brunsvicum, Goslariam, Halberstadium, Magdeburgum, omnes Saxoniae praeclaras civitates. Consimiliter fecerunt fr. Angelus de Wormatia, custos Bavariae et Sueviae, et frater Marcus de Mediolano custos Franconiae, cuius missu fratres Bambergam venerunt, et sequente anno Nurenbergam, ubi prope capellam S. Pauli iuxta Pegnesum fluvium per civitatem ipsam labentem postea solenne monasterium construxerunt.

Anno domini 1224, habito provinciali capitulo per fratrem Albertum de Pisa in festo assumptionis Mariae Herbipoli, convocatis custodibus, guardianis et praedicatoribus, fratrem Iohannem de Plano Carpinis, custodem Saxoniae absolutum, Coloniam miserunt; et fratrem Iacobum de Tervisio, tunc custodem Alsatiae, virum iucundum, mansuetum, modestum et pium, secundum Saxoniae custodem ordinaverunt, additis illi senioribus quibusdam fratribus tam clericis quam laicis, qui vitae virtutumque exemplo facile sibi omnium animos devinxerunt. Eodem quoque anno idem frater Albertus minister misit fratrem Iordanum, guardianum Moguntinum, cum septem aliis fratribus in Thuringiam, qui sexto Novembris iter arripientes in die sancti Martini Erphordiam[1]

[1] Waddingus addidit: Auctor Compositionis chronologicae an. 1223 ibidem mansionem eos accepisse scribit.

venerunt, qui propter instantem hiemem et aedificandi incommoditatem extra muros in domo sacerdotis leprosorum sunt collocati, donec de statu meliori ipsis provideretur.

Tempore etiam illo fratrum quidam de Tridento venerunt Lindaviam, ibidemque recepti, accesserunt duo ex ipsis castrum Michelstain, quos dominus castri Bartholomaeus, quamquam bello cum hostibus in crastinum esset conflicturus, magna devotione susceptos humaniter tractavit. Peracta coena, intime eos rogabat domina, ut Deum optimum pro salute viri sui serio deprecari dignarentur, quo ipsum Dominus ab instantis belli periculis misericorditer protegeret. Cui frater senior divino oraculo edoctus respondit: « Ne paveas domina, confide Deo et meritis B. patris nostri Francisci, et scito, indictum praelium minime effectus suos habiturum, sed pace divinitus facta, utrasque partes arma depposituras et cum salute omnium domum redituras ». Altero die, exercitu iam per acies disposito, animisque ad pugnam impatienter ferventibus, fratribus vero cum domina in castro orationi ardenter incumbentibus, ecce Spiritus pacis comitem quendam, unum ex adversariis praedicti domini de Michelstain, arripuit, qui paucissimis comitatus venit, talibus eum allocutus: « Domine! inquit, satis superque hactenus insipientiae nostrae poenas luimus, territoria nostra desolata, bona subditorum direpta, multa hominum millia caesi: et mutua adhuc caede ardemus? nec prius desistere est animus, quam extremae nos manibus nostris interemptioni dederimus? nunquid consultius sempiternae pacis foedera percutere, sanguinolentas manus continere et hostium irreptionum dies securos agere »? Cui inopinatae sententiae dominus de Michelstain, divino quoque instinctu percitus, haud gravatim subscripsit; atque eo modo turbulentissima viginti et duorum annorum bella, quae non exiguo sanguine constiterant, unico quasi momento restincta sunt, et pacis legibus firmissime pactis, maxima omnium laetitia ad sua se quisque recepit. Quo effecto miraculo, dominus Bartholomaeus tanta amoris teneritudine fratres diligere cognitus est, ut tractu isto, totos quadraginta annos, monachi Franciscani, fratres dominorum de Michelstain vulgo appellarentur.

Aliquot inde annis elapsis, et B. Francisco in caelis iam glorificato, filia eiusdem domini cuidam militi nupta beato Francisco et Ordini maxime fuit devota; eidem a confessione fuerat frater Fridebaldus Ordinis Minorum, vir devotissimus et perfectus. Post cuius e vita decessum accidit, ut unus filiorum eiusdem dominae squinantiae morbo gravissime laboraret, ut, dum voce interclusa loqui amplius non posset, de vita esset desperatum. Mater discrimine filii concussa, spiritualibus potius quam corporalibus medicinis rem esse agendam duxit. Gutturi itaque filii capillum unum cum almutio defuncti patris Fridebaldi circumligat, et e vestigio in galli cantu — nox enim nativitatis Domini erat — sub re divina pro filii salute supplicatura ad templum convolat; ibique anxie oranti famulorum unus subitam filii sanitatem plaudentibus manibus laetissimaque fronte nuntiat. Illa domum properans, invenit quae dixerat servus. Filius de imposito emplastro, quale esset a matre edoctus, mira narrare incipit: « Pro certo, inquit, noveris mater, vix e limine pedem te ferente, apparuisse mihi patrem Fridebaldum, alio quodam pusillo fraterculo comitatum, et bono me animo esse iubentem. Ad quem sic parvulus iste: Frater mi, ait, Fridebalde, ubi male filius tuus habet? Quo demonstrante tumorem gutturis mei, pusillus ille manu sua contingens confestim me sanavit, videbaturque massa ulceris rotunda ex faucibus meis provolare; vidi et plagam in manu ista et clavum subnigrum e volae

medio prominentem ». Fuit iuvenis iste bellator felix et magnanimus, qui post haec saeculo derelicto Ordinem Iohannitarum suscepit, nunc Spirae, nunc Wormatiae, nunc Argentinae degens[1].

Anno 1225 frater Iordanus Ordini per Thuringiam amplifice extendendo solutissime incubuit: fratres etenim ab eo ex Erphordia, ubi iam intra civitatem translati erant, ad regionem istam perlustrandam ablegati pluribus in locis sunt recepti, Isenaci, Gothae, Northemii, Mulhusii, quos subsequebatur et nonnunquam praecedebat fr. Hermannus sacerdos novitius, concionator egregius, qui antea Isenaci capellanus Dominorum domus Teuthonicae, Spiritus sancti afflatu relinquens conditionem opulentissimam, omnibus admirantibus pauperculo se Ordini humiliter addixit et suis concionibus largissimum aedificationis fructum ex populo reportavit. Hoc anno missus est a fratre Alberto de Pisis, ministro Theutoniae, fratri Iordano, tunc custodi Thuringiae. in subsidium et consolationem frater Nicolaus de Rheno, dictus humilis, quod ea virtute singulariter praeemineret, sacerdos et iurisperitus.

Huic fratri Nicolao occurrit frater Iordanus custos intra Gotham et Isenacum, et cum se osculo caritatis mutuo salutassent, consederunt. Tum fratrem Nicolaum, coram fratre Iordano cum silentio et columbina quasi simplicitate sedentem, alloquitur socius suus frater Petrus de Isenaco, iucundae hilaritatis homo, quem eius simplex humilitas minime latebat: « Ut quid, ait, frater Nicolae, non agnoscis regem et dominum nostrum » ? « Libenter et agnosco, respondit ille, et servio domino meo » Tunc Petrus: « En, inquit, cui in faciem sedes, ipse est; est enim custos noster ». Hisce verbis ceu telo fixus Nicolaus, attonitus et tremens in genua se convolvit, et culpae suae longum catalogum texens, humiliter veniam petit, demumque litteras suae obedientiae indices fratri Iordano Custodi sollicite praesentatas reddit; quibus lectis Erphordiam mittitur, certam propediem sententiam ibidem praestolaturus; et post tres septimanas misit ei frater Iordanus custos obedientiam, ut loci istius sit guardianus. Quam reverenter suscipiens ait: « Et quid est quod fecit mihi frater noster »? Cuius tanta humilitate ipse custos eum in modum confusus dicitur, ut infra sex hebdomadas Erphordiam petere non auderet, immo oculos in eum convertere erubesceret.

Eodem anno frater Iacobus de Tervisio, custos Saxoniae, finita Missa, quam infra octavam dedicationis ecclesiae, a se in nova Magdeburgensium civitate erectae et ab Alberto archiepiscopo in festo exaltationis Crucis consecratae, celebraverat, viribus coepit repente destitui, et in hospitium fratrum, quod in veteri civitate penes S. Petri ecclesiam habebant, delatus, 12. calendas Octobris, vigilia sancti Matthaei Apostoli, obdormivit in Domino. Fratres vero vix locum aut usum sepulturae habentes, habita deliberatione, dominum Conradum episcopum Hildesheimensem convenire statuunt, tunc temporis Magdeburgi agentem, instante iam synodo die S. Mauritii inchoanda, ad quam plures quoque episcopi iam confluxerant. Qui idem Hildesheimensis praesul fratrem Iacobum ut patrem summa cum veneratione dilexerat semper et omnibus suae curiae addictis severe iniunxerat, ut sive dormiret sive manducaret sive aliud quid ageret, et fratres adessent, sibi indicarent et interpellare non vererentur. Quare hac spe firmati fratres eundem accedunt, et iam dormientem excitari faciunt et patris Iacobi mortem denuntiant. Ille in

[1] Cfr. Waddingus, Annal. Min. ad an. 1223, n. XXIII. et 1224, n. XLV.

lacrymis solutus: «Ecce, inquit, hoc est somnium, quod vidi; ego veniam et sepeliam eum». Viderat enim in somnis mortuum quendam albis involutum, et dictum esse sibi: «Vade, solve ipsum». Funere igitur delato ad ecclesiam fratrum in nova civitate, quam ipse frater Iacobus fundaverat et dedicari fecerat, ab eodem episcopo honorifice est sepultus.

Fratres vero Saxoniae animo consternati et quasi orphani, amisso tam amantissimo patre, supplicaverunt Alberto de Pisa, ministro Theutoniae, ut ipsis de custode dignaretur misericorditer providere. Minister autem cum animum induceret, fratem Nicolaum, guardianum Erphordiensem, illis praeficere custodem, per litteras ei id muneris demandare non videbatur consultum, utpote qui tanta esset humilitate, ut eam praefecturam minime susciperet. Maluit igitur ipsemet suscepto itinere humilem Nicolaum convenire, si forte familiari alloquio eius animum ad huius officii sarcinam subeundam queat inflectere. Deveniens ergo Erphordiam, adhibito fratre Iordano, coepit loqui cum Nicolao de Saxoniae custodia eius curae demandanda. Ipse vero se humiliter excusante seque modis omnibus insufficientem affirmante, utpote qui etiam nec numerare sciret, multo minus domini aut praelati officio fungi, tunc simulavit minister maximam animi indignationem, et quasi asperioribus verbis increpans eum: «Nescis ergo, ait, esse dominus? Numquid igitur domini sumus, qui officiis in Ordine praesumus? Dic ergo, frater mi, cito culpam tuam, qui servitia Ordinis dominia et praelaturas dixeris». Cui humiliter in terram procidenti et culpam suam dicenti minister custodiam Saxoniae in poenitentiam dedit, quam ipse, prout semper consuevit, summa cum obedientia subivit; eius adventus fratres Saxoniae maxima laetitia et consolatione cumulavit. Factus ergo tertius Saxoniae custos fr. Nicolaus, a pristina humilitate minime sibi desistendum ratus, ad utensilia et pedes fratrum lavandos primus fuit. Et si cui fratri peccanti pro poenitentia humi sessionem, aut disciplinam iniungeret, eandem poenitentiam cum ipso humiliter exsolvebat. Et licet humilitatem et obedientiam in omnibus ipsemet servarit, acerrimus tamen vindex et ultor pertinacis inobedientiae fuit, ut fratrem contumacem etiam cum poenitentia difficulter in gratiam reciperet, tantum malum aestimans inobedientiam, ac tantum bonum obedientiam, ut et rebus et exemplis ostenderet, fratres debere in omnibus simpliciter obedire nihilque absque obedientia Deo gratum esse[1].

Anno Domini 1227 frater Albertus de Pisa, minister Theutoniae, profecturus ad capitulum generale pro eligendo ministro generali — nam post B. Francisci decessum eius vicarius frater Helias Ordinis interim gubernacula tenebat — 4. nonas Februarii, convocatis omnibus custodibus, guardianis et praedicatoribus Germaniae, capitulum habuit Moguntiae, ubi fratrem Nicolaum, a Saxoniae custodia absolutum, vicarium instituit, fratrem vero Leonardum Lombardum custodem Saxoniae. Rebusque omnibus optime ordinatis, ipse cum fratribus, quos elegerat, ad generale capitulum, apud S. Mariam de Portiuncula congregandum, profectus est; ubi post sanctum Franciscum per generalis capituli suffragia creatur minister Generalis primus, sedente iam Gregorio nono pontifice, frater Iohannes Parens, vir magnae sanctitatis, qui de ministri Franciae consilio fratrem Albertum de Pisa, ministrum Theutoniae, ab illa administratione absolvit eique fratrem Simonem Anglicum, cu-

---

[1] Cfr. Waddingus, Annal. Min. ad an. 1225, n. XXI. et XXIII.

stodem Normanniae, virum scholasticum et theologum insignem, substituit. Qui ut primum in Germaniam cum fratre Iuliano de Spira — qui postmodum officium B. Francisci et B. Antonii nobili stylo et pulcherrima melodia, qua usque modo utimur, exornatum[1] composuit — venisset, statim indixit provinciale capitulum, in festo SS. Apostolorum Simonis et Iudae in Colonia celebrandum, quod tamen certis de causis usque ad Pentecosten sequentis anni dilatum est.

Eodem anno 1228 frater Iohannes Parens, minister generalis, certior factus, lectorem aliquem theologiae ex fratribus ad Germanos non esse destinatum, absolvit fratrem Simonem Anglicum a ministerio Germaniae eique lectionem theologicam imposuit, fratrem vero Iohannem de Plano Carpinis ministrum destinavit. Qui indicto capitulo provinciali in Wormatia, ibi litteras absolutionis fratris Simonis et suae institutionis demonstravit, beatique Francisci canonizationem fratribus denuntiavit. Et Saxoniam hoc honore dignam iudicans, fratrem Simonem lectorem Magdeburgum misit et cum eo alios plures viros bonos et doctos. Idem fr. Iohannes de Plano, quia vir gravis et corpulentus erat, asino vehi necesse habebat, et homines tunc temporis propter Ordinis novitatem et equitis humilitatem densissimi concurrentes, maiori devotione ad asinum eius commovebantur, quam nunc propter abusum equitandi ad ipsorum fratrum personas. Hic praeterea Ordinis sui propagator maximus misit fratres in Bohemiam, Hungariam, Daciam, Norwegiam, domum quoque Metensem maiorem recepit et Ordinem in Lotharingia plantavit. Fuit vir magnanimus et strenuus, coram episcopis et principibus intrepide causas Ordinis defendens; neque verbis efferri potest, qua pace, caritate, consolatione et tutela fratres suos, tanquam mater filios et gallina pullos suos, semper foverit et protexerit[2].

Anno Domini 1229 frater Iohannes Anglicus primus visitator in Theutoniam est missus, vir tranquillus, caritativus valde, quique mirifice fratres ad virtutes colendas inflammavit. Eodem anno fratres in Ratisbona de capella Salvatoris solemne monasterium, auxilio nobilium de Trucksatz et comitum de Bogen, construxerunt; fundamentum autem dederunt nobiles de Paulstorff.

Anno 1230 profecturus ad capitulum generale frater Iohannes de Plano, minister Theutoniae, Assisii celebrandum, in quo translatio fieret B. Francisci, ultimum provinciale capitulum egit Coloniae, ibique fratre Anglico vicario substituto, ipse in Italiam perrexit, et in eodem capitulo generali a ministerio Theutoniae absolutus in Hispaniam transmissus est; eique in Germania suffecti sunt fratres Simon Anglicus, primus lector Magdeburgensis, et Otto Lombardus iurisperitus, administratione ipsa in duas divisa partes, unam Rheni, alteram Saxoniae. Haec fratri Simoni, qui iam morte praeventus, officio non est functus, illa fratri Ottoni cessit.

Mortuo autem fratre Simone, Saxonia et ministro et lectore caruit. Tunc ex capitulo Wormatiae celebrato, frater Iordanus, Thuringiae custos, cum litteris obedientiae Ottonis, ministri Rhenensis, et unico socio — commissa interim suae provinciae cura fratri Leonardo custodi Saxoniae — pro ministro et lectore postulando ad generalem ministrum abiit. Cumque fratrem Iohannem Anglicum Germaniae aliquando visitatorem peteret, eundem obtinuit. Scripsit ergo minister generalis ad Franciae

[1] In Chronicis habetur adiunctum a Waddingo: ut quibusdam placet.
[2] Cfr. Waddingus, Annal. Min. ad an. 1228, n. LXXXVI.

ministrum, ut fratrem Iohannem Anglicum Saxoniae administrationi, fratrem Bartholomaeum Anglicum lecturae praeficiendum dimitteret. Frater autem Iordanus, rebus ad sententiam sic gestis, fratrem Thomam de Celano visurus Assisium petit, a quo donatus est reliquiis B. Francisci, de capillis videlicet et vestimentis; quibus maximo cum gaudio et gratissimo animo acceptis, in Germania maturavit reditum. Cumque Herbipolim pervenisset, fratres Thuringiae datis litteris ei sunt gratulati, obnixe rogantes, ut quia non solum eius videndi desiderio flagrarent, verum etiam haberent, quae necessario ei loquerentur, significare illis dignaretur, qua parte Thuringiae Saxoniam versus esset transiturus. Ille suorum cupidissimae petitioni annuens, Isenacum eis definit; eoque maior fratrum Thuringiae pars in custodis sui occursum celerrime confluxit; datumque est ianitori domus in mandatis, ut fratrem Iordanum advenientem minime intromitteret, antequam eis indicaret. Veniens ergo frater Iordanus ad portam et pulsans non est intromissus, sed ianitor cursum accelerans, fratribus ipsum adesse et ad portam stare nuntiat. Fratres gaudio magno perfusi renuntiaverunt ei, quod hac vice per portam domus intrare non posset, sed per ianuam ecclesiae. Illi interim devotionis ardore succensi et spiritu exultantes in chorum se colligunt, cruces, palmarum ramos, candelas ardentes et thuribula manibus tollentes, extra chori claustrum bini et bini processionaliter in ecclesiam prodeunt, valvas ianuae aperiunt, et fratrem Iordanum intromittentes, cum tripudio recipiunt, plenis vocibus cantantes responsorium: « Hic est fratrum amator » etc. ipsumque solemniter ad chorum deducunt. Attonitus ille animoque haesitans, cur haec omnia praeter morem fierent, manu silentium innuente, cantantes cohibere tentat. Sed illi nisi cantu, quem inceperant, completo, voci et iubilationi non pepercerunt. Tum fratri Iordano magis atque magis stupenti subito quasi momento in mentem veniunt reliquiae beati Patris Francisci, quas secum ferebat, et spiritu incalescens in haec verba prorumpit: « Gaudete fratres et scitote, qui non me ut me, sed in me Patrem nostrum beatissimum Franciscum, qui me tacente animos vestros excitavit, et cuius apud me reliquias habeo, tanta cum solemnitate et plausu excepistis, honorastis, collaudastis »; protractasque reliquias coram fratribus in altari exposuit. Et ipse exinde B. Franciscum, quem in carne viderat et a quo receptus fuerat, maiori devotione et reverentia prosequi coepit, quia videret, quomodo Dominus corda fratrum Spiritu sancto exsuscitans atque inflammans, eius apud se reliquias latere noluerit. Fuit idem Iordanus, unus ex primis fratribus in Theutoniam missis, forma niger, statura pusillus, corde iucundus, benevolus, ad omne opus bonum paratus, vir tantae obedientiae, ut in fratre Minore nulla sanctitatis signa nisi cum obedientia coniuncta veneraretur, aut alicuius momenti aestimaret [1].

Anno 1231 reversus in Saxoniam, frater Iordanus misit fratrem Iohannem de Penna et fratrem Deodatum Luteliam, pro conducendis fratribus Iohanne Anglico ministro et Bartholomaeo Anglico lectore Saxoniae.

Anno 1233 celebratur capitulum generale Romae, in quo absolvitur frater Iohannes Parens a ministerio generali, eique frater Helias, sed non canonice electus, substituitur. In hoc etiam capitulo, fratre Iohanne Anglico de Redingis ministro Saxoniae absoluto, secundo sufficitur frater Iohannes de Plano Carpinis. Frater vero

[1] Cfr. Waddingus, Annal. Min. ad an. 1230, n. XVI.

Leonardus, custos Saxoniae, in reditu ex capitulo Cremonae in patria sua extremum diem clausit, cui substitutus est frater Bertholdus de Huxaria. Veniens autem in Saxoniam frater Iohannes de Plano, misit fratres in Bohemiam, Daciam et Poloniam, qui postea anno 1238, Saxoniae simul et Poloniae minister, habuit capitulum Pragae.

Anno 1239 iussu domini papae Gregorii IX. indicitur per fratrem Heliam, generalem ministrum, capitulum generale Romae, ubi provinciae per Germaniam fuerunt clarius distinctae, in Argentinensem scilicet, Coloniensem et Saxoniae. Bipartita itaque Rheni provincia in Argentinam et Coloniensem, Argentinensis nostra, quae et Superioris Germaniae usque in hodiernum diem dicitur, sic separata amplissimas regiones obtinuit, Bavariam, Palatinatum, Sueviam, Alsatiam, Marchionatum Badensem, ditionem Würtembergensem, Helvetiam, Franconiam, Tyrolim, et per quas Ordo fuit felicissime diffusus et indies incrementa traxit. Primum autem habuit ministrum fratrem Terdericum, virum admirandae perfectionis et sanctitatis, quo in humanis esse desinente et Augustae sepulto, provinciae frena suscepit circa annum 1244 frater Conradus de Caeli Porta, vir magni zeli et rigidus disciplinae amator, et sic ceteri consequenter.

Illo autem tempore Fridericus II., per Lugdunense concilium imperio privatus, furenter est fratres in Germania persecutus. Unde asperrime sane miseris iniecta sunt probra; multi ex locis suis in exilium eiecti, multi vinculis alligati, quidam etiam e medio sublati, quia Ecclesiae auctoritati obedientes, tanquam filii iustas piae matris partes contra rebellantium improbitatem viriliter defendendas susceperant, cum praeter fratres Minores alii Religiosi ne mussitare quidem contra auderent. Tunc etiam temporis Sigfridus, Moguntinus archiepiscopus, graves intulit fratribus molestias. Et ita se habent primordia provinciae nostrae Argentinensis, sive Superioris Alemanniae, quae, ut ex hactenus dictis patet, ceterarum Germaniae provinciarum facile mater est, in qua fratres ex Italia venientes primum constiterunt Ordinemque fixerunt, et inde per latissimas Germaniae regiones disseminaverunt. Protulit eadem multos sanctitate, miraculis et doctrina praeclaros viros, ex quibus unum vel alterum subiiciemus.

Anno 1245 obiit frater Iohannes, Spirensis guardianus. Hic fuerat Moguntiae enutritus ibidemque apud S. Petrum canonicus; egerat is semper, Dei aspirante gratia, vitam piam, devotam atque castam. Tandem Spiritus sancti zelo correptus, ad perfectionem evangelicam aspirans, contemptis omnibus honoribus, dignitatibus et deliciis, sub Ordine Minorum Deo militare coepit; in quo omnium virtutum et gratiarum donis ita est auctus, ut et Deo et hominibus esset dilectus. Hic puerum quendam in Bruxella, aqua suffocatum, voto a parentibus emisso, eius tumuli in Spira visitandi, a mortuis suscitavit; decem et octo contractos sanavit; duos caecos illuminavit; paralyticos duos curavit etc.; lampas super sepulcrum eius pendens, decem et octo vicibus exstincta, sine hominum ministerio est accensa.

Mortuus etiam est anno 1272 devotissimus quidam frater David, qui conscripsit libellum de exteriore et interiore homine secundum triplicem statum: incipientium, proficientium et perfectorum, et brevem expositionem super regulam fratrum Minorum; is vitam scribitur duxisse innocentissimam. Hora obdormitionis eius revelata fuit fratri Bertholdo, Ratisbonae actu praedicanti, qui recommendans eum populo, hunc versum: « Qui pius, prudens, humilis, pudicus, sobrius, castus fuit et quietus, vita dum praesens vegetavit eius corporis artus », in eius laudem recitavit.

Eodem anno obiit et ipse frater Bertholdus de Ratisbona, praedicator magnus, qui quasi in spiritu Heliae verbis tanquam facula ardentibus obcaecata peccatorum corda transverberans, innumeros a viis pravis ad salutarem vitae emendationem perduxit. Super caput eius, cum in Thuringia aliquando sermonem faceret, a fide dignis utriusque sexus religiosis plures coronae fulgidae volitare videbantur. Sepultus est in ecclesia Minorum Ratisbonae.

Anno 1275 frater Henricus de Isingen, Ordinis Minorum, factus est episcopus Basiliensis, et deinde iudex et conservator privilegiorum Mendicantium per Sedem apostolicam deputatus; ac demum archiepiscopus Moguntinus per dominum Honorium papam IV.

Anno 1280 Conradus probus, minister superioris Alemanniae, assumptus est ad episcopatum Tullensem in Lotharingia.

De introductione sacrae Observantiae in provinciam Argentinam.

Anno salutis 1426 sacra Observantia hac occasione in provincia superioris Germaniae initium duxit. Illustrissimus princeps Ludovicus, cum barba dictus, comes Palatinus Rheni, princeps elector, domini Ruperti, Romanorum olim regis, filius, uxorem secundam duxerat dominam Mechtildem, ducissam Sabaudiae provinciae, ut nos loquimur, Thuroniae, feminam piam et devotam valde. Quae cum Heidelbergam, principis mariti regiam, esset perducta ibidemque conversationem fratrum Minorum Conventualium regulae minus consonam advertisset, occurrunt animo fratres Minores de Observantia, quos in provincia paterna, secundum ordinationem et provisionem concilii Constantiensis, sancte, perfecte et fidelissime Deo servientes viderat, et ex quibus patrem sibi spiritualem elegerat, apud quem confessiones suas deponere, cuius consilio et ductu vitam instituere, cuius consolationibus refici consueverat. Horum desiderio tangebatur quidem, suppressit tamen, si quando se aperiret commoda eius adimplendi occasio. Accidit tandem, ut die quadam cum ipso principe in palatio castri in altissimo monte super oppidum imminentis a prandio deambularet. Conspexerunt ipsos Conventuales inferius in conventu militaribus sese lusibus exercitare, ludrica bella gerere, dispositis aciebus congredi, pilam lapidemque iacere, dissolutas choreas agere, ac aliis his similibus saeculi vanitatibus horas perdere. Hanc domina sancta non incommodam fratres de Observantia commendandi ansam sibi arripiendam rata, ingemiscens inquit: « Utinam ex patria nostra fratres Minores hic essent! illi sunt viri omnis sanctitatis et perfectionis exemplo lucentes. Mittite, domine mi, et confessorem meum accersite». Tum princeps non ignarus ipse, quantae sit devotionis femina, eius sancto desiderio satisfecit, missisque litteris et nuntiis ad provinciam Thuroniae, curavit adduci quatuor fratres de Observantia; et vocato ministro Argentinensi patre Iodoco, intentionem suam ei exposuit. Qui mox citatis et collocatis eo aliquot suae provinciae fratribus, ferventiorem Observantiae zelum prae se ferentibus, conventum Heidelbergensem omnium primo reformari passus est. Praefecit guardianum devotissimum quendam patrem, fratrem Nicolaum Caroli, omnium qui regulae observantiam manu tenebant facile primum. Iste cum esset sacerdos saecularis, pie in Christo Iesu vivens, trina e caelis admonitione, et plagis

etiam ab Angelo illatis, beati Francisci institutum amplecti compellitur. Pluribus deinde in provinciae locis, sanctae Observantiae propagandae solertissime est invigilatum; et licet aegre alicubi nec sine multiplici altercatione res eventum sortiretur, cecidit tamen, Deo aspirante et piissimorum quorundam principum incomparabili zelo urgente, non infeliciter.

In hoc autem salutari opere conficiendo multum desudarunt duo insignes et sempiterna memoria dignissimi viri, reverendissimus dominus Nicolaus Cusanus et sanctus pater frater Iohannes Capistranus Ordinis Minorum de Observantia. Quorum ille, tituli sancti Petri ad Vincula cardinalis presbyter, sanctae Apostolicae Sedis per Germaniam legatus et episcopus Brixinensis, Norimbergam venit anno 1453, et per dioecesim Bambergensem ultima die Aprilis mandatum edidit, quod omnes Religiosi regularem observantiam infra unius anni spatium admitterent quarumcumque Religionum sive exemptarum sive non; alioquin privati essent omnibus privilegiis et gratiis a Sede apostolica eis indultis; insuper ad quamcumque dignitatem forent ineligibiles, si post lapsum duorum annorum, a dato huiusmodi mandati enumerandorum, essent negligentes. Hic idem vir, omni doctrina clarus, cum ecclesiae suae Brixinensis iura acrius tueretur, a Sigismundo, duce Austriae, circa annum 1460 in castro Brauneeco in ipsa Paschatis solemnitate, contra fidem et securitatem datam, capitur; inque eius potestate per dies aliquot, omni contumeliarum et ignominiarum genere affectus, durissime retinetur, nec libertatem obtinere potuit, nisi remissis iniuriis, castro quodam tradito, magno auri pondere soluto, reddito creditoribus chyrographo, et quampluribus aliis extortis conditionibus, praeter eas quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique ecclesiae privilegiis et iure ereptis. De quo immanissimo scelere Pius papa II. certior factus, interdictum per dominium et terras eius pronuntiat. Quod audiens Sigismundus, coepit hostiliter persequi omnes fautores Cardinalis et interdicto obsequentes, quos ausus fuit sedibus eiicere, praebendis exuere, Cardinali ipsi necem denuntiare, nisi ad profanationem sacrorum illos compelleret; et monasteria mandatis Apostolicis deferentia gravissimis molestiis devexare. Et in primis monasterium sanctae Clarae in Brixina, olim per eundem Cardinalem reformatum, crudelissime invasit, patrem confessarium Nicolaum de Prussia, virum devotum, vinculis alligatum, in profundae turris cuiusdam ergastulo conclusit. Sorores ipsae metu perculsae fugam arripiunt; quibus in ditionem illustrissimi archiducis Austriae d. Alberti, qui fuit germanus frater Friderici, Romanorum III imperatoris, pervenientibus, a domina Mechtilde, coniuge eius, optime est prospectum. Ipsi vero Sigismundo hic tantus furor incesserat magisterio et instinctu effrenis et profugi cuiusdam Gregorii de Haimburgk, qui homo scelestus fuit, iurgiis ubivis intentus, fraterni odii et discordiae conflator insignis. Ideoque primum Moguntiae, adhuc tener annis, sed canus iniquitate, ignominiose expulsus est, deinde ad Athesim se conferens, apud praedictum Sigismundum ducem callide se insinuavit eumque contra Brixinensem ecclesiam commovit, totiusque tragoediae fax et tuba exstitit. Quapropter a Pio secundo excommunicatus, ad haereticos Bohemiae transfugit.

Alter vero divus sanctus Iohannes Capistranus, postquam beati Bernardini, Sanctorum catalogo iam adscripti, meritis et reliquiis propriaque sanctitate stupenda miracula per Lombardiae et Marchiae Tervisinae partes edidisset, tantus de eo increbuit rumor, ut consiliarii Friderici tertii, Romanorum regis — qui tunc in Italia eiusdem coronandi causam tractabant, quorum praecipuus fuit Aeneas Sylvius,

postea Pius papa II. — rerum fama et novitate permoti, ab ipso Nicolao V. pontifice ad Capistranum litteras impetrarent, quibus illi iter in Austriam ad praesentiam Friderici regis demandaretur. Sciebant enim, quid posset apud Germanos tanti viri apostolica vita et miraculorum gratia. Eorum petitione non contrarius pontifex scripsit Capistrano, ut primo quoque modo, ab instantis Paschalis celebratione, in Germaniam ad regis praesentiam iter instituat. Cui apostolico mandato humiliter sibi obtemperandum ratus, eodem anno 1451, decem fratribus comitatus, per Carinthiam et Styriam in Austriam venit, obviam ei passim exeuntibus plebe et sacerdotibus cum reliquiis eumque veluti apostolicae Sedis legatum et Dei nuntium suscipientibus. Miracula undique innumera et plane divina perpetravit. Cum Viennae ageret, magnam aegrotantium multitudinem, sancti Bernardini birretum et cruorem, quem illi mortuo ex naribus fluxisse ferunt, eis admovendo, sanitate donavit.

Anno sequenti 1452 Moraviam petit, ubi plurimos Hussitas ad ecclesiae gremium reduxit et monasteria aliquot fundavit. Nec multo post evangelizando Ratisbonam Bavariae, tandem Norimbergam venit, inclytam imperii civitatem, ibique ab omni clero et populo solemniter susceptus, ad Ordinis sui conventum iam quinquennium ante reformatum divertit. Et in vigilia S. Iacobi aliquot sorores S. Clarae, impositis S. Bernardini reliquiis, sanitati reddidit. Dici non potest, quam huius viri sanctitate et praedicatione Ordo Minorum de Observantia per Germaniam accreverit. Lipsiae, quod Misniae oppidum est et Academia insigne, sexaginta, Cracoviae vero, metropoli Poloniae, centum triginta magistros et baccalaureos, concionibus suis a saeculo aversos, sacro Ordinis habitu induit. Voluit ab eodem B. Patre rex Poloniae Casimirus nuptias suas cum Elisabetha Bohemiae et Hungariae regina benedici, etiam praesente reverendissimo cardinale et episcopo Cracoviensi.

Anno Domini 1454 frater Iacobus de Mosanica generalis minister creatus, [in] fratribus regularis Observantiae persequendis omnes suos antecessores facile superavit. Hunc litteris humiliter scriptis beatus Capistranus graviter admonuit, ut temerario suo proposito desisteret, alioquin non esset diu supervicturus. Sed ille sarcasmis et subsannationibus venerandi patris salutaria monita eludens, sub Calixto papa tertio sacram Observantiam funditus evertere atque radicitus evellere aggreditur; ipsumque pontificem importunis machinationibus molestans, eam in mentem adduxit, ut binis editis bullis, Eugenianam suspenderet, fratribus de Observantia alia nonnulla praescriberet eosque Conventualibus subiiceret. Cuius rei indignitate motus, Capistranus ad pontificem gravissime scripsit. Similiter et duces Ludovicus Bavariae, Albertus Austriae, Albertus et Iohannes marchiones Brandenburgenses, episcopi Herbipolensis, Frisingensis et Bambergensis, nec non civitas Norimbergensis, quorum omnium — ut litterarum exemplaria ostendunt — unanimis fuit intentio, vitam Conventualium dissolutam accusare, Observantium conversationem magnifice extollere, et Eugenianae confirmationem efflagitare. Pontifex igitur melius informatus, praedecessorum suorum Nicolai V. et Eugenii IV. litteras non solum innovavit, approbavit et confirmavit, sed aliis etiam privilegiis et gratiis multis fratres de Observantia gaudere fecit. Nec longe post frater Iacobus de Mosanica [generalis minister] immatura morte repente sublatus est. Quibus ita transactis, sacra Observantia in Germania, sed inprimis per Argentinensem nostram provinciam felici et tranquillo successu caput extulit. Reformati namque in ea sunt propedum 28 conventus, super quos primus minister, nomine vicarii provincialis sublato, pronuntiatus est ab ipso Leone X.

reverendus pater frater Caspar Schatzgerus in capitulo generalissimo Romae anno 1517 celebrato. Ex illis conventibus post haereticae pravitatis inundationem et Tyrolensem separationem remanserunt pro Argentina provincia sex tantum: Monacensis, Ingolstadiensis, Bambergensis, Landishutanus, Fremersbergensis et Kelhaimensis, quibus studio et industria reverendi patris fratris Iohannis Francisci Remmingeri, moderni ministri, tres de novo accesserunt, Salisburgensis, sancti Lucii et Pataviensis.

Monacensis.

Cuius ope et quo tempore fratres Minores primo Monachii habitationem constituerint, nihil certi in scriptis relinquitur, nisi quod anno Domini 1282 illustrissimus princeps Dominicus Ludovicus, dux Bavariae, dedit fratribus Minoribus in Monachio alium locum, aulae ducali vicinum, situm versus orientem; tunc enim in altera parte civitatis habitabant in loco, cui nomen est Anger, quem conventum modo inhabitant sorores S. Clarae. Anno 1480 illustrissimus princeps Albertus, dux utriusque Bavariae, gener Friderici imperatoris tertii, et comes Palatinus Rheni, impetravit a Sixto IV. bullas reformationis, XII. cal. Maii dicti anni datas. Et quamvis fratres a principio vehementer obstiterint et aegerrime ad reformationem amplectendam adducerentur, pio tamen principis zelo locum obtinuit sacra Observantia, omnibus Conventualibus discedere iussis. Qui ubi primum de reformatione instituenda cognovissent, clinodia aurea et argentea, calices plurimos, meliora altarium paramenta, casulas et dalmaticas, et alia pretiosa conventus furtim Augustam transvehi curaverunt, pro quibus deinde sorte missa, quis quid tolleret, in diversas regiones sunt dispersi. Fratribus vero de Observantia, qui Innerstorffii, quod Canonicorum Regularium monasterium est, quatuor milliaribus Monachio distans, rei eventum exspectabant, solemniter conventum ingressis, misit Albertus princeps ad Curiam pro suppletione defectuum, si qui in conventus reformatione commissi erant, proque eiusdem reformationis confirmatione; quibus obtentis, perstitit sacra Observantia firmiter.

Sepultus est in huius coenobii ecclesia beatus frater Marquardus, frater laicus. Anno 1527 in Monachio, urbe Bavariae, obiit frater Marquardus Weismaler, Ordinis Minorum, vir mirae patientiae et devotionis. Hic cum multis annis esset infirmus et contractus, pervenit ad tantam perfectionem, ut post mortem multis miraculis coruscaret. Nam puellam caecam illuminavit, tres contractos sanavit et filium cuiusdam aurifabri de Monachio ad sepulcrum eius orantem, tempore beatae memoriae patris Iohannis de Capistrano, ac alium quendam a dolore calculi totaliter sanavit, et plurimas devotas personas ad eius sepulcrum pro suis angustiis orantes et patrocinium eius invocantes consolatus est. Sepultus fuit iuxta altare sancti Georgii in dicto conventu; eius ossa de tumulo levata sunt anno Domini 1505, post eius obitum 175, in profesto S. Felicis papae et martyris.

Item, frater Michael de Cesena, qui usque ad mortem generalis ministri et titulum et officium sibi arrogavit; obiit in vigilia S. Andreae apostoli, anno 1343.

Item, frater Wilhelmus Ockam Anglicus et frater Bonagratia de Pergamo, doctor utriusque iuris, qui obierunt eodem anno, videlicet 1347, ille die Aprilis 10., hic vero III. calend. Iulii, in choro conventus sepulti. Quos non multo post, die nempe

Gereonis, ipse dominus Ludovicus imperator quartus — cuius partes una cum fratre Michaele contra Iohannem XXII. pontificem propugnaverunt — morte obita subsecutus et Monachii in aede divae Virginis sepulturae traditus est eodem anno.

Item, reverendus pater frater Casparus Schatzgerus, theologus insignis, tam de Ordine, quam tota Ecclesia catholica optime meritus. Multa edidit praeclarissima opera adversus lutheranam haeresim, quam sub primis eius initiis impigre atque acerrime impugnavit. Diem extremum clausit, cum esset custos Bavariae et guardianus Monacensis [1].

Ingolstadiensis.

Anno Domini 1275 illustris Bavariae superioris dux Ludovicus cum secunda coniuge sua Anna, Conradi Poloniae ducis filia, de consensu et favore reverendissimi domini Hildeprandi Eystadiensis episcopi, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, salutem suam et suorum progenitorum, in oppido Ingolstadio totius Bavariae munitissimo et catholica Universitate celebre, fundum aptum dedit pro aedificanda ecclesia et monasterio Ordinis fratrum Minorum; et quo citius opus hoc ducat initium, pro se viginti, ex parte vero coniugis decem marcas argenti dedit. Et quia ipse personaliter dicto operi interesse et intendere non potuit, praecepit nobilibus viris Windaro et Rorbach vicedomino et N. iudici castri Ingolstadiensis, ut ipsi eius nomine singula exsequerentur, super quos uxorem suam constituit inspectricem, utpote cui negotium prae ceteris cordi erat. Reformatus est hic conventus anno Domini 1466, die sancti Valentini, per illustrissimum principem dominum Ludovicum, ducem utriusque Bavariae, sacrae Observantiae praecipuum propagatorem [2].

Landishuttanus.

Anno Domini 1280 illustrissimus princeps et dux dominus Henricus, dux Bavariae inferioris et frater Ludovici, ducis Bavariae superioris, qui Ingolstadiensem conventum fundaverat, cum consorte sua domina Elisabetha, filia Belae quarti, regis Hungariae et fratris S. Elisabethae, dedit fratribus aream in Landishutto, cum fonte et aliis attinentiis; ubi tandem fratres auxilio eiusdem principis, divinitus admoniti, egregium monasterium construxerunt, quod hodie exstat. Reformatus est iste conventus anno Domini 1466, die 24. mensis Ianuarii, eodem principe Ludovico, Ingolstadiensium reformatore [3].

---

[1] In fine notitiarum de singulis conventibus, quae infra sequuntur, manus posterior pauca verba adiunxit, quae, si sunt alicuius momenti, in calce posuimus. Hoc loco additur: Anno 1527 sunt in hoc conventu fratres hodie circiter quadraginta.

[2] Fratres nunc habet 30.

[3] Fratres nunc habet viginti.

Bambergensis.

Anno Domini 1225 frater Marcus de Mediolano, custos Franconiae, miserat fratres Bambergam, qui ibidem susceperunt locum, ubi nunc leprosorium est. Reformatus est anno 1460 per reverendissimum episcopum Bambergensem, dominum Georgium, et vicarium provincialem Argentinensem [1].

Fremersbergensis.

Circa annum Domini 1411 in latere montis Fremerii deorsum inter Baden marchionum et Stainbach habitavit quidam devotus frater eremita nullius Ordinis approbati, nomine Henricus Mylhaisser. Hic in dicti montis latere coepit aedificare quandam capellam ligneam in honorem S. Trinitatis, beatae virginis Mariae et sanctae Ursulae, quae una cum altari eius fuit consecrata anno Domini 1413. Cum autem devotio populi cresceret circa simplicitatem illius devoti fratris, aliquos ad se venientes simplicianos in suam confraternitatem vel potius societatem recepit. Unde et ipse motus pietate et Ordinarii fretus auctoritate, aliam ecclesiam paulo maiorem ex lapidibus, devotione sibi assistente fidelium, construi procuravit, circa annum Domini 1415.

Et quia illustris princeps dominus Iacobus, marchio Badensis, fratrum Minorum Observantiam in Pforzenheim iam introduxerat, et dictus frater Henricus iam mortuus fuerat, tradidit eandem capellam eisdem fratribus Minoribus cum illa paupercula domo per silvanos constructa, resignando omnia in manus reverendi patris fratris Caroli, tunc vicarii provincialis dictorum fratrum, circa annum 1450. Qui princeps Deo et beato Francisco devotus, anno Domini 1453 debitum universae carnis exsolvens, posteris sui generis domum dictam, quasi memoriale salutiferum tuendum et protegendum, immo et in sancta Observantia conservandum, dereliquit. Igitur fratres Minores dicti locum praefatum acceptantes, maximis laboribus in eum quem nunc videmus statum evexerunt, devotione fidelium et potissime domus marchionum sibi assistentium; ubi usque hodie perseverantes Domino devotum exhibent famulatum [2].

Kelhaimensis.

Anno Domini 1457, in die S. Ludovici episcopi, receptus est locus a fratribus Minoribus de Observantia apud S. Nicolaum in ripa Danubii, non longe ab oppido Kelhaim superioris Bavariae, Ratisbonensis dioecesis, quem aedificavit quidam ex tertio Ordine frater Antonius de septem Castris, qui commoratus est ad tempus ibidem cum fratribus tanquam conversus. Tandem ad provinciam Austriae devenit

---

[1] Fratres habet 24.

[2] Fratres nunc ibi commorantur tres.

rogavitque ad Ordinem recipi. Receptus autem est in loco, qui dicitur Paradisus, prope Viennam; sed quia cum fratre quodam non bene conveniret, occasione capta, priori statui est redditus. Cumque eques Hungariam contra Turcam bellaturus peteret, incidit in manus sex latronum, qui volebant eum equo spoliare; a quibus, cum unus omnibus se opponeret, interemptus est. Praedictum autem locum habitarunt fratres usque ad annum Domini 1471 et tunc transtulerunt se ad montem S. Michaelis prope oppidum praedictum [1].

Salisburgensis.

Anno Domini 1583 reverendissimus in Christo pater et princeps, dominus Iohannes Iacobus, piae memoriae, archiepiscopus Salisburgensis et Sedis apostolicae legatus, de consilio reverendissimi Feliciani Ninguardae, episcopi Scalensis, nuntii apostolici, dedit fratribus Minoribus de Observantia locum intra S. Petri monasterium Benedictinum et parochialem ecclesiam divae Virginis, ubi antea sorores Benedictinae habitaverunt. Habent ibidem fratres largissimam animarum messem, fideliumque operariorum tum concionando tum confessiones audiendo munere perfunguntur. Multos iam ex haeresi converterunt, eosque reverendissimus dominus et princeps dominus Georgius, modernus archiepiscopus, vir magni exempli et singularis doctrinae, omnibus et amoris et benevolentiae officiis intime prosequitur [2].

Sancti Lucii prope Hachingam.

Anno Domini 1585 illustris ac generosus dominus Eitel Fridericus, comes de Hohenzollern in Sueviae partibus etc., animae suae subditorumque suorum salutis rationem habens, diuturnis et quasi importunis precibus obtinuit, ut fratres sibi mitterentur. Qui satis commode ibi iam degunt, nec ullis sumptibus parcit comes, quin eleganti forma, qua iam coeptum est, monasterium absolvatur [3].

Passaviensis [4].

Anno Domini 1586 reverendissimus pater et princeps dominus Urbanus episcopus Passaviensis, sacri imperii princeps, sui metropolitani Salisburgensis exemplo insistens, et fratrum in vinea Domini frugiferis laboribus incitatus, a reverendo patre nostro ministro concionatorem primo impetravit, qui per sacram Quadragesimam in cathedrali ecclesia populo verbum Dei proponeret; iamque plane deliberatum habet, novum a fundamentis exstruere; alit interim in domo quadam concionatorem cum quatuor sociis.

---

[1] Fratres habet tredecim.

[2] Fratres habet novem.

[3] Fratres habet septem.

[4] In manuscripto hic et deinde *Palaciensis*.

Sequuntur conventus sororum sanctae Clarae: Sefflingensis.

Anno Domini 1237 sancta Clara misit sorores aliquas sanctas virgines ad Bohemiam et Alemanniam, quae per Tridentum, ubi monasterium pro eis erectum est, venerunt Ulmam, ubi aliquae ex ipsis remanentes coeperunt aedificare pauperculum quoddam monasterium sive habitaculum in quodam loco dicto *uff dem griess*, ubi modo est hospitale S. Elisabethae satis opulentum, ubi primum sub regula seu institutionibus S. Benedicti vixerunt, observantes nihilominus constitutiones S. Clarae, matris suae. Tandemque regulam sancti Benedicti relinquentes, institutionibus S. Clarae totaliter inhaeserunt. Prima autem abbatissa vocabatur Hedwigis. Erat tunc temporis quidam maturus et devotus frater Ordinis nostri Minorum, Albertus nomine, cuius ducatu et directione sorores illae in omni sanctitate viventes valde profecerunt, aedificantes habitaculum in dicto loco, ubi tunc erat quaedam curia, nomine Münchhof *uff dem griess*, quam quidam nobilis Udalricus de Fryberg libere dictis sororibus obtulit. Cum autem sorores illae devote ibidem aliquot annos habitassent, ob nimiam inquietudinem et importunitatem locum mutare decreverunt extra oppidum Ulmam. Quod audiens quaedam devota matrona, comitissa de Dillingen, ex consensu et favore comitum de Dillingen aream in Sefflingen dictis sororibus obtulit et dotavit monasteriumque ibidem fundavit pro septuaginta duabus Ordinis S. Clarae, ipsa S. Clara adhuc vivente. Unde et monasterium illud Sefflingen, ortus B. Mariae virginis nominatum, in superiori Alemannia primum fuit, in quod sorores illae devotae et sanctae intraverunt primum anno 1258 in die purificationis beatae Virginis. Cui Alexander papa IV. eadem privilegia communicavit, quae sorores S. Clarae in sancto Damiano habuerunt, ut litterae eiusdem testantur. Quaedam etiam sorores devotae ex ordinatione S. Clarae, dum adhuc in humanis ageret, ex Colonia, ibidem Ordine S. Clarae plantato, ad Ulmam redierunt, ferentes secum tria capita sanctarum virginum ex societate S. Ursulae, quae hodie in Sefflingen manent. Sicque monasterium illud in superiori Alemannia quasi mater aliorum monasteriorum Ordinis sanctae Clarae fuit, utpote: Anger in Monaco, sanctae Caeciliae in Pfullingen et sanctae Mariae Magdalenae in Nürnberg, sanctae Agnetis in Herbipoli, et aliorum quamplurimorum, quae a dicto monasterio Sefflingen ortum et progressum sumpserunt. Reformatus est hic conventus anno 1484[1].

Pfullingensis.

Anno Domini 1250, vivente adhuc S. Clara, inchoatum est monasterium Ordinis sanctae Clarae prope Pfullingen in ecclesia S. Caeciliae virginis a devotis et nobilibus dominabus Irmela sive Irmegilda et Mechtilda, circa festum S. Martini. Anno vero Domini 1252 in festo S. Othmari abbatis venerunt sorores ex Ulma sive Sefflin-

[1] Sorores nunc ibi sunt quadraginta.

gen monasterio, quod iam inchoatum fuerat, licet nondum consummatum, et introductae sunt solemniter in dictum monasterium prope Pfullingen. Anno Domini 1278 in festo S. Catharinae illae duo devotae matronae supra nominatae receperunt habitum Ordinis S. Clarae, in quo inibi sancte viventes felici fine vitam clauserunt in Dei famulatu [1].

Alensbachensis.

Anno Domini 1283, XV. cal. Augusti incepit nova plantatio Ordinis sanctae Clarae in monasterio Alensbach prope Keysersperg, in quo ab initio eiusdem monasterii habitaverunt moniales Ordinis S. Benedicti, quarum levitate et prodigalitate, dum ab Ordinis regulaeque suae rigore declinassent, et bona monasterii ex integro dilapidassent, tandem traditum est sororibus Ordinis S. Clarae, quae antea in oppido Künshaim iuxta ecclesiam parochialem asseruntur moram traxisse, prout inibi adhuc Ordinum tam Minorum quam S. Clarae imagines parietibus depictae testantur. Prima igitur die ingressus ad dictum monasterium 40 personae nobiles et honestae, saeculum relinquentes, Ordinem S. Clarae assumpserunt, et in praesentia dominorum terrae et primatum utriusque sexus innumerabili multitudine [sic!] de circumadiacentibus civitatibus, oppidis et villis terrisque cum maxima solemnitate habitum Ordinis assumentes, monasterium intraverunt, in quo et in sancta regula viventes valde profecerunt.

Norinbergensis.

Anno Domini 1278, III. nonas Iulii, pontificatus sui anno primo, misit dominus Nicolaus papa tertius litteras domino Bertholdo, episcopo Bambergensi, ut priorissam et sorores in Norinberga, quae poenitentes dicebantur, et per Guilhelmum, episcopum Parisiensem, ad normam sancti Augustini institutae, et per dominum Greporium papam IX. confirmatae, sed in concilio Lugdunensi cassatae, ad Ordinem S. Clarae cupientes, sicut supplicatio priorissae et totius earundem conventus sororum ac domini Rudolphi, regis Romanorum, et uxoris suae pro ipsis intercedentium continebat, dicto Ordini sanctae Clarae incorporaret. Quod idem episcopus per dominum Erichtonem, decanum ecclesiae Bambergensis, et fratrem Albertum, custodem fratrum Minorum in Bavaria, et per Andream, lectorem Bambergensem, quibus vices suas hac in causa commisit, promptissime est exsecutus. Et anno sequenti circa festum Epiphaniae aliquot sorores Ordinis S. Clarae de Seflingen Norinbergam adduxerunt; et sic ibidem est Ordo S. Clarae plantatus.

Hic conventus, olim opulentissimus, totus iam est sub potestate senatus Norinbergensis redactus; superstites sunt duae iam senio confectae sorores, quibus ad dies vitae ibi commorari permittitur, sed absque Religionis exercitio.

---

[1] Sorores nunc habet duas laicas.

Anger.

Anno Domini 1284 venerunt Monachum 4 sorores Ordinis S. Clarae, quae inceperunt conventum in Anger, et fratres eis cesserunt loco. Reformatum est hoc monasterium in profesto undecim millium Virginum eodem anno et principe, quo ipsi fratres Monacenses. Sorores sunt quadraginta.

Hailbrunnensis.

Primum quidem monasterium Ordinis sanctae Clarae fuit iuxta oppidum imperiale [1] Hailbrunn, in quadam villa dicta Flein, in solo et dominio Nobilium de Talheim, qui pauperculis sororibus plura bona temporalia intuitu divini honoris contulerunt, prout in litteris desuper confectis sub anno Domini 1293 reperitur. Aestimo autem, sorores primas similiter ex Sefflingen ibidem Ordinem S. Clarae plantasse, adiunctis aliquibus ex Pfullingen. Procedente autem tempore ob bellorum incommoda et loci penuriam ad oppidum Hailbrunn sunt translatae cum omni supellectili et attinentiis suis, ubi monasterium quoddam humile et exiguum in angulo civitatis aedificantes, in penuria Domino famulabantur. Quibus tandem inibi moram trahentibus, iterum domicelli Nobiles de Talhaim donaria in certis possessionibus dederunt, prout litterae sub anno Domini 1331 desuper confectae testantur. In quo loco adhuc manent Domino famulantes [1].

Bambergensis.

Anno Domini 1341 inchoatum est monasterium sororum Ordinis sanctae Clarae in civitate Bambergensi in platea Zinckenwerd per devotam quandam virginem Catharinam Zollverin, et primus lapis positus. Anno vero 1343 in die sancti Thomae Cantuariensis sorores eiusdem Ordinis sunt introductae, ubi hodie manent Domino famulantes [2].

---

[1] Sorores nunc ibi Deo libere famulantur viginti tres.

[2] Sorores sunt 24.

COMMENTARIOLUM

DE

VENETA PROVINCIA REFORMATA S. ANTONII

ORDINIS MINORUM

EDITUM

STUDIO ET CURA A. R. P. ANTONII MARIAE A VICETIA

EIUSDEM PROVINCIAE CHRONOLOGI, LECT. THEOLOGI
ET EX-MINISTRI PROVINCIALIS.

§ 1.

De origine et progressu Provinciae Minorum Reformatorum S. Antonii Venetiarum.

Licet in Capitulo generalissimo, iussu Leonis X Romae an. 1517 convocato, Conventualibus ab Observantibus prorsus distinctis, partiales Fratrum congregationes, variis nominibus appellatae et diversis exortae temporibus, ut Clarenorum, Amadeitarum etc., in unum Regularis Observantiae corpus redactae fuerint; processu tamen temporis non defuerunt Fratres, qui, maioris perfectionis studio, et solitudinis amore, divina inspirante gratia, ducti, a Superioribus suis humiliter petierunt, ut in conventibus angustioribus et ab urbibus magis remotis, in maxima austeritate atque omnium rerum inopia, iuxta spiritum S. Regulae, quam professi fuerant, Domino inservire ipsis liceret. Quod quidem etiam in nostra provincia Veneta evenisse, ex documentis, quae supersunt, certissime constat. Cum enim piis hisce votis Superiores, sive generales, sive provinciales, plerumque annuerent, iam ab anno 1519 circiter, ut noster chronologus P. Petrus Antonius a Venetiis coniicit, vel potius an. 1525, ut placet P. Beato a Valle Agni, annalium provinciae scriptori, conventum S. Mariae Gratiarum apud Arcum in ditione Tridentina, et alterum S. Petri Viminarii apud Plebem Pernumiae in Patavina dioecesi, et paulo post etiam tertium S. Bernardini prope Tridentum concessere; quibus sub an. 1537 conventus S. Mariae Gratiarum prope Coneglanum in dioecesi Cenetensi, et sub an. 1540 alter S. Hieronymi prope Asylum, in dioecesi Tarvisina accesserunt. His anno 1560 alii duo additi sunt, conventus nempe S. Spiritus prope Feltriam, et S. Mariae Gratiarum Vallis Agni in dioecesi Vicetina; et anno 1584 conv. S. Mariae de Iesu Tarvisii, et tandem anno 1594 sanctuarium in insula Deserti prope Burianum in dioecesi Torcellana, nunc vero Venetiarum. Huiusmodi autem nostrae Reformationis incremento Superiores Ordinis faventes, Custodem vocalem iam ab anno 1533 ei dederunt, qua dignitate omnium primus, quidam P. Bartholomaeus a Brendulis insignitus fuisse videtur.

Ita igitur res processit usque ad annum 1598, quo provincia nostra firmiorem stabilitatem accepit. Tunc temporis enim ad Reformationem solidius confirmandam a S. P. Clemente VIII quidam P. Iacobus a Gandino, ex Reformatione Mediolanensi, missus fuit, quo Praeside, nostrates Reformati seorsim a PP. Observantibus primum

capitulum Coneglani celebrarunt, in quo etiam primus Custos regiminis electus fuit quidam P. Pacificus a Venetiis, scientia et sanctitate praestantissimus. In Custodiam igitur iuridice erecta fuit praedicto anno 1598; et anno 1639 ab Urbano VIII, una cum ceteris Italiae Custodiis, Provincia fuit declarata. Nonnulla interea coenobia vel de novo extruxerat, vel ab aliis Ordinibus acceperat. Anno siquidem 1643, praeter memoratos conventus, sequentes etiam habebat, nempe conventus ad S. P. N. Francisci de Ceneta; ad S. P. N. Francisci de Castrofranco in Tarvisina dioecesi, ad S. P. N. Francisci de Burgo Ausugii in ditione Tridentina, ad S. Bonaventurae Venetiarum, ad S. Bonaventurae de Bassano in dioec. Vicetina, ad S. P. N. Francisci de Pergino prope Tridentum, ad S. Caroli de Patavio, ad S. Rochi de Roboreto et ad S. Antonii de Clesio in Valle Naunia, ambo in Tridentina ditione, et ad S. Iosephi de Vicetia, omnes a fundamentis erectos; quibus addendi sunt conventus ad S. Spiritus de Mantua et ad S. Ludovici episc. de Riperio, in eadem ditione Mantuana, ambo ad PP. Observantes olim pertinentes; et demum conventus ad S. P. N. Francisci de Cittadella in Patavina dioec. a Patribus Conventualibus antiquitus exstructus.

Divisa autem an. 1645 nostra Veneta provincia a provincia S. Vigilii, quae ex conventibus Tridentino principatui subiectis constituta fuit, processu temporis alios conventus acquisivit, nempe conventum ad S. Antonii Patavini de Verona, a fundamentis exstructum; ad S. Mariae Angelorum de Adria, quondam Patrum Conventualium; ad S. Mariae item Angelorum prope Mantuam, olim Patrum Praedicatorum; ad S. Iacobi Maioris prope Montemsilicis in dioecesi Patavina, olim Canonicorum S. Georgii de Alega; ad S. P. N. Francisci de Rubino in Istria, a fundamentis extructum, et ad S. Bernardini de Collealto in Cenetensi dioec., olim Patrum Conventualium: et praeterea hospitium ad S. Petri de Alcantara apud Montembellum in dioec. Vicetina, et tria hospitia in extremis Dalmatiae oris, nempe ad S. Spiritus de Catharo, ad S. Antonii de Perasto et ad S. Antonii de Castronovo, ex quibus duo priora iampridem pro missionariis in Albania degentibus constructa, nonnisi post an. 1689 nostrae provinciae definitive adiudicata fuere. His autem, labente saeculo XVII, addita etiam fuerunt octo hospitia in peninsula Peloponnesiaca et in insulis Ioniis sita, nempe hospitia Arcadiae, Argos, Corcyrae, Monembasiae *(Malvasia)*, Naupliae Romaniae, Novarini Novi, Tenos *(Tine)* et Zacynthi, ex quibus an. 1709 nova Custodia Peloponnesiaca erecta fuit, a nostra provincia prorsus divisa. Verum cum ob Turcarum invasionem an. 1715 eadem Custodia penitus eversa fuisset, provinciae nostrae iterum adiudicata fuerunt hospitia ad S. Antonii de Zacyntho et ad S. Iustinae de Corcyra, quibus anno 1739 additum fuit hospitium ad S. Nicolai de Perzaneo, in dioec. Catharensi, et anno 1792 hospitia ad S. Mariae Tenedii de Corcyra, et ad S. Mariae de Zacyntho, a Veneto gubernio nobis tradita.

Nonnullae tamen in praedictis conventibus et hospitiis immutationes saeculo XVIII evenerunt. Anno enim 1755 tres conventus in ditione Mantuana positi a nostra provincia segregati fuerunt et provinciae Mediolanensi uniti; anno vero 1769 Veneti senatus decreto suppressi fuere duo conventus, scilicet Coneglani et S. Petri Viminarii, et hospitium Montisbelli; et anno 1798 Galli, insulas Ionias invadentes, ex illis coenobiis fratres exturbarunt.

Ab anno igitur 1769 usque ad annum 1806 provincia Franciscana Reformata Veneta decem et octo constabat conventibus, addito etiam conventu ad S. P. N. Fran-

cisci de Plebesacci in dioec. Patavina, olim Patrum Conventualium, anno 1801 acquisito. At anno superius indicato, nempe 1806, ob Napoleonicum decretum plures ex his suppressi fuerunt, conventus scilicet Adriae, Asyli, Bassani, Castrifranci, Cittadellae, Deserti, Feltriae et Plebissacci; anno autem 1810, generali Ordinum extinctione indicta, provincia penitus eversa fuit, praeterquam in Istria et in Dalmatia.

Pace tandem ab omnium bonorum supremo Largitore Ecclesiae restituta, post varios eventus, etiam provincia nostra, cura potissimum et sollicitudine A. R. P. Ioannis Angeli a Locara, tum Delegati generalis et dein Definitoris generalis et Procuratoris Reformationis Familiae Cismontanae, anno 1829 titulo Custodiae restituta fuit, et anno 1844 Provinciae titulo denuo insignita. Anno autem 1867, quo ab Italico gubernio suppressionis decretum exiit, octo conventibus et quatuor hospitiis constabat, prout ex sequenti *Prospectu* patebit.

Ante erectionem custodiae.

1519(vel 1525) Conv. Arci, S. *Mariae Gratiarum*, dioec. Trident.; provinciae S. Vigilii adnexus. . . . . anno 1643
» » S. Petri Viminarii, S. *Petri ad Vinc.*, dioec. Patavinae; suppressus . . . . » 1769
» » Tridenti, S. *Bernardini*, dioec. Tridentinae; provinciae S. Vigilii adnexus. . . . . » 1643
1537 » Coneglani, S. *Mariae Gratiarum*, dioec. Cenetensis; suppressus . . . . » 1769
1540 » Asyli, S. *Hieronymi*, dioec. Tarvisinae; suppressus. » 1806
1560 » Feltriae, S. *Spiritus*, dioec. Feltriensis; suppressus. » 1806
» » Vallis Agni, S. *Mariae Gratiarum*, dioec. Vicetinae; suppressus . . . . » 1810
1584 » Tarvisii, S. *Mariae de Iesu*, dioec. Tarvisin.; suppressus . . . . » 1810
1594 » Deserti, *Ss. Stigmatum S. P. Francisci*, dioec. Torcellanae, nunc Venetiarum; suppressus . . . » 1806
restitutus . . . . » 1857

Post erectionem custodiae, quae fuit anno 1598.

1599 Conv. Burgi Ausugii, *S. P. Francisci*, dioec. Feltriensis, nunc Tridentinae; prov. S. Vigilii adnexus . . . . anno 1643
1601 » Cenetae, *S. P. Francisci*, dioec. Cenet.; suppressus. . . . » 1810
restitutus. » 1855
1602 » Venetiarum, S. *Bonaventurae*, dioec. Venetiarum; suppressus. » 1810
1603 » Bassani, S. *Bonaventurae*, dioec. Vicetinae; suppressus . . » 1806
1607 » Pergini, *S. P. Francisci*, dioec. Feltriensis, nunc Tridentinae; provinciae S. Vigilii adnexus . . . . » 1643
1615 » Castrifranci, *S. P. Francisci*, dioec. Tarv.; suppressus. . . » 1806
1624 » Mantuae, S. *Spiritus*, dioec. Mantuanae; provinciae Mediolanensi adnexus . . . . » 1753

1631 Conv. Roboreti, *S. Rochi*, dioec. Tridentinae; provinciae S. Vigilii adnexus . . . . anno 1643
1631 » Clesii *S. Antonii Patav.*, dioec. Tridentinae; provinciae S. Vigilii adnexus . . . . » 1643
1632 » Cittadellae, *S. P. Francisci*, dioec. Vicet.; nunc Patav.; suppressus . . . . » 1806
1633 » Patavii, *S. Caroli*, dioec. Patavinae; suppressus . . . . . » 1810
1637 » Riperii, *S. Ludovici Ep.*, dioec. Mantuanae; provinciae Mediolanensi adnexus . . . . » 1753

Post erectionem provinciae, quae fuit anno 1639.

1642 Conv. Vicetiae, *S. Ioseph*, dioec. Vicetinae; suppressus . . . . anno 1810
1647 » Veronae, *S. Antonii Pat.*, dioec. Veronen.; suppressus. . . » 1810
1661 » Adriae, *S. Mariae Angelor.*, dioec. Adrien.; suppressus . . » 1806
1673 » Mantuae, *S. Mariae Angelorum*, dioec. Mantuanae; prov. Mediolanensi adnexus . . . . » 1753
1677 » Montissilicis, *S. Iacobi Mai.*, dioec. Patav.; suppressus . . . » 1810
restitutus . . . . » 1850
1688 Hosp. Castrinovi, *S. Antonii Pat.*, dioec. Catharensis; nunquam suppressum.
1689 » Cathari, *S. Spiritus*, dioec. Catharensis; nunquam suppressum.
» » Perasti, *S. Antonii Pat.*, dioec. Catharensis; nunquam suppressum.
1691 » Naupliae Romaniae, *SS. Annuntiationis*, in Peloponneso; eversum . . . . » 1715
» » Monembasiae, *S. Mariae de Carmelo*, in Peloponneso; eversum. » 1715
» » Novarini Novi, *S. P. Francisci*, in Peloponneso; eversum. . » 1715
1695 » Zacynthi, *S. Antonii Pat.*, dioec. Zacynthiensis; suppressum. » 1798
1700 Conv. Rubini in Istria, *S. P. Francisci*, dioec. Parentinae; nunquam suppressus.
1700 Hosp. Arcadiae, in Peloponneso; eversum . . . . » 1715
1702 » Argos in Peloponneso; eversum . . . . » 1715
1703 » Tenos, *S. P. Francisci*, dioec. Tenensis; custodiae Constantinopolitanae adnexum . . . . » 1715
1703 Conv. Collisalti, *S. Bernardini*, dioec. Cenetensis; suppressus . . » 1810
1713 Hosp. Corcyrae, *S. Iustinae V. M.*, dioec. Corcyrensis; suppressum » 1798
1731 » Montisbelli, *S. Petri Alcant.*, dioec. Vicet.; suppressum . . » 1769
1739 » Perzanei, *S. Nicolai Ep.*, dioec. Catharensis; nunquam suppressum.
1792 » Corcyrae, *S. Mariae de Tenedio*, dioec. Corcyrensis; suppressum . . . . » 1798
» » Zacynthi, *S. Mariae*, dioec. Zacynthien.; suppressum . . . » 1798
1801 Conv. Plebissacci, *S. P. Francisci*, dioec. Patavinae; suppressus . » 1806

Post restaurationem provinciae, quae fuit anno 1829.

1829 Conv. Venetiarum, S. *Michäelis Arch. in insula*, dioec. Venetiarum.
1830 » Vicetiae, *Ss. Viti et Luciae Mm.*, dioec. Vicetinae.
» » Montissilicis, *S. Iacobi Mai.*, dioec. Patavinae.
1835 » Spilimbergii, *S. Pantaleonis M.*, dioec. Concordien.
1843 » Veronae, *SS. Redemptoris*, dioec. Veronensis.
1855 » Cenetae, *S. P. Francisci*, dioec. Cenetensis.
1857 » Deserti, *Ss. Stigmatum S. P. Francisci*, dioec. Venetiarum.

§ 2.

Conventuum et Hospitiorum anno 1867 existentium brevissimae notitiae historicae.

I.

Conventus Rubini (Rovigno) ad S. P. N. Francisci in Istria, in dioeces. Parentina.

Praedicatione P. Fortunati a Bassano pius populus Rubinensis an. 1700 hospitium ad S. Antonii Abbatis nostratibus incolendum tradidit; anno autem 1746 actualem conventum et ecclesiam a fundamentis exstruxit. Ecclesia consecrata fuit a R.mo D. D. Gaspare Negri, episcopo Parentino, die 13 aprilis an. 1750. Die VII octobris an. 1802 ignis conventum ex parte consumpsit; at civium largitate non multo post fuit restauratus. Anno autem 1879 aedes clericis recipiendis, et bibliotheca ac scholae a fundamentis exstructae fuerunt. In ecclesia veneratur corpus S. Candidae V. et M., cuius elogium legitur in Martyrologio romano sub die XX septembris.

II.

Conventus Venetiarum ad S. Michäel. Archang. in insula in patriarchatu Venetiarum.

Constans apud Scriptores Camuldulenses viget traditio, eorum Parentem S. Romualdum in ea palude Deo aliquandiu vacasse, quae media interiacet Murianum et Venetias, quaeque D. Michäelis Archangeli nomen nunc obtinet. Primae autem ecclesiae aedificatio saeculo X a plerisque assignatur. Incertum tamen est, num ipsa insula ab aliquo monacho incoleretur ante an. 1212, quo eadem Camaldulensium Ordo donatus fuit. Antiqua porro ecclesia solemniter consecrata fuit an. 1221 a card. Hugolino, primo nostri Seraphici Ordinis Protectore, qui dein supremum pontificatum assecutus, Gregorii IX nomen assumpsit. Renovata autem et ad elegantiorem formam initio sextidecimi saeculi redacta, consecrata iterum fuit an. 1535 a R.mo D. D. Vincentio de Massariis episc. Mellipolitanensi. Monasterium quoque diversis temporibus instäuratum et ampliatum, unum ex praecipuis totius Ordinis evasit. Inter plures, qui scientia et pietate ibidem floruerunt, recensendi sunt immortalis memoriae Gre-

gorius XVI, antea Maurus Cappellari [1], et eruditissimus card. Placidus Zurla, qui ambo inibi habitu religioso sumpto, Lectoris et Abbatis munere functi sunt. Anno 1810 PP. Camaldulensibus hinc exturbatis, monasterium variis usibus inservivit usque ad an. 1829, quo provinciae nostrae traditum fuit.

III.

Conventus Vicetiae ad SS. MM. Luciae et Viti, in prov. et dioec. Vicetina.

Antiquior ecclesiae S. Luciae memoria saeculo XIV occurrit, quo sub die 27 martii an. 1314 supplicatio cuiusdam Silvestri Camaldulensis ad eam erigendam Altegrado de Cattaneis episc. Vicetino porrecta fuit (Ann. Camald. vol. V, pag. 295). Anno autem 1465, vicino coenobio S. Viti iam unita, fuit reparata (ibid. vol. VII, pag. 274). Postmodum vero, scil. anno 1509, « eversum fuit bellorum impetu coenobium S. Viti, ecclesia pariter solo fere aequata, ita ut Monachi ex suburbano S. Viti ad alterum suburbanum, sed civitati proximiorem locum S. Luciae recipere se coacti fuerint, cuius etiam postremi loci ecclesia hoc anno (1546) consecratio-

---

[1] Cum P. Commissarius provincialis litteras gratulatorias ob eius exaltationem ad supremum pontificatum ei misisset, sequentem responsionis epistolam hucusque ineditam accepit:

Dilecto Filio religioso viro Angelo a Locara, Ministro provinciali Minorum S. Francisci Reformatorum ad Coenobium S. Michäelis in Insula Muriani. Venetias.

GREGORIUS PP. XVI.

Dilecte Fili religiose vir salutem et apostolicam benedictionem. — Litteras accepimus, quas nomine etiam universae religiosae Familiae institutum S. Francisci tecum istic profitentis ad Nos dedisti, luculentis vestrae in Nos Sedemque Apostolicam devotionis et observantiae notis distinctas, summaeque testes laetitiae, qua ob Nostram ad supremum pontificatum elevationem animi vestri exultaverunt. Quod quidem officium, etsi ob causam quam indicabas retardatum, acceptum sane ac iucundissimum Nobis fuit, quandoquidem singulari prosequimur caritatis affectu te, dilecte Fili, aliosque tuos istos in Christo fratres, qui studiosam in Dei cultum animarumque salutem eo ipso in coenobio impenditis operam, in quo Nos olim Camaldulensium Ordini adscripti fuimus, multosque annos libentissime commorati. Commendant autem vestram in Nos pietatem fervidae illae ad Deum preces, quas a te ceterisque religiosis istis viris iugiter oblatas significabas pro infirmitate Nostra et pro Ecclesia universa Nostris curis divino inscrutabili iudicio commissa, optamusque vehementer, ut alacriori usque studio illas urgere nunquam praetermittatis. Nos invicem eidem misericordiarum Patri enixe supplicamus, ut vos augere dignetur maiori in dies caelestium charismatum ubertate. Atque horum auspicem apostolicam benedictionem tibi, dil. Fili, singulisque e religiosa ista domo fratribus effuso corde impertimur.

Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem die 1. Septembr. An. 1832. — Pont. Nostr. An. II.

GREGORIUS PP. XVI.

nis munere insignita fuit ab archiep. Antibarensi Ludovico Clericato, altare principe in honorem S. Viti dicato » (ibid. vol. VIII, p. 89). Anno autem 1608 « R.mus D. Dionysius Veron. abbas hoc D. D. Luciae et Vito sacrum a fundamentis erigendum illustrandumque curavit » (ex inscr. lapid.). Verum anno 1769, Monachis inde remotis, sacerdotibus saecularibus commissa fuit, et usque ad annum 1815 paroeciae usui inservivit. Tandem anno 1830 nostratibus concessa (qui antea ab anno 1642 usque ad annum generalis suppressionis 1810 alium prope urbem conventum sub titulo S. Iosephi incoluerant), ab iisdem ad meliorem formam fuit redacta; conventus vero eodem anno fere ex integro a fundamentis erectus fuit, qui an. 1857, novo clericorum professorio exstructo, amplior et salubrior evasit. In ecclesia publicae adorationi est exposita pulcherrima D. N. Iesu Christi crucifixi imago, quae olim in ecclesia S. Georgii de Alega prope Venetias asservabatur, quaeque, ut fert traditio, prodigiose an. 1716 inter flammas illaesa remansit.

IV.

Conventus Montissilicis (Monselice) ad S. Iacobi Maioris, in dioec. et prov. Patavina.

Antiquissima est huius conventus origo, exstructus enim fuit a Monachis Ordinis S. Benedicti, incerto quidem tempore, non tamen post decimum saeculum. Postmodum vero, nempe saltem ab anno 1170, Monialibus eiusdem Ordinis concessus fuit, quae ibidem usque ad annum 1420 commoratae sunt, quo Canonicis Regularibus Congregationis S. Georgii de Alega incolendus traditus fuit, eaque a Clemente IX an. 1668 suppressa, anno 1677 portio amplissimi monasterii cum ecclesia nostrae provinciae fuit concessa. Anno autem 1810 in generali suppressione comprehensus, quorumdam tamen fratrum sollicitudine ecclesia publico cultui semper fuit servata, et an. 1830 hospitium declaratum fuit. Pia tandem largitione Francisci IV Archiducis Austriae et Ducis Mutinensis, qui ex proprio asse conventum fratribus tradendum emit, et cura potissimum R. P. Aloysii a Lestano restauratus, an. 1840 canonice institutus fuit. Ecclesia consecrata fuit die 4 iulii an. 1332 a fr. Thoma Episcopo Ceminensi, et multis pretiosisque Sanctorum Reliquiis condecoratur, inter quas eminent corpus S. Felicis martyris, et digitus pollex S. Iacobi apostoli, eiusdem ecclesiae titularis.

V.

Conventus Spilimbergii ad S. Pantaleonis martyris, in prov. Foroiuliens. dioec. Concordiensis.

Quonam tempore aedificatus fuerit, nobis non constat; certum tamen est ipsum ad Moniales primum, deinde vero ad fratres Eremitanos S. Augustini pertinuisse. Nostratibus concessus fuit an. 1835.

VI.

Conventus Veronae ad SS. Redemptoris prope coemeterium, in prov. et dioec. Veronensi.

Cum civitas Veronensis coemeterium alicui religiosae Congregationi custodiendum tradere vellet, nostrates, qui ab anno 1647 ad annum 1810 conventum sub titulo S. Antonii Patavini in eadem urbe incoluerant, an. 1842 advocavit, iisque coemeterii ecclesiam sacris ritibus colendam, et adiacens hospitium inhabitandum adsignavit. Hospitium vero an. 1846 ampliari coepit, et ad formam conventus reduci. In ecclesia multae ac pretiosae Reliquiae asservantur.

VII.

Conventus Cenetae ad S. P. N. Francisci in prov. Tarvisina, dioec. Cenetensi.

Anno 1601 piorum fidelium oblationibus a fundamentis exstructus fuit conventus una cum ecclesia, quae an. 1607 solemni ritu fuit consecrata. Anno 1684 temporis iniuria ruinam minitans, conventus renovatus omnino fuit. Suppressus autem anno 1810, et ab eius possessore Marino Marini an. 1852 donatus Episcopo et Capitulo Cenetensi, ut denuo nostratibus concederetur, canonice apertus fuit die XIV octobris anno 1855.

VIII.

Conventus Deserti ad Ss. Stigmatum S. P. N. Francisci in insula prope Burianum, in prov. et patriarch. Venetiarum.

Anno 1220 seraphicus Pater Franciscus e Soria redux ad eam insulam prope Venetias appulit, quae nunc *Deserti* nomine nuncupatur, in eaque nonnullis diebus moratus est. Solitudinis amore et seraphici Patris exemplo quidam ferventes fratres excitati, inibi tuguriolum et sacellum maxima in paupertate construxerunt, in quo contemplationi vacarunt usque ad an. 1233, quo tempore tota insula a Iacobo Michieli patritio Veneto ipsis donata, conventum a fundamentis aedificarunt, qui post plures annos a PP. Conventualibus desertus, cura potissimum cuiusdam P. Nicolai Erizzo Veneti, Min. Obs., anno 1460 refectus et pristino splendori restitutus, ac nonnullis etiam indulgentiis a summis Pontificibus ditatus, a PP. Observantibus habitatus fuit usque ad an. 1594, quo Reformatis traditus fuit. Ecclesia consecrata fuit die prima martii, quo autem anno et a quo ignoratur [1]. Suppresso an. 1806, et an. 1856 ab Imperat. Francisco Iosepho I. provinciae nostrae restituto, cura et instantia P. Bernardini a Portu Romatino, nunc totius Ordinis Ministri generalis, et ex largitionibus fidelium restaurato, iterum canonice apertus fuit die XIII novembris an. 1864, et sequenti anno sacer recessus declaratus.

---

[1] Cfr. *Memorie storiche del convento e della chiesa di S. Francesco del Deserto, Venezia, 1865*, 8.°, quas occasione solemnis conventus instaurationis elucubravimus, ac in lucem edidimus.

IX.

Hospitium Cathari ad S. Spiritus in Dalmatia, in circulo et dioec. Cathar.

Hospitiolum quoddam in urbe Catharensi iam ab anno 1657 a P. Bonaventura a Palatiolo Missionum Albanensium fundatore aedificatum fuit, quod tamen triennio elapso, cum eo quod etiam nunc incolitur, commutatum fuit. Ecclesia postremis his temporibus renovata ac decorata fuit.

X.

Hospitium Perasti ad S. Antonii Patavini in Dalmatia, in circulo et dioec. Cathar.

Anno 1657 hospitium pro Missionariis Albanensibus Perasti aedificatum fuit, quod tamen iniurias belli passum, paucis a fundatione annis penitus corruit. Anno autem 1679 a nobili eiusdem loci familia Mazarovich iterum fuit aedificatum, et adhuc incolitur. Religiosi scholas elementares inibi ad postrema usque tempora tenuerunt.

XI.

Hospitium Castrinovi ad S. Antonii Patavini in Dalmatia, in circulo et dioec. Cathar.

A Veneta Republica an. 1687 arce Castrinovi occupata, statim senatus decrevit, ut illic ad incolarum utilitatem Fratrum Minorum Reformatorum hospitium erigeretur, quod sequenti anno aedificatum fuit nostratibusque concessum. In ecclesia corpus S. Iustae martyris veneratur.

XII.

Hospitium Perzanei ad S. Nicolai episc. in Dalmatia, in circulo et dioec. Cathar.

Pio fidelium desiderio annuentes, quorum oblationibus hospitium fuit aedificatum, nostrates an. 1739 Perzaneum se contulerunt, ubi ludimagistri munus ad haec usque tempora exercuerunt.

XIII.

Collegium Seraphicum Clampi.

Prout in Congregatione Capitulari diei 30 augusti an. 1880 sub praesidentia Reverendiss. P. Ministri Generalis decretum fuerat, Collegium Seraphicum apud aedem B. Mariae Virginis ad caelum assumptae, vulgo *della Pieve,* prope Clampum in provincia ac dioecesi Vicetina a fundamentis erectum fuit; et die octava augusti an. 1882, omnibus Definitorii Patribus adstantibus, a P. Ministro provinciali, sub invocatione S. Ludovici episcopi Tolosani, solemni ritu fuit benedictum.

§ 3.

Religiosi dignitate conspicui Reform. Provinciae Venetae.

EPISCOPI.

1. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Ludovicus Grigis, Patritius Venetus, Episcopus Caprularum (italice *Caorle*) an. 1601 renuntiatus. Obiit an. 1609, die 17 martii.

2. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Hyacinthus a Venetiis, Episcopus Mili in mari Aegeo, an. 1625 electus. Eius mortis dies ignoratur.

3. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Michäel Bernardus Michieli, Patritius Venetus, Episcopus item Milensis renuntiatus an. 1633. Fatis concessit an. 1642, die 22 septembris.

4. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Petrus Pisani, Patritius Venetus, Episcopus Scythiae et Hierapetrae in Creta. Decessit e vita an. 1653, die 16 maii.

5. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Benedictus Bragadenus, Patritius Venetus, ad Archiepiscopalem Sedem Corcyrensem evectus an. 1618. Viam universae carnis ingressus est an. 1658, die 30 novembris.

6. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Massaeus Vitali, Bergomensis, an. 1646 Episcopus Mantuanus renuntiatus. Sanctissime vitam finivit an. 1669, die 22 iunii.

7. Adm. Rev. P. Bernardus a Quinctiano, communiter Veronensis appellatus, per plures annos Missionarius in Albania, an. 1666 ob eius merita ad Sedem Pulatensem designatus fuit, cui tamen dignitati humiliter nuntium remisit. E vivis sublatus est an. 1692, die 2 aprilis.

8. Illustriss. ac Reverendiss. D. D. Eugenius Piloti a Bassano, Episcopus Portimensis *in partibus* an. 1739 electus, et paulo post Vicarius Apostolicus Provinciarum Xen-sì et Xan-sì in Sinensi Imperio renuntiatus, qui cum ad necem ab infidelibus quaereretur, aerumnis confectus, sanctitate ac meritis praeclarus, obdormivit in Domino an. 1756, die 30 decembris.

VICARII APOSTOLICI.

1. Reverendiss. P. Basilius a Glemona, Vicarius Apostolicus Provinciae Xen-sì in Imperio Sinensi. Doctrina et pietate insignis, ad Superos evolavit an. 1704, die 16 iulii.

2. Reverendiss. P. Ioannes Dominicus a Valle Agni, Vicarius Apostolicus Smyrnarum electus an. 1765. An. 1781 dignitate abdicata, ad suos reversus est, et Patavii mortem oppetiit aetate longaevus an. 1797, die 13 octobris.

MINISTER GENERALIS.

Reverendiss. P. Bernardinus a Portu Romatino, a s. m. Pii IX, propositionibus inhaerentis R.mi Definitorii et Discretorii Generalis hac de causa Romam acciti, die 19 martii an. 1869 ad duodennium Minister Generalis institutus; et a Leone XIII fel. reg. die 11 aprilis an. 1881 ad nutum et beneplacitum S. Sedis in suo munere con-

firmatus. Quem Deus ad multos adhuc annos sospitem servet ad Ordinis decus et incrementum.

COMMISSARIUS GENERALIS NATIONALIS
per Germaniam Superiorem, regnaque circumiacentia.

Adm. Rev. P. Franciscus Maxentius ab Arco, an. 1640-1652.

PROCURATORES GENERALES.

Adm. Rev. P. Petrus ab Arco, an. 1600-1605 circiter.
Adm. Rev. P. Ioannes Angelus a Locara, an. 1839-1844.
Adm. Rev. P. Bernardinus a Portu Romatino, an. 1862-1869.

DEFINITORES GENERALES.

Adm. Rev. P. Franciscus a Bassano, Ex-Secretarius Generalis, electus in Capitulo Generali Romano an. 1688.

Adm. Rev. P. Iosephus a Venetiis, nominatus an. 1718 post mortem adm. Rev. P. Iacobi a Verucchio; et qua talis interfuit an. 1723 Capitulo Generali Romano; nescio cur in Chronologia generali omissus.

Adm. Rev. P. Franciscus Antonius a Feltria, electus in Capitulo Generali Valentino an. 1768.

Adm. Rev. P. Ioannes Angelus a Locara, cum ceteris Ordinis Praelatis an. 1839 a s. m. Gregorii XVI nominatus.

VICE-COMMISSARIUS GENERALIS.

Adm. Rev. P. Carolus a Guastalla [1].

CUSTODES TERRAE SANCTAE.

Adm. Rev. P. Franciscus a Catharo, an. 1633 electus, cui in itinere defuncto suffectus fuit P. Hyacinthus a Verona eiusdem provinciae, qui ultra triennium qua Praeses sacram Custodiam est moderatus.

Adm. Rev. P. Andreas ab Arco, an. 1636 electus, et an. 1639 in Generali Romano Capitulo ad alterum triennium confirmatus. De eo in Chronicis mss. Terrae Sanctae ita legitur: « Questo Padre si rese famoso per opere, che ancora durano, non ostante che fosse giovanissimo ancora, tanto che nel 1639 fu rieletto nel Capitolo Generale celebrato in Roma dal R.mo P. Giovanni Merinero Spagnuolo ».

---

[1] Ex actibus provinciae eruitur praeditum P. Carolum, iam a secretis Adm. R. P. Deodati a Roma, Vice-Commissarii Generalis pro Reformatis, huic defuncto, in eius locum a Clemente XI suffectum fuisse. Nulla tamen mentio de eo fit in *Chronologia generali Ordinis.*

COMMISSARII TERRAE SANCTAE.

Romae, Adm. Rev. P. Andreas ab Arco praefatus, post eius reditum e Palaestina.

Venetiis, Adm. Rev. P. Ioannes Baptista a Venetiis.
» » P. Angelicus a Venetiis.
» » P. Dominicus a Tarvisio.

Commissariatum Terrae Sanctae, saltem ab anno 1637 usque ad 1658, nostrae Reformatae Provinciae adnexum fuisse, omni prorsus dubitatione caret. Ex documentis enim authenticis, quae apud nos asservantur, eruitur anno praedicto 1637 sub die 15 aprilis, iussu S. Congregationis de Propaganda Fide, a R.mo P. Thoma a S. Agatha Procuratore Generali Reformatorum institutum fuisse Commissarium Generalem Terrae Sanctae pro Dominio Veneto nostrum P. Ioannem Baptistam a Venetiis. Huic R.mus P. Benignus a Genua, Minister Generalis, die 20 decembris an. 1640 sufficit P. Franciscum a Venetiis, olim Terrae Sanctae Missionarium, ac Tripolitanae Missionis instauratorem. Ob eius tamen renuntiationem praedictus P. Ioannes Baptista iterum electus fuit, qui saltem usque ad an. 1652 in eodem munere permansit. Siquidem in opere posthumo: *Tractatus de casibus reservatis* P. Iuniperi a Drepano, hoc anno ab eo Venetiis edito, sequentia verba leguntur: « Editionem procuravit R. P. Fr. Ioannes Baptista a Venetiis, Minorita Reformatus, S. C. de Prop. Fide Corresponsalis, ac Terrae Sanctae Commissarius Generalis ».

Ei successit P. Angelicus item a Venetiis, cui deinde suffectus est P. Dominicus a Tarvisio, qui cum esset Minister provincialis, an. 1658 in Capitulo Generali Toletano, totius provinciae nomine, Commissariatum renuntiavit.

In Catalogo Commissariorum, qui legitur in Appendice ad novissimam editionem Venetam op. *Elucidatio Terrae Sanctae* P. Francisci Quaresmii, praedictorum nomina desiderantur.

§ 4.

Series PP. Custodum et Ministrorum provincialium Reformatae Custodiae deinde Provinciae S. Antonii Venetiarum.

CUSTODES REGIMINIS.

1598. P. Pacificus a Venetiis, electus Coneglani.
1601. P. Evangelista a Venetiis, el. Feltriae.
1604. P. Maurus ab Asylo, el. Asyli.
1606. P. Iacobus a Feltria, el. Deserti.
1609. P. Evangelista a Venetiis, 2. *vice*, el. Tarvisii.
1612. P. Ioannes Maria a Venetiis, el. Bassani.
1615. P. Raphäel a Venetiis, el. Asyli.
1618. P. Laurentius a Cavasio, el. Deserti.
1621. P. Evangelista a Venetiis, 3. *vice*, el. Deserti.
1624. P. Maurus ab Asylo, 2. *vice*, el. Deserti.

1628. P. Raphäel a Venetiis, 2. *vice*, el. Venetiis, in Conv. S. Francisci de Vinea.
1630. P. Franciscus a Feltria, el. Venetiis.
1633. P. Franciscus Maxentius ab Arco, el. Feltriae.
1636. P. Athanasius a Schledo, el. Tarvisii.
1639. P. Hyacinthus a Verona, el. S. Petri Viminarii.

Sub hoc Custode omnes Custodiae Familiae Reformatae Cismontanae in Provincias erectae sunt.

MINISTRI PROVINCIALES.

1640. P. Hyacinthus a Verona.
1642. P. Franciscus a Feltria, el. Conegliani
1643. P. Dominicus a Tarvisio, el. Deserti.
1646. P. Athanasius a Schledo, el. Venetiis.
1649. P. Eusebius a Plubega, el. Valle Agni.
1652. P. Io. Franciscus a Venetiis, el. Bassani.
1655. P. Dominicus a Tarvisio, 2. *vice*, el. S. Petri Viminarii.
1659. P. Eusebius a Plubega, 2. *vice*, el. Vicètiae.
1662. P. Io. Franciscus a Venetiis, 2. *vice*, el. Tarvisii.
1665. P. Raphäel a S. Eulalia, el. Patavii.
1668. P. Aegidius a Zumelis (vulgo *Mel*), el. Coneglani.
1671. P. Placidus a Cittadella, el. Venetiis.
1674. P. Raphäel a S. Eulalia, 2. *vice*, el. Tarvisii.
1674. P. Franciscus ab Asylo, Vic. Prov., el. Patavii.
1677. P. Eugenius a Bergomo, el. Venetiis.
1680. P. Franciscus a Bassano, dein Secret. et Definit. Generalis, el. Bassani.
1683. P. Eugenius a Bassano, el. Venetiis.
1686. P. Maximus a Vallecamonica, el. Venetiis.
1689. P. Angelus a Castrofranco, el. Veronae
1692. P. Franciscus a Bassano, 2. *vice*, el. Deserti.
1695. P. Fortunatus a Verona, el. Deserti.
1698. P. Gregorius a Vallecamonica, el. Patavii.
1701. P. Ludovicus a Balneis, el. Patavii.
1704. P. Franciscus a Bassano, 3. *vice*, el. Venetiis.
1707. P. Antonius a Bassano, el. S. Petri Viminarii.
1710. P. Ludovicus a Balneis, 2. *vice*, el. Venetiis.
1713. P. Fortunatus a Bassano, el. Venetiis.
1717. P. Ioseph a Venetiis, dein Defin. Gener., el. Tarvisii.
1720. P. Gaspar a Turricellis, el. Venetiis.
1724. P. Antonius a Bassano, 2. *vice*, el. Deserti.
1727. P. Hieronymus a Feltria, el. Deserti.
1730. P. Hermenegildus a Vicetia, el. Tarvisii.
1733. P. Ludovicus Maria a Venetiis, el. Venetiis.
1736. P. Virginius a Bassano, el. Venetiis.
1739. P. Marianus ab Asylo, el. Tarvisii.
1742. P. Ioseph a Cittadella, el. Vicetiae.

1745. P. Ildephonsus a Braydo S. Viti (vulgo *Bressanvido*), el. Tarvisii.
1748. P. Marianus ab Asylo, *2. vice*, el. Patavii.
1751. P. Archangelus a Bassano, el. Venetiis.
1754. P. Valerianus ab Asylo, el. Venetiis.
1757. P. Gabriel-Angelus a Vicetia, el. Venetiis.
1760. P. Dominicus a Piscantina, el. Venetiis.
1763. P. Ildephonsus a Braydo S. Viti, *2. vice*, el. Venetiis.
1766. P. Franciscus Antonius a Feltria, dein Defin. Gener., el. Deserti.
1769. P. Antonius a Montesilicis, el. Venetiis.
1772. P. Ioannes Antonius a Tarvisio, el. Venetiis.
1775. P. Archangelus a Venetiis, el. Venetiis.
1778. P. Ludovicus a Vicetia, el. Venetiis.
1781. P. Franciscus Antonius a Valle Agni, el. Venetiis.
1784. P. Antonius a Montesilicis, *2. vice*, el. Venetiis.
1784. P. Petrus Marinus a Patavio, Vicarius Provincialis, el. Bassani.
1787. P. Io. Baptista a Rhodigio, el. Tarvisii.
1790. P. Antonius Maria a S. Nazario, el. Venetiis.
1793. P. Franciscus Antonius a Venetiis, el. Patavii.
1796. P. Iacobus a Vicetia, el. Venetiis.
1799. P. Franciscus a Monticulo Maiori, el. Venetiis.
1802. P. Franciscus Antonius a Venetiis, *2. vice*, el. Venetiis.
1805. P. Archangelus ab Ampitio, el. Patavii.
1808. P. Archangelus ab Ampitio, Vicarius Provincialis Custodiae, Mediolani electus.
Die 12 maii an. 1810 exiit Decretum suppressionis generalis.

DURANTE SUPPRESSIONE.

1810. P. Archangelus ab Ampitio.
1824. P. Franciscus Antonius a Venetiis, el. Romae.
1827. P. Ioannes Angelus a Locara, el. Romae.

POST PROVINCIAE INSTAURATIONEM.

COMMISSARII PROVINCIALES

A R.MO P. MINISTRO GENERALI INSTITUTI.

1829. P. Ioannes Angelus a Locarà, qui et Delegatus Generalis, et dein Definitor et Procurator Generalis.
1832. P. Ioannes Angelus a Locara, *secundo* confirm.
1836. P. Ioannes Angelus a Locara, *tertio* confirm.
1839. P. Mansuetus ab Arce Iani, cui paulo post electionem lethali morbo correpto suffectus fuit
1839. P. Ioseph a Rubino.
1842. P. Ioseph a Rubino, reelectus.
1845. P. Sigismundus a Venetiis, quo moderante, a R.mo P. Ministro Generali nostra Custodia in Provinciam erecta fuit die 12 augusti an. 1844.
Ab eo igitur incipit

SERIES MINISTRORUM PROVINCIALIUM
POST PROVINCIAE INSTAURATIONEM.

1844. P. Sigismundus a Venetiis.
1845. P. Ioannes Angelus a Locara, el. Venetiis.
1846. P. Benvenutus a Bergomo, Vicarius Provincialis, el. Venetiis.
1849. P. Amadeus a Montesilicis, el. Venetiis.
1852. P. Benvenutus a Bergomo, *2. vice*, el. Venetiis.
1855. P. Bernardinus a Portu Romatino, dein Procurator ac Minister Generalis, el. Venetiis.
1858. P. Bernardinus a Portu Romatino, reelectus Vicetiae.
1861. P. Benvenutus a Bergomo, *3. vice*, el. Venetiis.
1863. P. Franciscus Antonius a Vicetia, Vicarius Provincialis, el. Venetiis.
1864. P. Franciscus Antonius a Vicetia, el. Venetiis.
1872. P. Philippus Maria ab Asylo, el. Romae.
1874. P. Hermenegildus a Cugnolis, el. Romae.
1877. P. Antonius Maria a Vicetia, el. Venetiis.
1880. P. Antonius Maria a Vicetia, reel. Veronae.
1883. P. Thomas a Vallibus Dominorum, el. Venetiis.

§ 5.

Series Commissariorum Visitatorum nostrae Provinciae et Praesidum capitulorum.

1598. P. Iacobus a Gandino, prov. Ref. Mediol.
1599. Idem P. Iacobus.
1601. Idem P. Iacobus.
1606. P. Ioseph a Novara, prov. Mediol.
1609. P. Io. Baptista a Godano.
1612. P. Ioannes a Iove.
1615. P. Iacobus ab Alzano, prov. Brix.
1618. P. Bernardinus ab Urceis.
1621. P. Bonaventura a Placentia, prov. Bonon.
1624. P. Thomas a S. Agatha, prov. Marchiae.
1628. P. Laurentius ab Arimino, prov. Bonon.
1630. P. Hieronymus a Salodio, prov. Brix.
1633. P. Marcus a Scalvo, prov. Brix.
1636. P. Marcus Antonius Coronelus, prov. Brix.
1639. P. Bernardinus a Chiasteggio, prov. Mediolensis.

POST ERECTIONEM EIUSDEM CUSTODIAE IN PROVINCIAM.

1642. P. Onuphrius a Capurtio, prov. S. Nicolai Bariensis.
1645. P. Fidelis a Luca, prov. Bononiensis Lect. Theol.

1646. Reverendiss. P. Ioannes a Neapoli, Minister Generalis.
1649. P. Ioannes a Roma, Custos prov. Romanae.
1652. P. Paulus a Laude Pompeia, Pater prov. Seraphicae.
1655. P. Ascanius ab Assisio, Pater Ordinis et prov. Seraph.
1659. P. Angelus a Bergomo, Pater Ordinis et prov. Romanae.
1662. P. Hieronymus a S. Iustino, Cust. et Pater prov. Seraph.
1665. P. Barnabas a Venegon, prov. Mediolan. Custos.
1668. P. Stephanus a Perusio, prov. Seraphicae Lect. Theol.
1671. P. Paulus a Balneo, prov. Tusciae, Guard. S. Montis Alverniae.
1674. P. Cherubinus a Sambuca, Pater prov. Vallis Mazzariae.
1677. P. Berardus a Cotiliano, prov. Romanae Lect. Theol.
1680. P. Theodorus ab Asculo, Pater Ordinis et prov. Marchiae.
1683. P. Hieronymus a Casali, Pater prov. Mediol.
1686. P. Donatus a Mediolano, Defin. eiusdem prov.
1689. P. Salvator a Bergomo, Custos prov. Brix.
1692. P. Antonius Maria a Pergula, Pater prov. Marchiae.
1695. P. Io. Iacobus a Genua, eiusd. prov. Lect. Theol.
1798. P. Caecilius a Placentia, Def. prov. Bonon.
1701. P. Franciscus Maria a Francavilla, Defin. prov. S. Nicolai.
1704. P. Bonaventura a Venetiis, Pater prov. Brix.
1707. P. Clarus a Bergomo, Defin. Gen. et Pater prov. Brix.
1710. P. Benedictus a Bavari, prov. Genuensis Pater.
1713. P. Damasus a Submontio prov. Brix. Pater.
1717. P. Illuminatus a Valle Sôlis, nostrae provinciae Lect. Theol. ac deinde Poenitent. Lateran.
1720. P. Fulvius a Bononia, eiusdem prov. Defin.
1724. P. Clarus a Bergomo, *2. vice.*
1727. P. Camillus a Bergomo, Ex-Custos prov. Brix.
1730. P. Valentinus a Brixia, Custos prov. Seraphicae.
1733. P. Io. Baptista ab Anchiano, Ex-Custos prov. Thusciae.
1736. P. Sigismundus Skerpin, prov. Carniol. Pater.
1739. P. Conradus a Thesero, prov. S. Vigilii Pater.
1742. P. Bernardinus a Scapetiano, prov. Marchiae.
1745. P. Ioseph Maria a Gallipoli, prov. S. Nicolai Pater.
1748. P. Victorius a Cavalesio, Lect. Theol. prov. S. Vigilii.
1751. P. Caesarius a Bononia, Defin. Gener. et Pater prov. Bonon.
1754. P. Io. Antonius ab Ardeno, Pater prov. Romanae.
1757. P. Io. Dominicus a Bergomo, Ex-Def. prov. Brix.
1760. P. Ioannes Antonius a Nucibus, Def. prov. S. Nicolai.
1763. P. Thomas a Turre, Ex-Custos prov. Brix.
1766. P. Ioannes Baptista a Gerosa, Ex-Custos prov. Brix.
1769. P. Bonaventura a Loverio, Ex-Def. prov. Brix.
1772. P. Eusebius a Taliuno, Ex-Custos prov. Brix.
1775. P. Thomas a Turre, *2. vice.*
1778. P. Ioannes Augustinus a Balneolo, Ex-Min. prov. Brix.
1781. P. Daniel a Bergomo, prov. Brixiae Def.

1784. P. Candidus a Calusco, prov. Brixiae Ex-Def.
1787. P. Bernardinus ab Edulo, prov. Brixiae Ex-Def.
1790. P. Daniel a Bergomo, *2. vice.*
1793. P. Caietanus a Ponte S. Petri, Ex-Min. prov. Brixiae.
1796. P. Caietanus a Ponte S. Petri *2. vice.*
1799. P. Aloysius Maria a Vicetia, Lect. Theol. nostrae provinciae.
1802. P. Iosephus Antonius a Clesio, prov. S. Vigilii Ex-Def.
1805. P. Franciscus a Monticulo Maiori, Ex-Min. nostrae provinciae.
1845. P. Antonius a Pineto, Ex-Min. prov. S. Vigilii.
1849. P. Ioannes Pius a Moena, Ex-Def. Gener. et Ex-Min. prov. S Vigilii.
1852. P. Antonius a Pineto, *2. vice.*.
1855. P. Ioannes a Vobarno, Def. Gen. et Ex-Min. prov. Brixiae.
1858. R.mus P. Bernardinus a Montefranco, Min. Generalis.
1861. P. Fridericus a Sefrutio, Ex-Min. prov. S. Vigilii.
1864. P. Andreas a Laude Pompeia, Def. Gen. et Ex-Min. prov. Bononiensis.
1877. R.mus P. Bernardinus a Portu Romatino, Min. Generalis.
1880. Idem.
1883. Idem.

§ 6.

Series Commissariorum Visitatorum et Praesidum Capitulorum ex nostra Provincia assumptorum [1].

P. Adrianus ab Adria an. 1754 visitavit provinciam S. Vigilii, seu Tridentinam.
P. Aegydius a Zumellis, prov. Marchiae, Bononiae; an. 1666 Brixiae.
P. Alexander a Verona, an. 1768 prov. Brixiae.
P. Aloysius Maria a Vicetia, an. 1786, 1789 prov. Brixiae; an. 1799 nostram Venetam.
P. Amadeus a Montesilicis, an. 1855 prov. Brixiae.
P. Antonius a Feltria, an. 1696 prov. Brixiae.
P. Antonius Maria a Montesilicis, an. 1747 prov. Brixiae.
P. Bernardinus ab Arco, an. 1592 prov. S. Leopoldi.
R.mus P. Bernardinus a Portu Romatino, 1861 prov. S. Vigilii; 1867 Reform. Romanam; 1870 Romanam Observ. et Reform.; S. Crucis Saxoniae, Hollandiae; 1872 prov. S. Leopoldi, Belgii, S. Ludovici in Gallia Observ.; Angliae, Scotiae, Hiberniae; 1873 Thusciae Reform.; 1875 S. Bernardini in Gallia Ref.; 1876 provincias Dalmatas S. Hieronymi, Ss. Redemptoris et Ragusii; 1877 prov. Thusciae Obs. et Ref.; et Venetas Obs. et Ref.; 1878 S. Bernardini in Gallia Ref., et S. Leopoldi; 1879 S. Ludovici in Gallia Obs., Custodiam Lucensem, prov. Bononiae Obs. et Ref., et S. Vigilii; 1880 provincias Thusciae et Venetiarum Obs. et Ref.; 1882 utrasque provincias Galliae, Bosnensem, et Obs. Galitiae in Polonia Austriaca; an. 1883 Hispaniam et Lusitaniam, et utrasque provincias Venetas.

[1] Etsi maxima qua potui diligentia eos colligere conatus fuerim, minime tamen confido omnes a me repertos fuisse.

P. Bonaventura a Feltria visitavit prov. S. Vigilii.
P. Bonaventura a Possaneo, an. 1716 prov. S. Vigilii.
P. Carolus a Guastalla, an. 1713 prov. S. Bernardini Aprutiorum.
P. Daniel a Venetiis, an. 1765 prov. Marchiae.
P. Dionysius a Bergomo, ante an. 1688 prov. Bohemiae et Hungariae.
P. Dominicus a Tarvisio, prov. Pedemontanam, et prov. S. Leopoldi [1].
P. Eusebius a Verona, an. 1792 prov. Brixiae.
P. Fortunatus a Bassano, prov. Papiensem, Romanam, 1693 Brixiensem, 1704 Ianuensem.
P. Franciscus ab Ampitio, an. 1754 prov. S. Vigilii.
P. Franciscus a Bassano, Romanam, an. 1688 Thusciae.
P. Franciscus a Monticulo Maiori, an. 1805 nostram Venetam.
P. Franciscus a Schledo, an. 1651 prov. Brixiae.
P. Franciscus a Venetiis, an. 1795 prov. Brixiae.
P. Franciscus Antonius a Feltria, an. 1759, 1777 prov. Brixiae.
P. Franciscus Maxentius ab Arco, an. 1636 prov. Barensem, 1640, 1643, 1646, 1649 Austriacam, 1641, 1644, 1647, 1650 Bohemicam; 1641 prov. s. Leopoldi et Bavaricam. Praeterea, teste Greiderer [2], « in quibusdam Capitulis provinciae Hungariae S. Mariae praesidis officium sustinuit ».
P. Gabriel Angelus a Vicetia, an. 1754 prov. Obs. Venetam, an. 1756 Ref. Brixiae.
P. Gregorius a Vallecamonica, prov. Bononiensem, 1708 Brixiensem.
P. Hyacinthus a Verona, provincias S. Leopoldi et Bavaricam, socius P. Antonii a Galbiato Commissarii apostolici.
P. Illuminatus a Valle Solis, an. 1708 Bavaricam, Austriacam et Lucanam, 1714 Brixiensem, 1717 nostram Venetam.
P. Ioannes Baptista a Rhodigio, an. 1771, 1780 prov. Brixiae.
P. Ioannes Clemens a Rubino, an. 1783 prov. Brixiae.
P. Ioannes Franciscus a Brixia, an. 1608 prov. Brixiae.
P. Ioannes Maria a Venetiis, an. 1614 prov. Observ. Brixiae.
P. Ioannes Petrus a Venetiis, an. 1720 prov. Brixiae.
P. Ioseph a Cittadella, an. 1741 prov. Brixiae.
P. Ioseph a Venetiis, an. 1725 prov. Brixiae.
P. Ludovicus a Balneolis, prov. Thusciae.
P. Ludovicus Maria a Venetiis, an. 1757 prov. S. Vigilii.
P. Mansuetus a Feltria, prov. Mediolani.
P. Paulus a Venetiis, prov. Bavariae, Ianuae, et an. 1658 provinciam Poloniae maioris.
P. Petrus ab Arco, an. 1605 prov. Obs. Ragusii.
P. Petrus Marinus a Patavio, an. 1762, 1774 prov. Brixiae.
P. Pius ab Anoalio, an. 1693 Custodiam Constantinopolitanam.

---

[1] « Dominicus a Tarvisio, Prov. S. Antonii Ref. alumnus, Visitator Commissarius Provinciae Tyrolensis *(S. Leopoldi)*, eam in calcepodiis visitans, vir pietate extraordinaria praestans ». Greiderer *Germania Franciscana*, vol. II. pag. 17.

[2] *Loc. cit.*, vol. I. lib. II. n. 453.

P. Raphäel a S. Eulalia, an. 1675 prov. Brixiae.
P. Seraphinus a Coneglano, an. 1659 prov. Brixiae.
P. Valerianus ab Asylo, an. 1753 prov. Brixiae.
P. Virginius a Bassano, an. 1725 prov. S. Vigilii.

§ 7.

Series Religiosorum, qui singulari pietatis fama in Reformata Provincia Veneta floruerunt.

1. P. Bartholomaeus a Brendulis in agro Vicetino, Brendulinus idcirco communiter appellatus, qui unus fuit ex primis ac ferventioribus, qui S. Petri de Alcantara vestigia prementes, in provincia Veneta Seraphici Ordinis Reformationem promoverunt. Is gravitate morum, virtutibus ac scientia praeclarus, primus Custos vocalis Reformatorum huius provinciae fuit, expositionem quoque Regulae ad mentem Seraphici Institutoris edidit, ac plenus meritis piissime obdormivit in Domino circa an. 1550.

2. P. Pacificus a Venetiis, qui Reformationem in nostra provincia verbis, scriptis atque exemplo enixe promovens, in ea primus Custos regiminis fuit electus, cuius etiam mortem, quae ei contigit Coneglani die 20 Octobris an. 1608, Deus, ut fertur, miraculis illustravit.

3. P. Antonius a Montefalcone, humilitate ac poenitentia insignis, qui ad superos evolavit Asyli die 2 Maii an. 1625.

4. P. Franciscus Giroldus a Bassano, quem coaevi prudentem, vitae integerrimae, ac omnibus numeris absolutum commendant. Optime ipse meruit de Reformatione in Custodia Brixiensi stabilienda, in qua an. 1601 Custos etiam electus, huiusmodi munus per triennium cum laude exercuit. Tempus eius mortis ignoratur.

5. P. Paulus a Glemona, e familia Böetia, in theologicis disciplinis et in sacrorum Canonum lectione apprime versatus, concionator quoque ferventissimus et seraphicae paupertatis amantissimus, quam etiam scriptis propugnavit, tertio Discretus Custodialis renuntiatus, in osculo Domini sancte decessit e vita Venetiis die 30 Octobris anno 1626.

6. P. Ioannes Franciscus a Brixia, monasticae disciplinae strenuus assertor, qui a P. Ministro Generali Custos Reformationis Brixiensis anno 1607 institutus, eam per annum cum dimidio laudabiliter moderatus est; ac postea munere sponte resignato, ei successor datus fuit an. 1608 in capitulo Custodiali, cui ipse praefuit. Viam universae carnis ingressus est die 25 Iulii an. 1627, in Conventu S. Petri Viminarii.

7. P. Eugenius a Verona, qui sanctitate et spiritu prophetico clarus, ex hac vita migravit Bassani die 15 Augusti an. 1630.

8. P. Bernardinus a Tridento, qui una cum P. Macario a Venetiis Roboretum missus, ut epidemico morbo infectis inserviret, ibidem martyr caritatis occubuit die 18 Decembris anno 1630.

9. P. Paulus a Verona, pietate et humilitate insignis, qui a Turcis captivus factus et Iuliam Caesaream, vulgo *Algeri*, traductus, ibidem in servitute vitam mortalem cum immortali commutavit die 25 Februarii an. 1631.

10. P. Mauritius a Venetiis, qui ob multos labores in Missione Albanensi exantlatos, incurabilem morbum contraxit, et sancto fine occubuit Tarvisii die 14 Februarii an. 1639.

11. P. Ambrosius a Venetiis, oratione ac poenitentiae operibus admirandus, qui ad caelestia regna migravit Venetiis die 27 Decembris an. 1639.

12. P. Benedictus a Bassano, qui zelo animarum accensus, postquam Damasci, Alexandriae et Aleppi praelati munus laudabiliter obivisset, et Commissarius totius Palaestinae fuisset renuntiatus, a piratis deprehensus et in servitutem redactus, plurimis aerumnis confectus, in captivitate apud insulam Cypri ex hac vita migravit die 14 Ianuarii an. 1640.

13. P. Evangelista a Venetiis, qui apud Albanenses Evangelii praedicandi causa se conferens, a Turcis in tenebricosum carcerem trusus, inedia ac squalore multa passus, tandem a vinculis solutus, paulo post, cum Cathari commoraretur, aeternam coronam a Domino meruit obtinere die 2 Februarii an. 1640.

14. P. Franciscus a Montefalcone, qui zelo, prudentia, carnis maceratione et assidua rerum caelestium contemplatione ceterisque virtutibus valde emicans, praefecturam Missionis in Vallibus Lucernae ex obedientia sumere coactus, assiduis fractus laboribus, animam magno affectu Domino commendans, ibidem sancto fine quievit die 20 Ianuarii an. 1641.

15. P. Paulus a Valle Telina, qui oratione et humilitate praeclarus, in Domino obdormivit Feltriae die 3 Augusti an. 1644.

16. P. Paulus a Mantua. Hic venerabilis Pater, nostrae provinciae gloriosus Protomartyr, ortum habuit Mantuae ex familia illustri, quae Veglia nuncupatur, anno 1611. Adolescens Congregationem Ambrosianorum ingressus, ita in studio sanctae perfectionis non minus quam in poësi, musice, philosophia ac theologia profecit, ut vigesimum septimum aetatis annum nondum attingens, ad prioratum meruerit elevari. Verum, meliora aemulans charismata, et desiderio martyrii flagrans, de Instituto Minoritico capessendo cogitare coepit, donec, voluntatem divinam edoctus, apud nostrates in Conventu Asyli habitum S. P. Francisci induit die 12 Ianuarii an. 1637. Concionator deinde ac Lector institutus, hebraicam linguam brevissimo temporis spatio ita didicit, ut Venetiis e publico suggestu hebraico idiomate Iudaeorum incredulitatem potuerit arguere. Zelo autem animarum excitatus, et de martyrio, quod eum manebat, a B. Ioanna Maria Bonomo, Ord. S. Benedicti Moniali, certior factus, ad Missiones Albaniae a Superioribus missus est, ubi per quadriennium, nullo labore deterritus, ad vitia exstirpanda et ad christianas virtutes excolendas strenue insudavit. Iram propterea pessimorum hominum in se provocans, ab ipsis in via barbare trucidatur una cum socio P. Salvatore ab Ophyda, die 9 Decembris an. 1644. Servi sui sanctitatem Deus, ut traditum fuit, miraculis comprobavit; et eius occisores miserrime perierunt.

17. P. Benignus Brixiensis, qui zelo paupertatis et salutis animarum ac spiritu etiam prophetico valde emicuit. Obiit in navi prope insulam Cretam, cum munus confessarii militum Venetorum exerceret in bello Cretensi, die 17 Novembris anno 1645.

18. P. Cherubinus a Valle Vaunia, vulgo *Valle di Bono*, Prasii in Valle Vaunia in ditione Tridentina, e familia Camusia die 9 Iulii an. 1606 natus, habitum religiosum apud nostrates an. 1626 die 10 Iunii in Conventu S. Petri Viminarii assumpsit. Tyrocinio laudabiliter expleto, et studiorum curriculo emenso, cum P. Ioanne Mario

Scribonio, praefecto Missionis Albaniae electo, P. Bonaventura a Palatiolo, ac decem aliis confratribus ad novam in Albania fundandam Missionem destinatus fuit. Verum cum illas regiones ingredi prohiberentur, ceteris ad propria reversis, noster P. Cherubinus cum praedicto P. Bonaventura, omnibus spretis periculis, occulte Albaniam penetravit, ubi per aliquot menses, summa omnium rerum penuria, in quodam montis antro vitam prope eremiticam duxit. Cum autem verbum Dei illis gentibus disseminare coepisset, mirum est, quot turbas ad se attraxerit, praesertim quia signis aliquando Deus eius sermonem confirmare visus fuit; hinc plures potuit deinceps Missiones instituere, pluraque hospitia aedificare. Praefectus deinde Missionum tum Albaniae tum Serviae in locum eiusdem P. Bonaventurae suffectus, Romam ad negotia Missionis agenda petiit; at cum ad Missionem vix reversus fuisset, laboribus fractus, Cathari, in extremis Dalmatiae oris, quo valetudinis causa se receperat, ad caelestem patriam vocatus fuit die 19 Novembris an. 1648.

19. Fr. Augustinus a Monticulo Maiori clericus, cui morienti B. Virgo apparuit. Obiit Patavii die 14 Septembris an. 1649.

20. P. Angelus a Ceneta, e familia Bertoia, qui oratione extatica, patientia ac signis fuit illustris. Terrenam vitam cum aeterna commutavit Cenetae die 16 Iulii an. 1650.

21. Fr. Ioannes a Fonte laicus, spiritus fervore admirabilis, qui sancte decessit e vita Bassani die 12 Augusti an. 1650.

22. P. Lucas a Venetiis, qui regulari disciplina, ferventissima oratione et prodigiis excellens, migravit ad Dominum Cittadellae die 3 Martii an. 1651.

23. P. Franciscus a Venetiis, qui Missionarius aliquando in Palaestina, cum pro negotiis Terrae Sanctae Oenipontum ad Archiducem Tyroleos missus fuisset, in mari a piratis interceptus et Tripolim captivus abductus, ibidem Missionem iamdiu extinctam instauravit. In provinciam dein reversus, ac iterato Definitor electus, pie decessit Tarvisii die 18 Septembris an. 1651.

24. P. Thomas a Feltria, ex honesta familia Todeschi genitus, provinciam nostram doctrina ac pietate illustravit. Siquidem Lectoris Theologi per plures annos munia fungens, omnium animos in sui admirationem non minus propter eruditionem, quam propter vitae probitatem convertit. Vicetiae in Conventu S. Iosephi animam acturus, Deiparae visitatione, ut pie traditur, recreatus, laetabundus abiit in caelum die 10 Aprilis an. 1652. Cuius corpus quintodecimo post eius mortem anno adhuc integrum fuit repertum.

25. P. Franciscus a Mondondone, in agro Papiensi, ex nobili familia de Conteneis ortus, seraphicae Reformationi in provincia S. Didaci in Insubria nomen dedit. Albaniam aliquandiu Missionarius Apostolicus peragravit; sed ex adversa valetudine redire coactus, nostrae Venetae provinciae se aggregavit. In via perfectionis nemini secundus, spiritu prophetico et gratia sanitatum illustratus etiam apparuit. Ut omnibus ad salutem prodesset, quaedam etiam edidit opuscula. Tandem sanctitatis fama clarus, decessit e vita in conventu Veronae an. 1653 die 5 Iulii.

26. P. Clemens a Brixina, nostrae provinciae Martyr gloriosissimus, qui Missionarius Apostolicus electus ac ad valles Lucernae missus, ibidem quamplures Valdenses ad viam veritatis convertit, et tandem pro Christi fide et Ecclesiae Romanae iuribus tuendis, una cum Fr. Didaco a Valderio ac puero Iacobo Bima, inclyto martyrio coronatus est in Missione S. Secundi die 14 Maii an. 1655.

27. P. Athanasius a Schledo, doctrina et pietate pollens, quo B. Ioanna Maria Bonomo spiritus moderatore usa fuit, quique Provinciam etiam per sexennium, prius qua Custos, dein qua Minister, laudabiliter rexit. Pie in Domino obdormivit Patavii die 5 Octobris an. 1655.

28. P. Benedictus a Solico, Missionarius ferventissimus, qui post multos exantlatos labores, vincula etiam persecutionesque toleratas in Missionibus Albanensibus, dum ad easdem redire meditabatur, Romae, contagioso morbo contracto, a Domino mercedem aeternam accepit die 18 Augusti an. 1656.

29. P. Felix Polonus, qui humilitatis causa ad nos veniens, poenitentia ceterisque virtutibus insignis evasit. E vivis sublatus fuit Vicetiae die 12 Septembris an. 1656.

30. P. Iosephus a Leonissa, orationis dono illustris, cui scribenti B. Ioanna Maria Bonomo, cuius spiritum probaverat, dum adhuc viveret, saepe apparuit doctrinamque declaravit. Obiit Patavii die 27 Augusti an. 1658.

31. P. Dominicus a Tarvisio, qui Missionarius aliquando in Palestina et in Aegypto, et iterato Minister provincialis, regularis disciplinae studio, silentio, ceterisque virtutibus emicuit. Cum e Capitolo Generali in Hispania celebrato ad suos rediret, medio itinere mortali morbo correptus, prope Robledilium oppidum in Hispania occubuit die 27 Septembris an. 1658.

32. P. Macarius a Venetiis, qui in maxima paupertate et humilitate viam perfectionis aggressus, ad animarum salutem procurandam strenue operam dedit. Carolo Emmanueli Madrutio Episc. ac Principi Tridentino acceptissimus, eius confessiones excipiebat. A daemonibus, quibus maxime erat terribilis, saepe cruciatus, dolores patienter tolerabat, tantaque modestia et caritate excelluit, ut passim sanctus Pater appellaretur. In osculo Domini obiit Tridenti die 27 Martii an. 1659.

33. P. Angelus a Thesino, qui pietate ac spiritus fervore insignis sancto fine quievit Feltriae die 11 Maii an. 1664.

34. P. Valerius a Venetiis, qui humilitate ac devotione admirabilis evasit, et in Domino obdormivit Patavii die 25 Martii an. 1665.

35. P. Bernardinus a Feltria, qui zelo animarum ardentissimus, in vallibus Lucernae diu in haereticis convertendis operam navavit, ac demum ad suos reversus, Venetiis ad superos evolavit die 9 Iulii an. 1666.

36. P. Ioannes Chrysostomus a Venetiis, qui summis virtutibus emicans, prophetico etiam spiritu aliisque charismatibus a Domino fuit illustratus. Pretiosa eius mors contigit Tarvisii die 20 Ianuarii an. 1667.

37. P. Ioannes Antonius a Venetiis, e patritia Grimanorum familia ortus, qui spretis saeculi oblectamentis, Ordinem Seraphicum in provincia nostra est ingressus, in quo omnium virtutum specimen evasit, ac plenus meritis ad astra migravit Venetiis die 18 Aprilis an. 1668.

38. Fr. Desiderius ab Asylo, qui socius aliquando Venerab. P. Bartholomaei a Saluthio fuit, et humilitate ac oratione ferventissima praeclarus, aetate longaevus obdormivit in Domino Patavii die 11 Iulii an. 1668.

39. R.mus D. D. Massaeus Vitali a Bergomo, Mantuae Episcopus, qui pastorali vigilantia et omnium virtutum exercitio praestantissimus, signis etiam post mortem, ut fertur, meruit a Domino illustrari. Fatis concessit Mantuae die 20 Iunii an. 1669.

40. P. Nicolaus ab Andegavo, de Payi cognominatus, e Gallia oriundus, ubi apud Patres Observantes seraphicum induerat habitum, devotionis gratia Ierosolymam

loca sancta visitaturus perrexit. E peregrinatione redux, inter Reformatos in nostra provincia Veneta cooptari petiit et obtinuit, in qua magistri novitiorum munus per plures annos in exemplum obiens, sanctitatis fama ac prophetiae dono illustris, magno omnium moerore decessit Bassani die 2 Augusti an. 1669.

41. P. Franciscus Maxentius ab Arco, vir in theologicis et canonicis disciplinis versatissimus, per duodecim annos aestimatissimus Commissarius Nationalis Germaniae Superioris, Rector nostrae Venetae tunc temporis Custodiae, Minister quoque provinciae Austriacae, Croaticae ac Tridentinae, in cuius erectione ipse praecipuus promotor fuit, ac Ferdinandi III Caesaris Consiliarius intimus, ei ac aliis principibus acceptus, qui in tot negotiis obeundis ita humiliter de se sentiebat, ut sacras infulas non semel oblatas constanter recusaverit, quique demum ut verae caritatis, simplicitatis, propriae abiectionis, orationis, aliarumque virtutum indefessus cultor, Tridenti in pace quievit die 13 Ianuarii an. 1670.

42. Fr. Iuniperus a Vallecamonica laicus, qui oratione extatica, poenitentiae operibus et divinis charismatibus admodum insignis, sanctissime decessit e vita Venetiis die 16 Novembris an. 1672.

43. P. Andreas ab Arco, e familia Zanoni, nostrae provinciae alumnus, vir fuit omni commendatione dignus. Qui aliquando Aegyptiaca in Missione praefecti vices functus, et per sexennium, ab anno scil. 1636 ad an. 1642, Terrae Sanctae Custos, licet admodum iuvenis, « in recuperandis Sanctuariis a Graecis schismaticis usurpatis valde desudavit, et heroica constantia Constantinopoli plura sustinuit ». Ita de eo scribitur in *Continuat. Orbis Seraph.* vol. V, pag. 458. In Curia Romana quoque pro Terra Sancta Commissariatum egit. Post erectionem novae provinciae Tridentinae, quae anno 1643 evenit, in ea moram fixit, ipsamque iterato qua Minister rexit. Visitator etiam fuit provinciae Austriacae. Tandem, pietate conspicuus, dono etiam lacrymarum exornatus, diebus meritisque plenus, sarcinam mortalitatis deposuit an. 1674, die 13 Ianuarii in Conventu Burgensi, in valle Ausugana.

44. P. Carolus a Canèa, magnae simplicitatis ac devotionis vir, qui sancte occubuit Tarvisii die 28 Martii an. 1674.

45. P. Iosephus a Somadina, qui spreto canonicatu, in seraphica Reformatorum familia paupertatem ceterasque virtutes enixe coluit, et sancto fine quievit Patavii die 23 Septembris an. 1674.

46. Fr. Marcus a Lupatoto laicus, qui in humilitate et oratione vitam transegit, quam cum aeterna commutavit Veronae die 26 Ianuarii an. 1675.

47. Fr. Franciscus a Brendulis laicus, summa puritate et devotione exornatus, qui etiam a Domino caelestibus charismatibus fuit insignitus. Piissimam oppetiit mortem Venetiis die 28 Martii an. 1675.

48. P. Massaeus a Volta, qui zelo animarum exaestuans, ac Missionarius apostolicus in Barberiam missus, pro infidelium salute animam ponere haud dubitans, Tripoli, contagioso morbo contracto, in osculo Domini defunctus est die 5 Decembris an. 1675.

49. P. Bonaventura a Cruculis, omnigena virtute et spiritu prophetico admodum insignis, qui prodigiis in vita et post obitum a Domino fuit illustratus. Ad caelos evolavit Patavii die 23 Decembris an. 1675.

50. P. Leo a Cittadella, qui fuit ex ferventioribus, qui in Albanensi regno Evangelium praedicaverint, ubi etiam, ceteris Missionariis saevissima persecutione gras-

sante exturbatis, per aliquot annos vel in antris latitans, vel hinc inde profugus, solus permansit, quoadusque, sedato in Christi ministros furore, hospitia restaurare, Missionemque ad pristinum statum revocare potuit, dignus propterea qui eiusdem Missionis secundus fundator haberetur. Tandem postquam per plures annos fructus uberes in dominico agro retulisset, refertus meritis laboribusque fractus, ad suam provinciam reversus, summa austeritate vixit usque ad an. 1678, in quo e vivis sublatus fuit die 10 Februarii in Conventu suae patriae.

51. P. Petrus a Fullina, oratione et spiritu prophetico clarus, qui obiit in Conventu S. Petri Viminarii die 10 Februarii an. 1678.

52. Fr. Bartholomaeus a Longa Vicetina, Tertii Ordinis alumnus, qui anteactae vitae sordes rigida poenitentia expians, post multas peregrinationes devotionis gratia susceptas, variaque vitae discrimina, in quibus mira eius humilitas et patientia eluxit, Romae extremo morbo correptus, magna sanctitatis fama decessit e vita an. 1678.

53. P. Carolus a Thesino, humilitatis et orationis cultor eximius, qui pie occubuit Venetiis die 10 Maii an. 1679.

54. P. Prudentius a Venetiis, mirae devotionis ac simplicitatis vir, qui irasci visus est nunquam; ad singulas enim iniurias vel verba aspera subridere solebat. Praestantissimae fuit obedientiae, ac pietatis erga Deiparam et Iesum Crucifixum, cuius imaginem fere semper, et in lectulo praesertim, super pectus gerebat. Consummatus in brevi explevit tempora multa; obiit namque die secunda Maii an. 1682 in Conventu Tarvisii, ridens et linteolum ventilans his verbis: Ad paradisum, ad paradisum. Nulli moerorem ingessit, sed invidiam.

55. Fr. Blasius a Paësio laicus, humilitate, paupertate et obedientia insignis, qui in osculo Domini vitam finivit Tarvisii die 10 Augusti an. 1682.

56. P. Hyacinthus a Verona, qui zelo monasticae disciplinae ac pristini fervoris instaurandi accensus, ipsam disciplinam in Provincia nostra, cuius primus Minister fuit, et in Bavarica late promovit; et oratione, poenitentia atque humilitate clarus, plenus diebus ac meritis ad caelestia migravit Patavii die 13 Decembris an. 1683.

57. P. Basilius a Feltria, qui spiritu evangelico et doctrina exornatus, Smyrnis in Asia Minori occubuit di 23 Maii an. 1684, ad cuius funus magnus populi concursus factus fuit.

58. P. Cyprianus ab Arthèno, sacerdos summae simplicitatis ac puritatis, qui in Domino obdormivit Bassani die 21 Ianuarii an. 1686.

59. P. Iosephus a Verona, spiritu humilitatis et orationis exornatus, mira etiam vitae austeritate emicuit, qui dum in Missione S. Secundi in vallibus Lucernae Missionarii munus strenue fungeretur, die 20 Novembris an. 1686 spiritum Deo reddidit, magnam post se sanctitatis opinionem relinquens.

60. P. Eugenius a Verona, singulari pietatis, orationis ac mansuetudinis spiritu excellens, ob cuius fidem multa prodigia patrata fuisse memoriae proditum est. Hanc vitam cum caelesti commutavit Patavii die 27 Septembris an. 1690.

61. P. Archangelus a Venetiis, qui per triennium in Missione Tripolitana inserviens, specialia omnium virtutum specimina exhibuit, praesertim vero caritatis erga miseros peste infectos, quo in munere piissime ad Dominum migravit die 25 Martii an. 1691. Eius corpus post quindecim fere annos defossum, flexibile adhuc et incorruptum fuit repertum.

62. P. Bernardus a Quinctiano prope Veronam, Veronensis propterea communi-

ter appellatus, in morali theologia versatissimus fuit, et zelo animarum accensus, apud Albanenses ab anno 1636 usque ad annum 1649 moratus est, quo tempore multa passus et ad necem quandoque quaesitus, nunquam a divini verbi praedicatione removeri potuit. Ob ipsius praeclara merita ad Pulatensem Episcopatum a S. Congregatione an. 1666 evectus fuit, quam tamen dignitatem humiliter constanterque recusavit. Tandem, omnibus acceptus, in pace spiritum Deo reddidit Venetiis die secunda Aprilis an. 1692.

63. P. Michael-Angelus a Venetiis, qui inexplebili salutis animarum studio accensus in Peloponnesum traiiciens, plures Graecos ad Ecclesiae Romanae sinum reduxit, et consummatus in brevi, pretiosam mortem oppetiit Naupliae Romaniae in Hospitio SS. Annuntiatae die 20 Maii an. 1694.

64. P. Berardus ab Erbiptio, qui doctrina, sagacitate et ardentissimo animarum zelo insignis, primus totius Peloponnesiacae Missionis Commissarius electus, multos schismaticos ad unitatem Ecclesiae Catholicae convertit, et laboribus fractus, magna sanctitatis opinione animam Deo reddidit Novarini Novi in Hospitio S. P. Francisci die 16 Iulii an. 1694.

65. P. Basilius a Glemona, Vicarius Apostolicus provinciae Xen-si in Imperio Sinensi ab Innocentio XII institutus, qui ibidem per vigintiquatuor annos tum verbi Dei praedicatione, tum etiam multis scriptis ita insudavit, ut plura infidelium millia ad Evangelii cognitionem perduxerit, et in sanctitatis odore decesserit die 16 Iulii an. 1704.

66. P. Eugenius a Bassano, qui vitam integerrimam duxit, et pie obiit Patavii die 25 Octobris an. 1714.

67. P. Iosephus a Patavio, paupertatis, austeritatis, orationis et charitatis erga pauperes cultor eximius, qui sancte occubuit Patavii die 23 Ianuarii an. 1715.

68. P. Stanislaus Polonus, religiosus magnae perfectionis, cuius mors contigit Venetiis die 24 Augusti an. 1715.

69. P. Hermenegildus a Palatiolo, qui in apostolicis laboribus indefessus, per plures annos in Missionibus Vallis Lucernae saluti animarum vacavit, praefecti Apostolici munere etiam decoratus. Tandem meritis cumulatus, in osculo Domini ibidem obdormivit die 29 Septembris an. 1715.

70. P. Archangelus a Thine, qui dum Missionarii munere in Peloponneso fungeretur, Nauplia Romaniae a Turcis armata manu occupata, in captivitatem redactus, in odium christiani nominis iussu ferocissimi ducis Hoggia capite obtruncatus fuit die 20 Iulii an. 1716.

71. P. Illuminatus a Valle Solis, sub ditione Tridentina, Lector Theologus primo ac Concionator, Lector insuper S. Scripturae in Cenetensi Cathedrali institutus, ac deinde a Hieronymo Cornelio Venetae classis in expugnatione quorundam Albaniae oppidorum Praefecto Confessarius adscitus, et deinceps in bello Peloponnesiaco contra Turcas supremus Cappellanus navalis renuntiatus; Commissarius etiam provincialis pro Hospitiis in Peloponneso a nostra provincia recenter e fundamentis excitatis electus; in tot tantisque negotiis ita semper se gessit, ut omnium animos in se converterit et magnum nomen sibi comparaverit. E Peloponneso redux, Palaestinam Missionarius visitavit, et ad provinciam reversus, praedicationi verbi Dei strenue incubuit usque ad annum 1705, quo Romam petiit, Poenitentiarii Lateranensis pro natione Germanica munus obiturus. A Superioribus Ordinis praeterea Commissarius

Generalis institutus, provincias Bavaricam, Austriacam, Lucanam, Brixiensem et nostram Venetam visitavit. Tandem Venetias se recepit, ibique in pace quievit an. 1718, die 3 Februarii.

72. P. Angelus a Castrofranco, Missionarius Apostolicus in Aegypto, qui in urbe Cairi epidemico morbo correptus, pie obdormivit in Domino die 20 Martii an. 1726, cuius sanctitas miraculis etiam post mortem comprobata dicitur.

73. P. Ioannes a Bassano, e familia Marinali, plures libros chorales mirabili artificio ac diligentia conscripsit, inter quos excellunt, qui choro PP. Benedictinorum insignis Monasterii S. Iustinae Patavii inserviebant. Praeterea per viginti tres annos in Missione Peloponnesiaca qua Missionarius zelo ac pietate praeclarus, moratus est, et quaedam opuscula inedita reliquit. Cum fama sanctitatis obiit Patavii die 23 Aprilis an. 1728.

74. P. Iustus a Patavio, senior, qui in Aegypto Superiori per decem annos ardentissimo animarum zelo et magno earumdem lucro, apostolico ministerio navans, et ab omnibus ob suas virtutes, imprimisque ob ferventissimum erga Deiparam amorem, veluti sanctus habitus, tandem in odore sanctitatis ad caelestia migravit Girgio die 18 Februarii an. 1735.

75. P. Stephanus a Laureia, vulgo *Loreggia*, in agro Patavino, ex stirpe Bosolina ortus, postquam in studiis valde profecisset, grammaticam ex obedientia in Custodia Peloponnesiaca, in qua Missionarius et etiam Commissarius provincialis quandoque fuit, per plures annos magno discipulorum profectu tradidit. Custodia eversa, ad suos se recepit: nec bonum provinciae, sive divini verbi praedicatione, sive scriptis ac exemplo, promovere destitit ad mortem usque, quae ei contigit Vicetiae die quinta Aprilis an. 1742.

76. Fr. Franciscus a Campolongo, laicus magnae sanctimoniae, qui pie decessit e vita Mantuae die 14 Octobris an. 1746.

77. R.mus D. D. Eugenius Piloti a Bassano, Episcopus Portimensis et Vicarius Apostolicus provinciarum Xen-si et Xan-sì in Sinensi Imperio, qui Evangelium per viginti ac sex annos apud efferatas gentes disseminavit, ac tandem post diutinos carceres, ludibria ac pericula ad necem quaesitus, magna sanctitatis fama obdormivit in Domino die 30 Decembris an. 1756.

78. P. Petrus Franciscus a Venetiis, patritia Donatorum familia natus, qui postquam egregia munera pro Veneta Republica explesset, mundi honoribus valedicens, seraphicam Regulam professus, ferventi pietate ad extremam usque senectam Domino inservivit, et magna sanctitatis fama decessit Venetiis die 7 Novembris an. 1759.

79. P. Angelicus a Vicetia, in Ordine Chronologus et Lector Theologus insignis, per plures annos Theologiae cathedram rexit, multiplici eruditione ac scriptis Ordinem illustravit, ac tandem in summa senecta piissime decessit in Conventu suae patriae die 10 Augusti an. 1760.

80. Fr. Viator a Zaudo, laicus magnae sanctitatis, qui pie mortem oppetiit Bassani die 20 Martii an. 1761.

81. P. Marcus Antonius a Venetiis, ex nobili familia Vignola progenitus et Fabritius nuncupatus, cum publicis muneribus esset addictus, et qua Secretarius Venetae Legationis Constantinopolim missus fuisset, in imminenti vitae discrimine, dum Venetias remearet, emisso voto, trigesimo aetatis suae anno, omnibus spretis

oblectamentis, mundo nuntium remisit, et apud nostrates seraphicae Reformationi nomen dedit die decimaseptima Maii anni 1727, in eaque pietati ac doctrinae ita incubuit, ut omnibus admirationi esset, et perfectus religiosus evaderet. Sanctae Viae Crucis Exercitium etiam scriptis strenue promovit. In pace tandem quievit die 24 Decembris anni 1764, in Conventu Patavino.

82. P. Gabriel Angelus a Vicetia, qui postquam plura, praecipuaque Ordinis officia, Ministri quoque Provincialis, multa prudentia ac zelo obiisset, et exemplo ac scriptis religiosam disciplinam promovisset, piissime spiritum Deo reddidit Veronae die 8 Decembris 1776.

83. P. Ildephonsus a Braydo S. Viti, vulgo *Bressanvido*, prope Vicetiam, scientia, pietate ac morum gravitate omnibus carus fuit. In seraphica Reformatione, cui a die 14 Ianuarii an. 1714 nomen dederat, Lector Theologus, et, omnibus plaudentibus, iterato ad provinciae regimen electus, Cardinali Carolo Rezzonico, Episcopo Patavino, et dein Romano Pontifici sub nomine Clementis XIII, acceptissimus, Concionator quoque ferventissimus in primariis Italiae urbibus, et ad Catechismum in publico foro Patavino, ut de more tunc erat, oratoria methodo exponendum per plures annos deputatus, inter praecipuos nostrae provinciae alumnos recenseri meruit. Qui post longam et virtutibus cumulatam vitam, sanctitatis fama etiam clarus, in Domino obdormivit Patavii anno 1777, die 25 Octobris.

84. P. Ioannes Franciscus a Verona, qui zelo animarum exaestuans, vestigia S. Leonardi a Portu Mauritio tunc adhuc viventis premere sibi proposuit, et primus in provincia nostra Missiones iuxta methodum eiusdem Sancti instituit, cui multi confratres in socios se adiunxerunt, inter quos speciali mentione recensendi sunt PP. Benignus a Montesilicis, Bonaventura a Fanna, Iulius a Vicetia, Laurentius a Castrorupto, Antonius a Bassano, Eusebius a Verona et Angelus M.ª a Ceneta. Pie decessit Veronae, die 31 Martii an. 1779.

85. P. Adrianus ab Adria, qui nostrae provinciae scientia, exemplo et regularis disciplinae studio, honori atque adiumento fuit, et in osculo Domini mortuus est Vicetiae die 26 Martii an. 1781.

86. P. Eusebius a Cittadella, Lector Theologus primum apud nostrates, et dein in Seminario archiepiscopali Corcyrensi, et tandem Missionarius Apostolicus a S. Congregatione de Propaganda fide in Imperium Sinense missus. Ut illuc facilius perveniret, artem medicam didicit, et qua medicus Imperatoris Aulam Pekini adiit, quo officio per plures annos functus est. At persecutione in Christianos excitata, aerumnis confectus, victor ad astra volavit die 12 Aprilis anno 1785.

87. P. Iulius a Vicetia, qui animarum zelo et pietate fervens, apostolicae praedicationi sedulam operam navavit, et magna sanctitatis fama ex hac vita migravit Vicetiae die 29 Aprilis an. 1788.

88. P. Pius a Vicetia, magnae sanctimoniae sacerdos, qui et spiritu prophetico a Domino insignitus apparuit. Obiit Patavii die 22 Aprilis an. 1790.

89. P. Franciscus Antonius ab Adria, summae pietatis et devotionis vir, ad cuius funus magnus populi concursus factus fuit. Defunctus est Venetiis die 15 Decembris an. 1797.

90. P. Iustus a Patavio, vir fuit omnigena eruditione celebris, Theologus eximius, ac in linguis graeca et gallica apprime versatus, quique plures Italiae urbes orator peragravit. Pietate quoque spectatissimus, in osculo Domini obdormivit Venetiis die 16 Ianuarii an. 1798.

91. P. Eusebius a Verona, omnium virtutum cultor eximius, cuiusque in daemones potentiam Deum signis comprobasse traditum fuit. Piissime mortuus est Veronae die 28 Ianuarii an. 1799.

92. P. Petrus Iosephus a Pluvenis, qui mira pietate et caritate pollens, devotissime obiit Venetiis die 30 Iunii an. 1804.

93. P. Michael ab Ampitio, qui in omni virtutum genere, praesertim vero in poenitentiae operibus excelluit, ac pie occubuit Bassani die 13 Ianuarii an. 1812.

94. P. Iosephus Antonius a Mantua, divini verbi praeco ferventissimus, ac S. Leonardi imitator egregius, qui summa caritate praeditus multis fuit causa salutis. In osculo Domini defunctus est Patavii die 4 Martii an. 1814.

95. P. Ioannes Dominicus a Rubino, admirabilis poenitentiae et patientiae vir, qui et caelestibus charismatibus insignitus fuit. Eius mors prodigiis, ut fertur, illustrata contigit Rubini die 10 Iulii an. 1819.

96. Fr. Antonius a Valeriana laicus, qui in summa humilitate ac patientia vitam ducens, in morte meruit a Domino prodigiis illustrari. Occubuit Pesileae in Tarvisina dioecesi die 13 Septembris an. 1820.

97. P. Franciscus a Castro Gomberto, qui post provinciae eversionem in patria vitam cum Christo absconditam duxit, ibique magna sanctitatis fama decessit die 21 Maii an. 1822.

98. P. Antoninus a Patavio, qui, Ordine dissociato, pristinam vitam, quoad licuit, sequutus, caritate inflammatus, omnibus acceptissimus, in odore sanctitatis animam Deo reddidit Vicetiae die 15 Octobris an. 1827. Ut fidelium devotioni fieret satis, eius corpus fuit expositum in templo S. Mariae de Monte Berico, cui post claustri eversionem se addixerat.

99. P. Ioannes Iosephus a Ceneta, oratione et assidua in Deum contemplatione admirandus, qui et finem vitae suae praescire meruit. Mortuus est Vicetiae die 11 Aprilis an. 1839.

100. P. Raphael a Venetiis, sacerdos mirae innocentiae et effusissimae in pauperes caritatis, qui pie decessit e vita Venetiis die 24 Martii an. 1841.

101. P. Aloysius a Presina, omnigena virtute, sed potissimum caritate, patientia et assidua oratione insignis, diu in Hospitio Corcyrensi grammaticam tradidit, ac zelo animarum inflammatus magno fervore verbum Dei per plures annos disseminavit. Cum fama sanctitatis obiit Rubini die 26 Iulii an. 1841.

102. P. Basilius a Recubario, eximiae virtutis et ferventissimae caritatis vir, qui in publico xenodochio Vicetino per decem et octo annos diu noctuque indefesse misericordiae opera exercens, ibidem sancto fine occubuit die 26 Ianuarii an. 1842.

103. P. Bernardus a Cavasio, humilitate, devotione et caritate praeclarus, ad cuius funus magnus populi concursus factus fuit. Piissime ex hac vita migravit Montesilicis die 21 Decembris an. 1842.

104. P. Ioseph a Rubino, theologus eximius et concionator haud vulgaris, qui regularem disciplinam verbo et exemplo mirifice promovit, quique primus Guardianus Conv. S. Michaëlis in insula Venetiarum post provinciae restaurationem, et dein Commissarius provincialis iterato electus, quarto sui ministerii anno vix incepto, laboribus fractus, moerentibus domesticis et extraneis, piissime in Domino obdormivit Venetiis die 11 Novembris an. 1843, laudatione funebri in Conventu suae patriae, praeter morem, parentatus.

105. P. Ioannes Angelus a Locara, praestantissimus vir, qui invicta animi fortitudine provinciam in regione Veneta restituit, coenobia excitavit, et postquam per ultra novennium eam gubernasset, ac Definitoris Generalis et Procuratoris Reformationis Cismontanae Familiae munere functus esset, piissime decessit Viceliae die 14 Decembris an. 1846, in cuius funere orationem habuit P. Bernardinus a Portu Romatino, hodiernus totius Seraphici Ordinis Generalis Minister.

106. Fr. Seraphinus ab Ateste laicus, innocentia morum et mortificationis spiritu spectabilis, qui ita obedientiam, quoad vixit, coluit, ut in ipsius virtute animam Deo reddere et petierit et meruerit. Pretiosa eius mors contigit Veronae die 29 Augusti an. 1853.

107. P. Cyprianus Maria a Sandrico, magnae perfectionis sacerdos, et spiritu poenitentiae atque caritatis excellens, qui piissime vitam terrenam cum immortali commutavit Veronae die 5 Iunii an. 1856.

108. P. Aloysius a Lestano, qui miro spiritus fervore ac orationis studio excelluit, regularem disciplinam impigre promovit, et animarum zelo inflammatus, multis extitit causa salutis. Mirandulae, in provincia Bononiensi, ubi, nostra nondum restituta, per decennium moram duxit, et Montesilicis ac Spilimbergii in nostra Veneta, coenobia excitavit. Tandem meritis cumulatus, plenusque dierum in osculo Domini obdormivit Venetiis die 7 Septembris an. 1867.

109. P. Natalis ab Arce Iani, qui vitam cum Christo absconditam ducens, consummatus in brevi, sancto fine quievit Venetiis die 4 Martii an. 1875.

110. P. Angelicus a Castro Brenzonio, qui morum innocentia et flagrantissima in Deum ac proximum caritate eximius, erga Deiparam Virginem mira devotione exaestuans, vere Deo et hominibus dilectus, die 23 Aprilis an. 1879 pie in Domino obdormivit Cathari in Dalmatia, ubi Delegati provincialis munere iamdiu fungebatur. Ad eius funus, oratione laudatoria decoratum, magnus civium concursus factus fuit, omnesque lacrymis, osculationibus et habitus recisione devotionem erga defunctum exprimebant.

111. Fr. Aegidius a Pruno, qui orationi semper intentus, per plures annos ianitoris munus exercens, eximia et vere singulari erga pauperes caritate pollebat. Diuturna infirmitate, acerbisque doloribus tamquam aurum in igne probatus, admirabili patientia excelluit; semper enim hilaris, gratias Deo agebat, et coronam B. Virginis prae manibus tenens, a sacri Rosarii recitatione nunquam cessabat. Aetate gravis, et meritis cumulatus, caelo maturus, hanc vitam cum immortali commutavit Rubini die 29 Septembris an. 1880.

§ 8.

Scriptores Provinciae.

Anno 1877 in lucem edidimus Opus, cui titulus: *Scriptores Ord. Minor. Strict. Observ. Reformatorum provinciae S. Antonii Venetiarum, Venetiis ex typ. Aemiliana* 8.° pag. 186. Quod quidem volumen approbando, R.mus P. Minister Generalis addebat: « Illud in exemplum proponimus, ut in qualibet Ordinis provincia sive Chronologus, sive alius ad huiusmodi studia magis idoneus, idem opus aggrediatur: hinc enim fiet, ut, quod in omnium votis iamdiu est, syllabus Scriptorum totius Ordinis aliquando in lucem proferri possit ».

Quid autem in causa fuerit, ut ad id operis nos impulerit, et quaenam sit totius operis ratio, satis liquet ex praefatione ipsi praemissa, et ex qua opportunum nobis videtur sequentia depromere.

« Pluribus abhinc annis multorum, sive ex nostratibus, sive etiam ex exteris eruditis viris, erat in votis, ut *Syllabus Scriptorum Seraphici Ordinis*, quem celeberrimus P. Lucas Waddingus omnium primus in lucem ediderat, et P. Ioannes Suaresius a S. Antonio satis copiosis auctum additionibus ad initium saeculi decimi octavi protraxerat, quemque P. Ioannes Hyacinthus Sbaralea, ex Min. Conventualium familia, utriusque aetate postremus, eruditis supplementis locupletaverat et animadversionibus ad severioris critices regulas exactis castigaverat, ad nostra usque tempora continuaretur. Verum, quominus hoc aggredi quis tentaret, multa et gravia prudentem deterrebant. Ceteris siquidem praetermissis, quisnam ignorat, quot quasque vicissitudines pleraeque Ordinis provinciae ab integro ferme saeculo subierint, et haedudum miserrime subeant, ita ut vix haec vel illa inter tot, quae olim in Ordine florebant, modo exstet, quae, si non extremum excidium, iacturam saltem conventuum, fratrumque dispersionem passa non sit? Monumentis itaque litterariis, quae fratres diuturno labore collegerant, in tanta omnium rerum perturbatione vel deperditis, vel diminutis, vel alio distractis, quis cordatus mirabitur, si nemo hucusque ad optatum opus perficiendum manum admovere ausus fuerit?

Haec vero difficultas cum neminem lateret, ad eam removendam viri praeclari multa excogitarunt. Nobis tamen optimum semper prae ceteris illorum visum fuit consilium, quibus in animo erat, ut in singulis Ordinis provinciis idonei viri deputarentur, qui monumenta litteraria ad eas quomodolibet spectantia sedulis curis colligerent, collectaque in vulgus ederent. Licet enim neque huiusmodi negotium difficultatibus careat, intra tamen illos fines coarctatum, multo expeditius absolutum iri nemo non videt. Erutis autem e tenebris quae hactenus sive ignorata, sive penitus obliterata fuerant, et suum unaquaque provincia tributum afferente, vix quidquam tandem desideraretur ad *Syllabum Scriptorum Ordinis* persequendum...

Rationem porro praedictam ad hoc Opusculum digerendum nos impulisse ultro fatemur. Nollemus tamen, ut quis de eo ex parvitate molis iudicium ferendum esse duceret; is enim in huiusmodi studiis ne novitium quidem se ostenderet, et in suo iudicio a veritate longe aberraret. Siquidem, aliorum auctoritati parum fidentes, singulos libros, immo et opellas impressas, ex quibus pleraeque vix hic aut illic in bibliothecarum angulis latescebant, nostris voluimus oculis perspicere, nulli per plures annos labori ac industriae parcendo. Praeterea quidquid de libris vulgatis, sive ephemerides sive bibliographi retulerant, reperire curavimus, ut suo loco fideliter citaremus... Verum ut et de methodo a nobis secuta aliquid dicamus, ordine chronologico auctores disponere praetulimus, siquidem hunc ordinem alio, nempe alphabetico, licet magis usitato, utiliorem pro historia, praesertim litteraria, censemus ». Ne tamen in hoc Commentariolo, in quo Scriptores provinciae silentio sane non sunt praetereundi, totum praedictum opus inseratur, quod nec moli huius opusculi congrueret, satius esse duximus Indicem omnium operum, tum editorum, tum etiam ineditorum [1], quae hucusque nobis innotuerunt, redigere, ad praefatum opus eos

[1] Nemo sit, qui nos, ex eo quod quaelibet opuscula, libellosque omnes, nisi qui forte nostram diligentiam fugerit, recensuimus, reprehensione dignos arbitretur. Etenim, ut praeclarissi-

remittentes, qui copiosiores de ipsis notitias cupiunt. Indicem autem per materias disposuimus, ordinem secuti, quem summus Annalista noster Lucas Waddingus in *Syllabo Scriptorum totius Ordinis* servavit, additis praeterea adnotationibus, ubi ad operum vel auctorum illustrationem utiles nobis visae fuerint.

SACRA SCRIPTURA.

Aloysius Maria a Vicetia, *Lezioni su Giuda Maccabeo.*

Angelus a Feltria, *Discorsi sopra il salmo cinquantesimo, Venezia,* 1669, 8. vol. 2.

» *Esposizione delle sette parole di Gesù sulla croce, Venezia,* 1673, 8.

» *Esposizione dei Salmi e dei Cantici del Breviario, Venezia,* 1686, 8.

» *Trattati sui Vangeli della Quaresima, Venezia,* 1687, 8.

Antonius a Bassano, *Dispositio chronologica Actuum Apostolorum.*

Augustinus a Vicetia, *Gerusalemme compianta nelle Lamentazioni di Geremia, Venezia,* 1705, 8.

Beatus a Valle Agni, *Lezioni sui capi 23-29 dell'Esodo.*

Bonaventura ab Asylo, *Parafrasi in ottava rima d'Isaia con annotazioni.*

Dionysius a Bergomo, *Notabilia in S. Scripturam.*

» *Expositio Epistolarum D. Pauli.*

» *Expositio Psalterii et Canticorum Ecclesiae.*

» *Summarium Librorum S. Scripturae.*

Franciscus a Monticulo Maiori, *Dissertationes scripturales.*

Ioannes Clemens a Venetiis, senior, *Ermeneutica ed Archeologia sacra, Treviso,* 1715, 4.

Seraphinus a Monte Maladio, *Parafrasi dei primi settanta Salmi.*

THEOLOGIA UNIVERSA.

Antonius Maria a Vicetia, *S. Bonaventurae Breviloquium, adiectis illustrationibus, tabulis et appendicibus, Venetiis,* 1874, vol. 2, 4; *Friburgi Brisgoviae,* 1881, 4 [1].

---

mus quidam ad eamdem obiectionem refellendam scite animadvertebat, « tenuis mole liber nonnunquam magni ponderis volumina rerum dignitate, aut praestanti argumenti tractandi ratione superat. Revera autem quoties vidimus sapientissimos doctissimosque viros ad ingentia opera conscribenda idoneos, rerum agendarum cura gravissimisque negotiis implicatos a stilo exercendo prohiberi, quin tamen subcisivis horis aliquod litterarum et sapientiae, parvo edito libello, specimen iidem non promererent? An propterea memoria illorum oblivione delenda erit, quod non ingens extiterit eorum volumen? An in tenebris latere eo nomine, quod non plura sed unum tantum opusculum typographico prelo commiserint, quum alioquin uberrimos sapientiae fructus sive docendo sive consultando et administrando quoque attulerint? Nonne ex huiusmodi tenuissimis interdum libris ingenium alicuius auctoris melius diiudicatur quam ex ponderosis voluminibus? Profecto si bibliothecae huiusmodi propositum sibi insuper habeant auctores et opera, quae latent, in lucem publicam proferre, nobis illi nugari videntur, qui claris scriptoribus tantum in iisdem locum dari velint, quorum alioquin nomen longe lateque est pervulgatum. Idem fere de iis, qui lucubrationes suas manu scriptas reliquerunt, dicendum, si aut opportunitate temporis caruerunt, aut sumptibus impares cum essent, prelo subiicere eas non licuit ». (Ungarelli, *Bibliotheca Scriptorum e Congr. Clerr. Regg. S. Pauli.* Romae, 1836, vol. I, pag. XII, *in Prooemio).*

[1] « Ratio totius operis, ita legitur in recensione quadam Germanica editionis Friburgensis, ex verbis ipsius Auctoris clarius patebit ». — Ad maiorem, sic ille, discipulorum profectum, experientia

Bonaventura a Feltria, *In 4 libros Sententiarum.*
Cosmas a Rubino, *Synopsis de theologicis disciplinis.*

---

teste, visum nobis fuit quamplurimum conferre, si obscura quaedam, vel nimium contracta, in quibus lector passim offendit, ab ipso Bonaventura illustrarentur, et copiosius exponerentur. Huic scopo eius doctrinam, per plures dispersam libros, suis locis vel transcripsimus, vel saltem fideliter citavimus, ut ad copiosissimum fontem suo quisque lubitu eam haurire valeret.

Utilissimum praeterea duximus, si iis quoque, qui vel acri ingenio minime praestant, vel etiam multis distracti curis, in libris sancti Doctoris sedulo ac serio evolvendis dare operam nequeunt, mirabilis ac prorsus singularis Breviloquii ordo ac nexus primo, ut ita dicam, intuitu pateret. Ad quod assequendum nihil magis prodesse arbitrati sumus, quam si in totidem Tabulas, non modo singulae partes, in quas integer liber dispescitur, immo etiam quodlibet caput distribueretur (Tabulae 89 numerantur); quod quidem quantum tyronibus ipsis contulerit, ut et ordinate et facilius doctrinam memoriae mandarent, mandatamque tenacius retinerent, nos ipsi experti sumus. Ad quas tamen Tabulas perficiendas, quo mentis conatu ac industria opus fuerit, nemini persuasum fore putamus, qui ad id operis animum non intenderit. Ad hoc summam brevissimam singulis capitibus praemisimus, ut theses in ipsis contentae distinctius discernerentur. Et demum, ne quid ad studiosorum utilitatem desideraretur, suis locis tum auctoritates Conciliorum et Romanorum Pontificum ad dogmata contra errores confirmanda retulimus, tum etiam quaestiones adiaphoras ad ipsa dogmata spectantes indicavimus » — (pag. X).

Ex his verbis luculenter eruitur, hoc opus non simplex Breviloquii commentarium esse habendum, sed medullam Bonaventurianam posse appellari; immo rectius integer cursus theologicus ad mentem Seraph. Doctoris, omnes enim theologicae quaestiones, suo quaeque loco, explicantur, ita ut vix ullam insolutam invenies. Quod quidem sententiam illam confirmat, quam Card. Alexander de Monte Alto in laudem S. Bonaventurae asserere non dubitavit: — « Unus ipse Sanctus, ob singularem doctrinam, ac sententiarum dignitatem, quibus pleni sunt eius libri, abunde sufficiet, ut ex eius lectione librorum in summum quisque theologum possit evadere » — (pag. XI). Et utinam aliquando, ut in votis erat S. P. Sixto V, ad debitum honorem Seraph. Doctor in scholis restitueretur! — « Ea enim, ut idem S. P. ait, divini ingenii sui monumenta posteris reliquit, quibus perdifficiles et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, vi et ordine, enucleate et dilucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores et profanae haereses profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium inflammantur » — (pag. IX).

Verum ut ad Breviloquium illustratum redeamus, superfluum non arbitramur in eius commendationem hic addere, ipsum primo Venetiis an. 1874 prodiisse, statimque tanto favore fuisse exceptum non modo in Italia, sed etiam in nostra Germania et in aliis regionibus, ut, exemplaribus deficientibus, altera de novo fuerit paranda. Porro quantum haec Herderiana editio prae Veneta praestet, evidenter colligitur ex praefatione secunda huic editioni praemissa ab eodem auctore. — « Quum, sic ille, nec ullum prostaret amplius venale exemplar, et altera a multis expeteretur editio, ad eam adornandam manum admovere non detrectavimus; nullique pepercimus curae, ut ipsa et locupletior evaderet, et usui scholae magis magisque accommodaretur. Hinc iterum ac tertio opera theologica S. Doctoris perlustravimus, ut novas ex iis illustrationes in priori editione vel omissas, vel tantum citatas, depromeremus, suis locis inserendas. Praeterea ex recentioribus pontificiis documentis ea, quae magis ad rem nobis videbantur, retulimus; et nonnullas quoque appendices vel elucidavimus, vel etiam ex integro adiecimus. Ad hoc, praeter indicem rerum, quem edito copiosiorem dabimus, duos alios ad maiorem studiosorum utilitatem addidimus, in quorum primo sacrae Scripturae, in altero operum S. Doctoris loca, ex quibus citationes depromuntur, fideliter indicantur » (pag. XII). — Si igitur prior editio ut opus in suo genere perfectissimum meruit laudari, eo magis procul dubio haec secunda amplissimis praeconi -

Dionysius a Bergomo, *Exercitia in universam theologiam, Patavii*, 1677; *Tarvisii*, 1690, 8 [1].
Ioannes Maria a Venetiis, *Super libros Sententiarum.*
Ludovicus a Balneolis, *Epitome in 4. libros Sententiarum.*
Placidus a Cittadella, *In 4 libros Sententiarum.*

THEOLOGIAE DOGMATICAE TRACTATUS SPECIALES.

Alexander a Verona, *Theses theologicae, Patavii*, 1762, 8 [2].
Aloysius Maria a Vicetia, *Dissertationes theologicae.*
Angelicus a Vicetia, *Sulle Indulgenze, Verona*, 1739, 8.
» *L'uomo addottrinato nei Sacramenti, Verona*, 1746-1760, vol. 5, 8.
» *Dei miracoli dei Santi, e della loro invocazione, Venezia*, 1748, 8.
Archangelus ab Ampitio, *Theses theol. de gratia et praedestinatione, Patavii*, 1792, 8 [3].

---

digna iudicabitur. Inspiciatur Index rerum (pagg. 692-708), et quisque mirabitur, quot quaestiones, sive theologicae, sive etiam philosophicae, in hoc volumine contineantur ac elucidentur. Neque ultimum huius operis meritum nobis videtur speciale auctoris studium, ut suo loco pontificia decreta et declarationes etiam novissimae Sacrarum Congregationum Romanarum insererentur, quibus evidentissime patet, Bonaventurae doctrinam apprime cum iis concordare. Sic non modo canones, verum etiam omnia capita Concilii Vaticani ita distributa congrue inveniuntur, ut Patres Concilii in eis conficiendis Bonaventurae libros ante oculos habuisse plerumque viderentur. Videatur ex. gr. ad pag. 563, ubi S. Doctor in enumerandis praerogativis Romani Pontificis, eundem omnino servat ordinem, quem in dogmatica Constitutione de Ecclesia Concilium Vaticanum tenuit, ita ut ipsa veluti amplior commentarius videatur doctrinae a Seraphico ibi summatim traditae ».

[1] « Opus doctissimum ac exoptatum » testatur P. Sanctes Sacensis, Min. Obs. S. O. Consultor in dioec. Patavina; et P. Fridericus Sticmelius, prov. Thuringiae Pater alterque revisor, testatur, se reperisse, « quod Auctor cunctas materias pulcherrimo ordine disponat, mira facilitate elucidet, nec minori subtilitate, in qua se Scoti Magistri Ordinis verum asseclam ostendit, resolvat ». Porro est « opus eruditum, in septem libros distributum; disserit enim de theologia quantum ad omnes eius causas, de Deo uno et trino, de Angelorum et creaturae materialis creatione, de statu primorum parentum, de incarnatione et Deipara immaculata, de restitutione hominis ad amissam perfectionem ». Ita Hurter H. S. I. *Nomenclator Litterarius Theologiae Catholicae, Oeniponte*, 1874, vol. II, pagg. 20-21.

[2] P. Alexander a Verona, antea Franciscus Maioli dictus, Commissarius Visitator provinciae Brixiensis et Lector Theologus eximius fuit. In Comitiis generalibus Ordinis Mantuae anno 1762 celebratis theologiam universam dogmaticam, ad quinquaginta et unam theses contractam, ita subtiliter elucidavit, et invicte contra omnes obiectiones defendit, ut Patres Capitulares ipsum totius Seraphici Ordinis, nedum provinciae nostrae, decus amplissimum proclamaverint. Theses praedictae sequenti titulo evulgatae fuerunt:

Theses Theologico-scholasticae, quas ad mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti, recurrentibus totius Ordinis Sancti Patris Francisci Generalibus Comitiis, sub gloriosissimis auspiciis Sanctae Virginis Matris Clarae, P. Fr. Alexander a Verona in Alma Divi Antonii Reformata Provincia Lector Theologus, publice propugnandas exponit. Patavii, MDCCLXII. Ex typographia Conzatti. 4.°

[3] Hae Theses quot excitaverint turbas, statim ac in lucem prodierunt, mei instituti non est referre. Hoc unum dicam, Auctorem veluti iansenianis figmentis imbutum, eorumdemque publi-

Basilius a Glemona, *De Confirmatione* (sinice).

» *Explicatio mysteriorum fidei Christianae* (sinice)[1].

Bernardus a Venetiis, *Storia dei Sacramenti, Verona*, 1754; *Brescia* 1758, vol. 3; *Capolago*, 1835, vol. 6[2].

Crescentius a Feltria, *De Religione et de locis theologicis.*

Dionysius a Bergomo, *De virtute heroica.*

Fidelis a Fanna, *S. Bonaventurae doctrina de Romani Pontificis primatu et infallibilitate, Taurini*, 1870, 8.

Franciscus a Catharo, *Opuscula theologica.*

Franciscus a Monticulo Maiori, *Dissertationes theologicae.*

Hieronymus a Venetiis, *De contradictionibus cum solutionibus ex Scoto.*

Ludovicus a Gavatio, *De praedestinatione et reprobatione, Venetiis*, 1607; *Veronae*, 1610, 4.

» *De statu reprobi peccatoris viatoris, Venetiis*, 1607; *Veronae*, 1610, 4.

» *De Civitate et Civibus Dei et Satanae, Venetiis*, 1612, 4.

Petrus Marinus a Patavio, *La Grazia, Venezia*, 1765, 4[3].

» *De salute infantium in utero decedentium*, sine nota temporis et loci, 12.

THEOLOGIA MORALIS.

Adrianus ab Adria, *Praelectiones theologiae moralis.*

Amadeus a Montesilicis, *Resolutiones casuum conscientiae.*

Bartholomaeus a Brendulis, *Resolutio casus conscientiae.*

Basilius a Glemona, *Directorium Confessariorum*[4].

Beatus a Valle Agni, *Titius defensus.*

---

cum assertorem, passim accusatum in ephemeridibus fuisse, ita ut in praecipuis Venetae Ditionis dioecesibus a munere concionandi et confessiones excipiendi fuerit interdictus. Attamen re Romam delata, accuratoque doctissimorum virorum examini subiecta, theses nulla censura dignae et ab omni erroris macula prorsus immunes declaratae fuerunt, auctoris fama in integrum restituta.

[1] Ita P. Petrus de la Pinuela in *Catalogo Missionariorum Sinensium, Mexici*, 1700, fol. V, cit. a P. Ioanne a S. Antonio in *Bibliotheca Franciscana*, vol. I. pag. 195.

[2] Est versio operis gallici P. D. Caroli Chardon, O. S. Benedicti, nova tamen methodo dispositi, ac eruditis adnotationibus illustrati. Verum animadvertendum est, historiam sacramenti Matrimonii non a P. Bernardo versam fuisse, sed ab eius confratre P. Petro Marino a Patavio, cui quidem per errorem a Vedova in op. *Biografia degli Scrittori Padovani*, pag. 637, totius operis translatio adscribitur.

[3] Est versio carmine soluto pöematis *La Grazia* Aloysii Racine, adiectis adnotationibus. De hac versione, quam Moschini in op. *Letter. Venez.* vol. I, pag. 62, *celeberrimam* appellare haud dubitavit, audiatur iudicium Examinatoris Ordinis: « Rem Theologo viro dignissimam fecisse arbitror, qui Etruscae linguae venustate, eximia quoque pöetices dulcedine, atque eruditione multiplici Rassinii argumentum felici eventu exornavit; faciet igitur catholico etiam praesule dignissimam, atque litterariae theologorum reipublicae pergratam, qui veritatis causam adsumens, facultatem elargietur, ut hocce praeclarum Opus prelo quantocius committatur ».

[4] Hoc testatur R.mus P. Eugenius Piloti, Vicarius Apostolicus in Imp. Sinensi.

Dionysius a Bergomo, *De malis linguis.*

» *Tractatus in theologiam moralem.*

Franciscus Antonius a Feltria, *Avvertimenti ad una sposa novella, Feltre,* 1778, 8.

Gabriel Angelus a Vicetia, *Istruzioni sull'usura, Venezia,* 1774, 8[1].

» *Praelectiones theologiae moralis.*

Gabriel Maria a Venetiis, *Compendium theologiae moralis.*

Germanicus a Cittadella, *Miscellanea ad theologiam moralem spectantia.*

Io. Baptista a Verona, *Risoluzioni di casi di coscienza, Verona,* 1775-1776, vol. 5, 12[2].

Io. Franciscus a Verona, *Sui censi personali,* sine nota temporis et loci, at videtur anno 1764.

Iustus a Patavio, iunior, *De peccatis, et in 1. praeceptum Decalogi.*

Ludovicus a Venetiis, *Summa resolutionum moralium.*

Michael-Angelus ab Asylo, *Quaestiones variae ad theologiam moralem spectantes.*

Petrus Marinus a Patavio, *Explanatio casuum reserv. in dioec. Vicetina, Vicetiae,* 1781, 4.

Reginaldus Maria a Venetiis, *Compendium universae moralis theologiae.*

Thomas a Feltria, *Responsiones ad dubia moralia*[3].

---

[1] P. Gabriel-Angelus *Sermones de usura* S. Bernardini Senensis italice transtulit, notisque in commodum praecipue mercatorum illustravit.

[2] Est versio operis gallice exarati a P. Gaspare Iuenin, Presb. Oratorii.

[3] Rogatus a Missionariis in Albania degentibus, solutiones quorumdam casuum exaravit, quas P. Antonius Maria de Turre, qui Annalium Ord. Min. supplementa P. Antonii a Melissano edidit, in *Continuat. Mss. Histor. Missionum P. de Gubernatis,* quae nunc ad Claras Aquas imprimitur, lib. IV, cap. VII, § 10 per integrum refert. Ita ibi inscribuntur: *Responsiones ad dubia, quae a Missionariis Apostolicis Albaniae resolvenda proposita fuere R. P. Thomae a Feltria, ex Veneta Strict. Observ. Provincia, Theologo eruditissimo, nec non in Iure Canonico maxime versato, supposita praeludialis narrationis veritate de illarum regionum et gentium statu, conditione, legibus et eorum consuetudinibus, ordine eodem quo proposita fuerunt, respondet die 17 Septembris an. 1640.*

In fine autem ita legitur: « Sic igitur in 63 casibus sentio, atque rogatus propria manu subscripsi, paratus semper meliori sententiae subscribere, ac proinde et supradictas *Responsiones* et omnem meum in theologicis rebus sensum subiicio humiliter Superiorum Ecclesiae, et S. R. Ecclesiae censurae et iurisdictioni ».

Eas excipiunt « Attestationes et confirmationes harum Resolutionum a pluribus Theologis factae, qui seipsos his propria manu subscripserunt.

« Ego frater Sanctorus de Melfi, Sac. Poenitentiariae Lateranensis Praeses, attente legi et consideravi supradictas Responsiones, easque ex puris Sac. Theologiae ac moralium Scriptorum fontibus collectas esse reperi, fideique catholicae, bonisque moribus conformes, ac ad occurrendum Epirotarum corruptelis satis utiles esse censeo; unde propria manu subscripsi die 3 Septembris 1641 ».

« Ego frater Ioseph de Roma, Prov. Rom. Ref. Custos, ac Sac. Theologiae Generalis Lector, idem censeo, ea praesertim animadversione, quod multa, maxime in rebus difficilioribus, sunt ante factum dissuadenda, quae post factum sunt toleranda, praecipue ubi aliud non occurrerit opportunius. Romae, in Conventu S. Francisci trans Tiberim, hac die 16 Septembris 1641 ».

« Ego D. Thomas Del Bene, Theatinus, idem sentio ».

« Convenio et ego D. Antonius Naldo, Theatinus, Ss. Canonum Professor, in antedictas Responsiones, quas communi iuri consonas esse censeo ».

THEOLOGIA CATECHETICA.

Angelicus a Vicetia, *Esposizione del Simbolo Atanasiano.*
Angelus a Mantua, *Istruzioni Domenicali.*
Antonius a Valle Agni, *Catechismi.*
Basilius a Glemona, *Cathechismus doctrinae christianae* (sinice) [1].
Bernardus a Quinctiano, *Dottrina cristiana* (epirotice), *Venetiis*, 1675 [2].
Bonaventura ab Angarano, *Istruzioni sul Decalogo e sul Simbolo Apostolico.*
Ildephonsus a Braydo S. Viti, vulgo *Bressanvido*, *Istruzioni sopra la dottrina cristiana*, *Milano* 1771, 4. vol. 3 [3].
Ioseph Antonius a Mantua, *Istruzioni Catechistiche.*
Sigismundus a Venetiis, iunior, *Catechismo universale*, *Venezia*, 1821-1831. 8. vol. centum.

THEOLOGIA POLEMICA SEU CONTROVERSIAE.

Angelicus a Vicetia, *L'arte magica dimostrata*, *Venezia*, 1751, 8.
Archangelus a Bassano, *Le proposizioni di Quesnello condannate da Clemente XI colla Bolla* Unigenitus.
Bernardus a Venetiis, *Aforismi di Platone contro gli Epicurei*, *Padova*, 1770, vol.5; *Finale*, 1777; *Venezia*, 1829, 12.
» *Gazzetta della nuova Abdera*, *Padova*, 1773-75, vol. 4; *Venezia*, 1828, 12.
Dionysius a Bergomo, *Contra haereses et haeresiarchas.*
Eusebius a Cittadella, *Contro lo scisma di Fozio.*

« Responsa superiora moralia R. P. Thomae Feltrensis, Ord. Min. Obs. Strict. Sac. Theol. Professoris, docte ac pie applicata, laudanda censeo. Andreas Victorellus S. Theol. Doctor ».

« Idem sentio ego in Collegio S. Isidori de Urbe die 29 Septembris 1641 fr. Lucas Waddingus humilis Guardianus ».

« Ita sentio ego fr. Ascanius de Assisio Strict. Obs. S. Francisci omnium Reformatorum in Cismontana Familia Procurator Generalis ».

Praeter has *Responsiones* alia opuscula theologica, tum speculativa, tum practica, conscripsisse, digna quae prelo commissa fuissent, idem Chronologus testatur in *Cronaca* etc. pag. 672.

[1] Ita P. De la Pinuela, l. c.

[2] Huius praestantissimi Missionarii praeclara gesta leguntur in superius citato opere *Contin. Histor. Mission. P. De Gubernatis*, lib. IV. cap. IV. § 6. n. 110.

[3] Hae *Instructiones* iterum Mediolani recusae fuerunt; pluries vero Bassani, et etiam alibi, ut Romae, Neapoli, Vercellis, Carmaniolae, Ianuae, et nuperrime iterum Neapoli. Gallice ab Abbate Petigny translatae fuerunt, et an. 1843 ac 1862 Lugduni, anno autem 1845 Bruxellae et an. 1853 Parisiis editae. Altera quoque gallica versio exstat D. I. Leonis Van den Broeck, Curati paroeciae Ivoluwe Saint-Pierre, edita in Belgio. Duas etiam versiones germanicas novimus, ex quibus prima a P. S. A. Belleroche Ord. S. Benedicti apud S. Stephanum concinnata, an. 1836 et 1844 Augustae Vindelicorum prodiit, adiecta praefatione, in laudem operis, Doct. Caroli Egger, Decani Capituli Augustani. Alteram vero germanicam versionem Doct. I. Zingler adornavit, quae item Augustae an. 1852 lucem aspexit.

Fidelis a Fanna, *Urgente escursione contro una mano di ausiliarii massonici, Venezia*, 1871, 8.

Petrus Marinus a Patavio, *La spiritualità ed immortalità dell' anima, Venezia*, 1764, vol. 3, 12 [1].

» *Contro l'Antifilosofo militare, Venezia*, 1780, 8.

» *Della Religione Cristiana, Vicenza*, 1790, 8 [2].

Sigismundus a Mantua, *Malizie degli Ebrei, Mantova*, 1610.

THEOLOGIA ASCETICA ET MYSTICA SEU LIBRI SPIRITUALES.

Adeodatus a Martinengo, *Il tesoro della virginità, Milano*, 1856. 8.

Alphonsus M. a Romano, *L'occupato che medita, Vicenza*, 1865, 16.

Aloysius a Presina, *Il Purgatorio aperto alla pietà dei fedeli nel mese di novembre, Venezia*, 1805, 1828, 12.

Andreas ab Arco, *Compendio degli Esercizii spirituali.*

» *Della comunione spirituale, orazione, mortificazione ecc.*

» *Esercizii spirituali.*

Angelicus a Vicetia, *Novena di S. Pietro d'Alcantara, Venezia*, 1723, 12; et dein *Patavii, Veronae* et iterato *Vicetiae.*

» *Novena di S. Margherita da Cortona, Verona*, 1739, 12; *Vicetiae* sine anno.

» *Novena di S. Pasquale Baylon, Vicenza*, 8. sine anno; et *ibidem* 1862.

Angelus a Venetiis, *Giornale sacro ad onore di S. Antonio di Padova, Padova*, 1761, 8. Hoc opus vix post biennium saltem duodecies fuit impressum, et lusitanice etiam translatum.

Antonius Maria a Vicetia, *Frutti dell'albero della vita, ovvero Lezioni morali date da Maria Ss. alla Ven. Suor Maria di Gesù di Agreda, Venezia*, 1873, vol. 2. 16 [3].

Bartholomaeus a Brendulis, *Meditazioni, Venezia*, 1526, 8.

Basilius a Feltria, *Vita e frutti serafici di S. Pietro d'Alcantara, Verona*, 1671, 8; *Venezia*, 1683, 24.

» *Esortazione alle Clarisse degli Angeli di Feltre* [4].

Bonaventura a Iustinopoli, *Arte theorica per bene servire a Dio, Trevigi*, 1625, 12.

» *Acqua di vita spirituale, Venezia e Padova*, 1641, 12.

Bonaventura a Maserio, *Novena di S. Francesco d'Assisi, Venezia*, 1846, 24.

Franciscus a Mondondone, *Via di salute, Padova*, 1651, 12.

» *Vita dell'anima, Padova*, 1651, 12.

» *Documenti di salute, Padova*, 1652, 12.

» *Istruzione per la prima Comunione, Padova*, 1652, 12.

Franciscus a Patavio, *Espressioni divote nella Natività del divin Redentore*, sine nota temporis et loci, fol.

---

[1] Est versio operis gallice exarati a P. Huberto Hayer, Recollecto.

[2] Est versio Tractatus Religionis Christianae ab Addison anglice conscripti, et a Gabriele Seigneux de Correvon in gallicam linguam translati.

[3] Excerptae ex *Mystica Civitate Dei*, et nova versione donatae.

[4] Asservatur in archivio episcopali Feltriensi. Ita legitur in Ephem. Feltriensi *Il Tomitano*, ann. VIII. pag. 149.

Franciscus Maxentius ab Arco, *Missae mysteria applicata, Oenipontí*, 1655, 12.
» *Meditazioni sull'Officio della B. V., Trento*, 1665, 12.
Georgius ab Asylo, *Direttorio spirituale, Trevigi*, 1749, 12.
Iacobus a Tridento, *Il centro del cuore umano.*
Ioannes Baptista a Plebe Sacci, *Istruzione per la Ss. Comunione, Bassano*, absque nota temporis, 32.
Ioannes Clemens a Venetiis, senior, *Battaglia spirituale, Padova*, 1681; *Trento*, 1699, 12.
Ioannes Chrysostomus a Venetiis, *Documenti spirituali, Venezia*, 1688, 1721, 8[1].
Ioannes Franciscus a Verona, *Orazioni e laudi spirituali, Padova*, sine nota temporis; *Verona*, 1882, 24.
» *Metodo per aiutare i peccatori*, sine nota temporis et loci.
Iustus a Patavio, iunior, *Novena di S. Pietro d'Alcantara, Padova* 1789; *Venezia*, 1793, 24.
» *Lezioni di ascetica.*
Ludovicus a Gavatio, *Dialogo dell'orazione, Trento*, 1590, 12.
» *Del virtuoso esercizio del Cristiano, Trento*, 1597, 8.
» *Della cristiana sapienza e dottrina libri tre*[2].
Marcus Antonius a Venetiis, *Origine ed eccellenza della Via Crucis, Padova*, 1747, 1760, 12.
» *Notizie per ben dirigersi negli affari dell'anima, Venezia*, 1758, 8.; *Trento*, 1758; *Napoli*, 1762; latine, *Graecii*, in Styria, 8.[3].
» *Dizionario spirituale tratto dalle opere di S. Francesco di Sales, Venezia*, 1759, 1780, vol. 2, 4.
» *Il paradiso sicuro*[4].
Nicolaus ab Andegavo, *Documenti per l'orazione, Bassano*, 12, pluries post Auctoris mortem, quae accidit an. 1669.
Paschalis a Bassano, *Conforto delle anime scrupolose, Venezia*, 1751, 12.
Petrus Antonius a Venetiis, *Direttorio per le Monache, Venezia*, 1723, 12.
» *Documenti per fare l'orazione mentale, Venezia*, 1724, 12.
» *Specchio di perfezione.*
» *Meditazioni.*
Petrus Marinus a Patavio, *Principii della giustizia cristiana, Venezia*, 1782, vol. 2, 12.
» *Principii della perfezione cristiana e religiosa, Venezia*, 1785, vol. 2, 12[5].
» *Trattato della Croce, Vicenza*, 1786-89, vol. 18, 8[6].

---

[1] In eius vita, quae habetur in *Cronaca*, et in *Leggendario Francescano* sub die 22 Ianuarii.

[2] Id compertum habemus ex ipsius Auctoris verbis in Epistola nuncupatoria, quam praemisit Tractatui *Del virtuoso esercizio del Cristiano*. Verum an opus absolverit, absolutumque in lucem ediderit, nullo modo nobis constat. Ipsemet P. Ioannes Chrysostomus ab Avolano, diligentissimus reformatae provinciae S. Vigilii Chronologus, ex cuius mss. plerasque de hoc scriptore notitias collegimus, de hac re nihil certi se scire fatetur.

[3] Greiderer, *Germania Franciscana*, vol. II, pag. 562.

[4] Sub pseudonimo *D. Marco Niotano.*

[5] Hae duae opellae auctorem habent D. Besoigne, et ex gallico idiomate sunt translatae.

[6] Item gallice exaratus a D. Iac. Dugnet.

Seraphinus ab Utino, *Modo di dire la Corona di N. S. e della B. V., Venezia*, 1615, 12.

Sigismundus a Venetiis, iunior, *Maniera di praticare la divozione del Ss. Rosario, Padova*, 1816, 24.

» *Gesù al cuor del cristiano, ossia esercizio della Via Crucis, Venezia*, 1827, 1845, 24.

THEOLOGIA EXEMPLARIS SEU DE VITIS SANCTORUM.

Aloysius Maria a Vicetia, *Vita del B. Nicolò da Valenza, Vicenza*, 1787, 8.

» *Vita del B. Pacifico da S. Severino, e del B. Tommaso da Cori, Vicenza*, 1787, 8.

» *Azioni della B. Giovanna Maria Bonomo, Vicenza*, 1798, 4.

Angelicus a Vicetia, *Vita del B. Giovanni da Prado, Venezia*, 1721, 8.

» *Vita di S. Agostino V. e D., Bassano*, 1728, 12.

» *Vita del P. S. Francesco d'Assisi, Venezia*, 1736, 8.

» *Vita di S. Antonio da Padova, Venezia*, 1748, 8 [1].

» *Vita di S. Margherita da Cortona, Venezia*, 1757, 8.

Angelus a Feltria, *Esemplare di virtù in S. Gregorio Magno, Venezia*, 1679, 8 [2].

Antonius a Bassano, *Vite dei PP. Bartolomeo Brendolino e Pacifico da Venezia, Venezia*, 1722, 4 [3].

Antonius Maria a Vicetia, *Il P. Bernardo da Cavaso, Este*, 1860, 8.

» *Vita dei Ss. Martiri Giapponesi, Venezia*, 1. et 2. edit. 1862, 8; *Brescia*, 12; *Bologna*, 1862, 1863, 16.

» *Vita del B. Carlo da Sezze, Roma*, 1864; 8; *Monza*, 1880, vol. 2. 16; *Venezia*, 1881, 8.

» *Vita del Ven. Angelo del Pas, Roma*, 1867, 8.

» *Vita della Ven. Maria di Gesù di Agreda, Bologna*, 1870, 8; *Torino*, 1881, 4; germanice *Ratisbonae*, 1875, 8.

» *Vita di S. Diego d'Alcalà, Bologna*, 1870, 12.

» *Vita di S. Margherita di Cortona, Bologna*, 1871, 12.

» *Vita e martirio dei PP. Paolo da Mantova e Clemente da Bressanone, Bologna*, 1871, 8.

» *Vita del Ven. P. Pier-Domenico da Orvieto, Bologna*, 1871, 12.

» *Il Castello di Valle nell'Istria e il B. Giuliano Cesarello, Venezia*, 1871, 8.

» *Vita del Ven. P. Leopoldo da Gaiche, Bologna*, 1872, 12.

» *Vita del B. Umile da Bisignano, Bologna*, 1872, 16; *Monza*, 1881, 8; *Venezia*, 1881, 16.

» *Vita del Ven. P. Pietro da Bagnaia, Venezia*, 1873, 12.

---

[1] « Ego plurimi facio opus pii et docti viri fr. Angelici ». Ita de Azevedo in op. *Fasti Antoniani*, in praefat. pag. 19. Eadem *Vita*, in compendium redacta a P. Ioanne a Capistrano, Min. Ref. Prov. Aprutiorum, Neapoli iterum lucem aspexit an. 1852.

[2] Dicata S. P. Innocentio XI.

[3] Insertae in *Leggendario Francescano*, sub diebus 15 Septembris et 20 Octobris.

» *Vita del Ser. Dott. S. Bonaventura, Roma,* 1874, 8; *Monza,* 1879, vol. 2. 16; germanice *Paderbonae,* 1874, 8.

» *Vita del Ven. P. Bernardino da Calenzana, Roma,* 1875, 12.

» *Vita di S. Lodovico Vescovo di Tolosa, Venezia,* 1878, 12 [1].

» *Vita del B. Egidio da Laurenzana, Venezia,* 1880, 8.

» *Vita del Ven. Fr. Innocenzo da Chiusa, Monza,* 1883, 12.

Augustinus Maria a Patavio, *Lezioni sulla Vita di S. Margherita da Cortona, Brescia,* 1844; *Milano,* 1846; *Vicenza,* 1850, 8.

Beatus a Valle Agni, *Vita dei Ss. Giacomo della Marca e Pasquale Baylon, Vicenza,* 1691, 12.

Bernardinus a Portu Romatino, *Vita del Ven. Giovanni Duns Scoto, Venezia,* 1855, 8.

Bonaventura a Maserio, *Vita della B. Osanna di Cattaro, Monza,* 1882, 16.

Eusebius a Verona, *Vita di Elisabetta Panigaia, Verona,* 1774, 4.

Franciscus ab Ampitio, *Vita del P. Nicolò d'Angiò.*

Gregorius a Vallecamonica, *Vita del P. Lodovico da Breno.*

Ioannes Baptista a Feltria, *Vita del B. Bernardino da Feltre, Feltre,* 1875-76, 8 [2].

Iosephus Antonius a Mantua, *Vita del B. Leonardo da Portomaurizio, Venezia,* 1799, 1858, 12.

Iustus a Patavio, senior, *Memorie del P. Angelo da Castelfranco.*

Marianus a Cadubrio, *Vita di S. Catterina da Bologna, Venezia,* 1717, 8.

Maximus a Vallecamonica, *Memorie del P. Zaccaria da Gianico, Venezia,* 1684, fol.

Petrus Antonius a Venetiis, *Tavole rappresentanti gli Eroi francescani in santità, colla vita in ristretto di ciascheduno, Venezia,* 1684, fol.

» *Leggendario Francescano, Venezia,* 1721-22, vol. 12, 4.

» *Vita del Comm. Fr. Arrigo Rondinelli, Venezia,* 1721; *Bologna,* 1759, 8.

» *Vita dei SS. e BB. del III. Ordine, Venezia,* 1725, 4.

» *Vita del P. Cherubino da Val di Bono, Trento,* 1785, 12 [3].

Sigismundus a Venetiis, iunior, *Vite dei Ss. Pacifico da S. Severino, e Giangiuseppe dalla Croce, Venezia,* 1859, 8.

Stephanus a Laureia, *Vita di S. Catterina di Bologna, Venezia,* 1729, 8.

THEOLOGIA POSITIVA, SEU CONCILIA, SYNODI,
DECRETA ILLUSTRATA, ITEM IUS CIVILE.

Beatus a Valle Agni, *Il Parroco sincerato.*

Massaeus a Bergomo, *Constitutiones Synodi Mantuanae, habitae an. 1648. Veronae,* 1648, 8 [4].

---

[1] Dicati S. P. Leoni XIII.

[2] Post duo saecula e tenebris erutam atque emendatam cl. Prof. D. Antonius Vecellio an. 1875-76 in ephemeride Feltrensi, vulgo *Il Tomitano*, primo edidit.

[3] Hanc editionem edi curavit P. Ioannes Chrysostomus ab Avolano, Provinciae Reformatae S. Vigilii Chronologus.

[4] R.mus D. D. fr. Massaeus Vitali a Bergomo, an. 1593 natus, et seraphicam Reformationem in Provincia nostra an. 1609 ingressus, adeo virtutibus ac sagacitate claruit, ut a confessionibus

Stephanus a Laureia, *Modus acquirendi dominium per contractum.*
Vincentius a Castrofranco, *Declaratio Regularum iuris canonici in Sexto, Coloniae,* 1695, 12.

LIBRI RITUALES.

Andreas ab Arco, *Ceremoniale pei Guardiani di Gerusalemme.*
» *Ceremoniale della provincia di S. Vigilio.*
» *Ceremoniale per le Monache di S. Anna di Borgo.*
Augustinus a Vicetia, *Esposizione degl' Inni del Breviario, Venezia,* 1710, 8.
Iustus a Patavio, senior, *Officium de fuga D. N. I. C. in Aegyptum.*
Paulus a Mantua, *Officium S. Bonaventurae Ep. et Doct., Venetiis,* 1688, 8 [1].
Petrus Marinus a Patavio, *Dell'antica liturgia della Chiesa, Trento,* 1769, 8.

CONCIONES ET ORATIONES PANEGYRICAE ET IN FUNERE [2].

Adeodatus a Martinengo.
Aloysius a S. Nazario.
Aloysius Maria a Rubino.
Aloysius Maria a Vicetia, *Orazioni sacre, Venezia,* 1843, 8.
» *Lezioni sedici sulla Vita di S. Pietro d'Alcantara.*
« Amadeus a Montesilicis.
Angelus a Venetiis.
« Antonius a Valle Agni.

Caroli I, Mantuae Ducis, et totius ducalis familiae fuerit. Anno 1646 ad episcopalem Sedem Mantuanam ab Innocentio X assumptus, gregem sibi commissum prudentia, pietate ac zelo, pastor factus ex animo, per viginti tres annos rexit. Eius mortem, quae contigit die 22 Iunii an. 1669, prodigiis a Domino illustratam refert noster Chronologus in eius Vita, quae habetur tum in cit. *Cronica etc.* lib. IV, cap. XXVI, pag. 516, tum in cit. *Leggendario Francescano,* sub die praedicta.

Praeclari huius Antistitis doctrinae ac pastoralis sollicitudinis monumentum exstat in opere sequenti:

Constitutiones et Decreta promulgata in Synodo habita sub Illustriss. et Reverendiss. D. D. fr. Massaeo Vitali, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopo Mantuano, Sacrique Romani Imperii Principe, A. D. MDCXLVIII. Mense Novemb. caden. Innocentio X Sum. Pontifice. Cum Constitutionibus et Decretis Pontificiis ad Parochorum commodum, necnon cum quibuscumque ab eisdem Parochis per annum evulgandis. Veronae apud Franciscum de Rubeis. 8.° pagg. 179-132.

Has *Constitutiones* semper magni habitas testatur cl. Ab. Pezzarossa in op. *Storia Cronol. dei Vescovi Mantovani, Mantova* 1847, pag. 56.

Ipsum laudant etiam Continuator *Italiae Sacrae Ughelli,* vol. I, pag. 875; P. Barnabas Vaërini in op. *Scrittori di Bergamo ecc. Bergamo* 1874, pag. 84; et Cappelletti in op. *Storia delle Chiese d' Italia,* vol. XII, pag. 87, qui tamen eum ad Regularem Observantiam pertinuisse perperam asserit. In eius funere laudationem typis impressam habuit Iacobus Masinellus.

[1] Reperitur in *Cronaca Provinciae,* an. 1688 edita a P. Petro Antonio a Venetiis, pagg. 412-417.

[2] Eae tantummodo editiones hic indicantur, quae plures Conciones vel Orationes panegyricas continent; superfluum enim nobis visum fuit singulas citare, quae separatim in lucem prodierunt. Scriptores virgulis adnotati inedita cuncta opera concionatoria reliquerunt.

« Antonius Maria a Rubino.

Antonius Maria a Venetiis.

Antonius Maria a Vicetia.

Archangelus ab Ampitio.

Augustinus Maria a Patavio.

Bartholomaeus a Crosaria.

Bernardinus a Portu Romatino.

Bernardus a Venetiis, *Orazioni sacre, Trevigi*, 1767-68, 8. vol. 3.

Bonaventura ab Asylo, *Orazioni sacre, Venezia*, 1775, 8. vol. 3; *Venezia*, 1786, 8. vol. 1; *Roma*, 1793, vol. 1. 4.

Bonaventura a Maserio.

« Cosmas a Rubino.

Eusebius a Verona.

Franciscus Antonius a Feltria.

« Gabriel Angelus a Vicetia.

« Ildephonsus a Braydo S. Viti.

Iacobus a Vicetia.

Ioannes Clemens a Venetiis, senior, *Sacri concerti di corone ecc. Venezia*, 1700, 8.

» *Discorsi per la Novena dell'Aspettazione del Parto, Treviso*, 1709, 8.

» *Nove Discorsi per la Novena di S. Pietro d'Alcantara, Venezia*, 1712, 8.

Ioannes Clemens a Venetiis, iunior, *Orazioni Sacre, Venezia*, 1782, 8.

Ioannes Franciscus a Verona.

Ioannes Maria a Verona.

Ioannes Petrus a Venetiis.

Ioseph a Cittadella.

« Ioseph a Rubino.

Iosephus Antonius a Venetiis.

Iustus a Patavio, iunior, *Ragionamenti e Panegirici, Padova*, 1781, 12.

Laurentius a Venetiis, *Panegirici, Arezzo*, 1753.

Marcellinus a Venetiis, *Orazioni Sacre, Venezia*, 1809, vol. 3. 12; *Venezia*, 1842-43, 8.

Pacificus a Vicetia.

Petrus a Rubino, *Prediche e Panegirici, Rovigno*, 1881, 12.

Petrus Coronatus a Bassano, *L'anima in aspettazione del sacratissimo Parto, Discorsi, Venezia*, 1706, 4.

Petrus Maria a Petra Rubra, *Ragionamenti ecc. Genova*, 1759, 8.

» *Prediche Quaresimali, Vicenza*, 1786, vol. 2. 4; *Vercelli*, 1788, 8.

» *Panegirici e Discorsi, Vicenza*, 1788, 4; *Torino*, 1789, vol. 2. 8 [1].

---

[1] P. Petrus Maria a Petra Rubra, vulgo *Pederoba*, in agro Tarvisino, e familia Grippia natus, in conventu Bassanensi habitum Religionis induit die nona Novembris an. 1719. Ingenio praestantissimus, studiorum curriculo vix emenso, ad legendam suis confratribus Rhetoricam primum ac deinde Philosophiam et Theologiam a provinciae Moderatoribus deputatus fuit, quo in munere adeo egregie se gessit, ut studiorum instaurator in provincia nostra iure merito habitus fuerit. Lecturae cursu absoluto, ad divini verbi praedicationem animum convertit eo successu, ut praecipuas Italiae urbes peragraverit, et per annos ultra quadraginta a concionandi

Petrus Marinus a Patavio, *Orazioni Sacre, Venezia*, 1780, 8.
Philippus Maria ab Asylo.
» Sigismundus a Venetiis, iunior.
» Thomas a Castronovo.

PRO INSTITUTO ORD. MINORUM.

Adrianus ab Adria et Gabriel Angelus a Vicetia, *Statuti Municipali della Provincia di S. Antonio, Venezia*, 1764, 4.
Adrianus ab Adria, *Lezioni sopra la Regola.*
Andreas ab Arco, *Avvertimenti per un Maestro dei Novizii.*
Angelicus a Vicetia, *La maniera di vivere santamente nel secolo, proposta ai Terziarii, Verona*, 1739, 8.
» *Del Terziariato di S. Ivone, Verona*, 1739, 8.
» *Storia dei tre Ordini del P. S. Francesco, Vicenza*, 1761, vol. 3. 8.
Antonius a Bassano, *De Guardiani auctoritate.*
Bartholomaeus a Brendulis, *Esposizione della Regola, Venezia*, 1535, 8; *Firenze*, 1594, 8 [1].

---

munere nunquam desiterit. Ob praeclaras exculti animi dotes, raramque meritorum illustrium consensionem, apud universos hominum ordines acceptissimus fuit. Ferrariae, dum concionaretur, depicta fuit eius effigies, et dein in cupro insculpta. Augustae Taurinorum, in cuius cathedrali ecclesia iterum ac tertio quadragesimales conciones habuit, ac Pisis oblatam in illis Universitatibus cathedram constantissime recusavit. Neapoli ita acceptissimus Regi fuit, ut ipsum e praedicatione ad provinciam redeuntem pretiosis voluminibus *de Antiquitatibus Herculani* donaverit. Genuae tres sermones et oratio panegyrica S. Benedicti clam ei surrepti fuerunt, ut typis mandarentur. Demum Romae Benedictus XIV eius ratiocinandi vi ac invicto dicendi robore adeo captus est, ut ipsum *Concionatorem Concionatorum* appellaverit. A sacro etiam Cardinalium Collegio, coram quo sermonem tenuit, magni habitus fuit, in primisque doctissimo Card. Passionaeo, cum quo familiari consuetudine utebatur, qui quidem ut Romae moram figeret, saepius eum impulit eo consilio, ut ipsum ad nobilissimum Concionatoris Apostolici munus, ac deinde ad Episcopatum promoveret. Ast humilis Pater, amplissimis Cardinalis pollicitationibus posthabitis, respondit, se malle inter suos confratres vitam degere, et in paupertate, quam professus fuerat, diem obire supremum. Tantus vir fatis concessit Tarvisii die sexta Novembris an. 1785.

[1] Haec Expositio, *Brendulina* communiter appellata, magni olim existimata fuit. P. Ioannes Aquilanus a S. Demetrio, Min. Obs. in op. *Prediche e Sermoni* etc. *Venetiis*, 1569, serm. II, pag. 552, de ea ita scribit: «Hic (liber) certe videtur tantae doctrinae, tantae utilitatis, tantaeque devotionis et subtilitatis; ut videri possit e coelo allatum esse Minoritis. Legendus itaque magna cum reverentia, devotione et attentione; nam sine admiratione (ut arbitror) a doctis legi non poterit. Quis enim non miretur tantorum in unum doctorum sententias compegisse, ut ipse omnium propemodum videatur auctor? Quis iterum non miretur illius subtilitatem in cuiusvis quaestionis decisione? Quis denique non accendatur divino igne in quavis eius exhortatione? Sed, ut breviter quod sentio, dicam: si hoc opus latine scriptum esset, reluceret in eo Petri Lombardi ingenium, Scoti subtilitas et Bernardi devotio. Qui quaerit igitur scire quidquid ad nostram Regulam pertinere potest, iam non opus habet lectitare plurimos doctores, qui super ea scripserunt; quia omnia necessaria in hoc parvo libello collecta reperiet, sive quis antiquas modernasque consuetudines et statuta, sive sancti Francisci reliquorumque sanctorum Fratrum fervorem et devotionem scire voluerit».

Beatus a Valle Agni, *Delle Terziarie Francescane.*

» *De praecedentia Fr. Minorum etc.*

Dominicus a Castrofranco, *Comp. della Regola del III. Ordine, Trevigi,* 1701, 12.

Franciscus Maxentius ab Arco, *Statuta pro Provincia Austriae, Viennae Austriae,* 1648, 8.

Gabriel Angelus a Vicetia, *Esposizione della Regola, Venezia,* 1758, 1765, 8; *Quaracchi,* 1883, 8 [1].

» *Esercizii spirituali pei Frati Minori, Venezia,* 1761, 8.

» *De privilegiis Regularium, Venetiis,* 1768, 1778, 4.

» *Lezioni sulla Regola.*

Gabriel Maria a Venetiis, *Esposizione della Regola.*

Ioannes Franciscus a Venetiis, *La Regola di S. Chiara volgarizzata, Venezia,* 1874, 16.

Iustus a Patavio, iunior, *Lezioni sulla Regola.*

Pacificus a Venetiis, *Esposizione della Regola, Trevigi,* 1595, 12 [2].

» *Dialogo sulla Regola, Venezia,* 1715, 16.

Paulus a Glemona, *De legatis perpetuis relictis fr. Minoribus, Tarvisii,* 1624, 8.

Petrus Antonius a Venetiis, *Esposizione della Regola del III. Ordine, Venezia,* 1712, 1718, 1725, 1739.

» *Delle Indulgenze dei Cordigeri, Venezia,* 1719, 12.

Sigismundus a Venetiis, iunior, *Biografia serafica, Venezia,* 1846, 4.

Stephanus a Laureia, *Specchio serafico.*

CHRONOLOGIA.

Aegidius a Zunellis, *De Conv. Prov. S. Antonii.*

Ambrosius a Castrofranco, *Il P. Fedele da Fanna, Roma,* 1881, 12.

Andreas ab Arco, *De' convertiti alla vera fede in Terra Santa.*

» *Cronaca di Terra Santa.*

» *Della fondazione del Monastero di S. Carlo di Rovereto.*

» *Necrologium Provinciae S. Vigilii.*

Antonius a Bassano, *Lucerna temporum.*

» *De Conv. Asyli.*

Antonius Maria a Vicetia, *Delle Missioni Francescane nel Peloponneso e nelle Isole Jonie, Roma,* 1863 [3].

---

[1] In hac novissima editione adiecta fuerunt *Examina* circa obligationes Fratrum Minorum, ex alio eiusdem Auctoris libro, nempe *Exercitiorum spiritualium*, excerpta. In Decreto adprobationis haec in eius commendationem leguntur: *Opus* etc. *cura et studio Adm. R. P. Antonii Mariae a Vicetia, eiusdem Provinciae Lectoris et Ex-Ministri, iuxta recentiora Decreta Apostolica emendatum et auctum, necnon totius Ordinis Nostri usui accommodatum, hisce Nostris Litteris adprobamus, omnibus curae Nostrae subiectis assiduam eiusdem lectionem commendantes.*

[2] Est versio operis latine conscripti a P. Ioanne ab Argomanes, Hispano.

[3] In op. *Cronaca delle Missioni Francescane* etc. P. Marcellini a Civetia, anno III. pag. 305 et seq.

» *Memorie del Convento del Deserto, Venezia,* 1865, 8.

» *Il P. Cesare Dalceggio da Telve, Milano,* 1875, 8.

» *Scriptores Ord. Min. Strict. Obs. Prov. Venetae, Venetiis,* 1877, 12.

» *Tabula chronologica Strictioris Observantiae S. P. N. Francisci, Ad Claras Aquas,* 1884, 8.

Beatus a Valle Agni, *Annales Provinciae Franciscanae S. Antonii* [1].

» *Arbor Franciscana.*

Bonaventura a Feltria, *De Conventibus Prov. S. Antonii.*

Eusebius a Plubega, *De Conventibus Prov. S. Antonii.*

Humilis a Venetiis, *De Conventibus Prov. S. Antonii.*

Ignatius a Crispano, *De Conventibus Prov. S. Antonii.*

Ioannes Franciscus a Venetiis, *Del Conv. di S. Bonaventura di Venezia, Venezia,* 1874, 8.

» *Il P. Angelico da Castelbrenzone, Verona,* 1879, 8.

Ioannes Petrus a Mantua, *Necrologium Ref. Provinciae Venetae.*

Iustus a Patavio, iunior, *Del Conv. del Deserto,* 1762, sine nota loci et temporis.

Gherardus a Venetiis, *De Conventibus Prov. S. Antonii.*

Petrus Antonius a Venetiis, *Fasti serafici, Venezia,* 1684, 8.

» *Cronaca della Provincia Riformata di Venezia, Venezia,* 1688, 8.

» *Del Convento del Deserto,* 1689, fol.

» *Pontefici e Cardinali dell' Ordine, Treviso,* 1703, fol.

» *Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi dell' Ordine, Venezia,* 1703, fol.

» *Giardino serafico, Venezia,* 1710, vol. 2. 8 [2].

» *Proscenio serafico, Venezia,* 1712, fol. expanso.

» *Teatro Francescano,* sine nota temporis et loci, fol. expanso.

---

[1] Hoc opus, omni quidem laude dignissimum, usque ad annum 1697 protrahitur; de subsequentibus annis nonnisi fragmenta supersunt. Duo volumina priora, italice exarata, annum 1406 attingunt; in ceteris, latine conscriptis, ultima auctoris revisio desideratur. In omnibus tamen accuratum auctoris studium, eruditionem et usum purioris, quandoque etiam severioris critices mirari oportet.

[2] Totum opus in septem partes dispescitur, in quarum prima agitur de origine progressu et statu actuali Ordinis Minorum, additis historiis tum Reformationum processu temporis in ipso institutarum, tum Missionum fratrum Minorum, tum demum omnium Congregationum, vel a Franciscanis fundatarum, vel ab eisdem dependentium. In secunda parte sermo est de iis, qui cum sanctitatis odore ex hac vita decesserunt; in tertia contracte describuntur vitae Pontificum, Episcoporum ac aliorum Praelatorum, qui ex Ordine Minoritico fuerunt assumpti; quarta enumerat Pontifices, Cardinales, Principes etiam ac Imperatores, qui primo vel tertio Ordini nomen dederunt; quinta pars agit de scientiis ac litteris in Ordine Seraphico; sexta historiam Terrae Sanctae contexit; septima denique de quibusdam disserit, quae specialius Ordinem illustrant, uti sunt Indulgentia Portiunculae, sacer Mons Alverniae etc. Hoc opus eruditissimum semper apud Nostrates magni habitum fuit, et cum laude citatur, ut videre est inter ceteros apud Bonelli in *Prodromo ad Opera S. Bonaventurae,* lib. II, cap. XXII, col. 142; P. Anton. Matritensem, in *Vita B. Benedicti a S. Philadelphio,* Praefat.; P. Franciscum Matritensem in *Bullario FFr. Ord. Min. Strictior. Observantiae Discalceatorum,* vol. I. Introduct. proem. pag. 1, n. 3; Bosini in *Exposit. litter. moral. et pract. S. Regulae S. P. N. Francisci,* pag. 383; et Ferraris in *Bibliotheca etc.* passim.

» *Stato dell'Ordine Francescano, Venezia,* 1724, 4.
» *Universitas historiarum Seraphicae Religionis.*
» *Cronologia universale.*

Seraphinus a Burgo Ausugii, *De Conventibus Provinciae S. Antonii.*

Sigismundus a Venetiis, iunior, *Memorie sulla Rif. Prov. di Venezia.*

HISTORIA.

Angelicus a Vicetia, *Memorie degli Ordini Regolari, Venezia,* 1773, vol. 3, 8.
» *Cronaca della Chiesa perseguitata.*

Antonius a Valle Agni, *Compendio degli Annali del Muratori, Milano,* 1765, vol. 4, 8.
» *Annali d'Italia dal 1749 al 1775.*

Antonius Maria a Vicetia, *Del Santo Bambino d'Araceli, Roma,* 1875, 8; gallice, *Burdigale,* eodem anno.

Archangelus a Venetiis, senior, *Osservazioni sulla storia della Repubblica Veneta del Laugier.*

Bernardus a Quinctiano, *Relazione sulle Missioni d'Albania.*

Bonaventura a Maserio, *Fatti storico-morali, Venezia,* 1852, 8; ibidem eodem anno iterum.

Cherubinus a Valle Vaunia, *Relazione sulle Missioni d'Albania.*

Gregorius a Vallecamonica, *La Valcamonica illustrata, Venezia,* 1698, 1728, 8.

Ioannes Franciscus a Venetiis, *Adelardo II. dei Cattanei, primo Cardinale Veronese, Verona,* 1877, 8.
» *Fr. Giovanni Giocondo Veronese, Venezia,* 1878, 8.
» *Il Card. Placido Zurla, Verona,* 1879, 8.
» *Fr. Francesco Giorgio, Venezia,* 1879, 8.
» *Del culto all'Imm. Concezione in Venezia, Verona,* 1879, 8.
» *Del culto all'Imm. Concezione in Verona, Verona,* 1879, 8.
» *Fr. Gabriele Rangoni Cardinale, Venezia,* 1881, 8.
» *Fr. Ludovico Donati Cardinale, Verona,* 1882, 8.
» *Della divozione dei Veronesi a S. Francesco, Verona,* 1882, 8.
» *Della Immagine di M. V. Ausiliatrice in Monselice, Venezia,* 1883, 8.

Ioannes Petrus a Mantua, *Del martirio del P. Sans e compagni nel Fokien.*
» *Viaggio da Venezia alla Cina.*

Leo a Cittadella, *Relazione sulle Missioni d'Albania.*

Marianus ab Asylo, *Viaggio da Venezia alla Spagna.*

Petrus Antonius a Venetiis, *Guida alla città santa di Gerusalemme, Venezia,* 1703, 1704, 1720, 1726.

APOLOGIAE SPECIALES.

Antonius Maria a Vicetia, *Della Mistica Città di Dio, Allegazione storico-apologetica, Bologna,* 1873, 8; *Torino,* 1881, 4.

Basilius a Feltria, *De instituto S. Petri de Alcantara* [1].

Bernardus a Venetiis, *Difesa del celibato del Clero Romano, Venezia,* 1766, 8.

---

[1] Contra P. Franciscum Macedo, ex Reg. Obs.

Bonaventura a Feltria, *Apologia ad Litteras Cambii civicas.*
Petrus Antonius a Venetiis, *Di S. Francesco di Paola, Venezia,* 1721, 4 [1].
Petrus Franciscus a Thiaco, *De non praestando iuramento etc.*
Sigismundus a Venetiis, senior, *Dei diritti dei Regolari ecc.* [2].

PHILOSOPHIA.

Adiutus a Venetiis, *Philosophia rationalis.*
Antonius Maria a Vicetia et Ioannes a Rubino, *Lexicon Bonaventurianum philosophico-theologicum, Venetiis,* 1880, 4 [3].
Beatus a Valle Agni, *Opuscula philosophica.*
Crescentius a Feltria, *Institutiones philosophicae.*
Dionysius a Bergomo, *In Logicam et Philosophiam.*
Petrus Maria a Petra Rubra, *Dissertazione sullo studio della Filosofia.*

GRAMMATICA ET RHETORICA.

Adiutus a Venetiis, *Grammatica regia.*
Angelicus a Vicetia, *L'Oratore ecclesiastico* [4].
Archangelus a Venetiis, iunior, *Sintassi regolare e figurata, è Prosodia latina.*

---

[1] Huic opusculo, quod insertum etiam fuit in *Leggendario Francescano,* vol. IV, pag. 441, P. Aloysius Maria Benetelli ex Ordine Minimorum respondit, responsumque inscripsit: *Anticritica apologetica* etc. Porro de hac Diatriba videre est Ephemeridem, cuius titulus: *Giornale dei Letterati,* vol. XXXV, art. XV, pag. 506-507.

[2] P. Sigismundus Candidis, in Bellunensi Provincia natus, sed vulgo a Venetiis dictus, antea Gaspar Franciscus Zandonella vocatus, diu Commissarius Provincialis in Dalmatia et in Insulis Ioniis, multa prudentia et animi magnitudine exornatus fuit. Cum enim Turcarum copiae armata manu Corcyrensem insulam an. 1716 invasissent, et, urbe obsidione undequaque cincta, praecipuas arces occupassent, ita ut iamiam extremum urbis excidium imminere videretur, is ex altari, ante quod simul cum Archiepiscopo et ceteris sacerdotibus ac confratribus provolutus, divinam opem adprecabatur, exsiliens, una manu ballistam igneam arripiens, altera Crucifixum extollens, milites ac cives summa tristitia affectos fervidissimis verbis allocutus, eorum vires adauxit, ipseque omnium primus arcem, quam hostes ignitis iaculis incessanter impetebant, ascendens, in tanto discrimine impavidus, animum militibus concitato sermone addere non destitit, quoadusque Christiani, impetu hinc inde facto, fortiterque dimicantes, Turcas gloriosissima victoria profligarunt. Tam egregium facinus narratur a Hieronymo Ferrari in opere italico: *Notizie storiche della Lega tra l'Imp. Carlo VI e la Repubblica di Venezia contro Achmet III,* ecc. lib. 2, pag. 133.

[3] In Ephemeride latina *Divus Thomas,* quae Placentiae in Italia prodit, n. 50 haec de eo opere leguntur: « Optimo consilio ad scholasticae philosophiae instaurationem Ordinatores huius Lexici ipsum digesserunt, nam Seraph. Doctor in scholastica doctrina una cum Angelico principatum tenet, et quamvis non desint Lexica, in quibus Scholasticorum termini et axiomata explicentur, nullibi tamen vel satis raro ac obiter tantum Seraphici declarationes afferuntur. Totum opus in tres partes distribuitur, ex quibus prior, in qua termini theologici declarantur, est ipsum S. Doctoris opusculum, cui titulus: Declaratio terminorum theologicorum, alphabetico ordine dispositum; Distinctiones vero, in altera parte, et Effata, quae in postrema explicantur, ex Expositionibus in quatuor Libros Sententiarum sunt excerpta. — Existimamus, hoc Lexicon admodum profuturum iis, qui rationem multiplicem, qua potest exponi scholastica doctrina, callere velint ».

[4] Integer huius operis titulus hic est: *L' Oratore Ecclesiastico formato sui più antichi e più*

Basilius a Glemona, *Grammatica sinensis* [1].
» *Expositio characterum sinensium* [2].
» *Dictionarium sinico-latinum, Parisiis*, 1813, fol. [3].

---

approvati Maestri dell' oratoria facoltà, e guidato alla pratica con esempii copiosi, scelti dai più eloquenti Santi Padri, ed eziandio da accreditati Autori profani, 1756, 4.° Hoc autem opus, ad oratores sacros efformandos perutile, ab Examinatoribus Ordinis adprobatum, ob mortem Auctoris ineditum remansit.

[1] Ita testatur P. Eugenius a Bassano, Episcopus Portimensis, alibi laudatus, et de quo etiam inferius erit dicendum, in epistola ex Imperio Sinensi ad suos confratres provinciae missa. En eius verba: « Finalmente per consolazione ed onore della nostra santa provincia notifico a V. P. M. R. che sebbene siano molti anni che è morto il sopraddetto R.mo P. Basilio, tuttavia la di lui memoria è freschissima, come se fosse vivente. Si parla di esso come di un Santo; e mi viene accertato che è morto in vero concetto di santità. Si loda comunemente la di lui dottrina, specialmente nella lingua cinese, avendo faticato in questa lingua più egli solo, che tutti gli altri insieme. Ha fatto una *Grammatica cinese*, un *Dizionario* in foglio *italiano e cinese*, un altro *Dizionario di lettere cinesi colla spiegazione in latino dei diversi significati che hanno,* un *Direttorio del Confessore;* e molte altre opere tanto buone, che tutti i Missionarii di qualsiasi Religione se ne servono, ed i Cinesi stessi lo chiamano *Man-ta-jià*, che significa grandissimo uomo ».

[2] In cit. *Catalogo*. P. Petri de la Pinuela recensetur.

[3] « In hoc *Dictionario* trigintaduo millia vocabulorum sinensium, propriis characteribus expressorum, explicantur. Quod mirum omnino est habendum; peritiores enim in ea lingua, etiam inter Sinenses, testante P. Le Compte S. I., post assiduum per quadraginta immo et quinquaginta annos studium, ad viginti millia addiscenda vix perveniunt. Prima, quae nobis innotescat, huius *Dictionarii* editio, Parisiis anno 1813 prodiit, Napoleoni I dicata a quodam plagiario, qui egregium Franciscani Opus, probroso furto sibi attribuens, ita inscribere haud erubuit: *Dictionnaire chinois-français et latin, publié d'après l'ordre de S. M. l'Empereur par M. de Guignes, résident de la France à la Chine etc. Paris, de l'Imp. impér.* 1813, in folio. Verum a doctis viris Klaproth et Rémusat fraude detecta, anno 1819, eodem Klaproth curante, Supplementum seorsim impressum prodiit hoc titulo: *Hán-Tsá Sy y Poú, ou Supplément au Dictionnaire chinois-latin du Père Basile de Gemona, imprimé en 1813 par les soins de M. de Guignes, publié d'après l'ordre de sa Majesté le Roi de Prusse Frédéric-Guillaume III, par Jules Klaproth. A Paris, de l'Imprimerie royale,* 1819 in-folio, pag. X. 168. Hoc citatum legimus etiam in *Catalogue de la Bibliothèque Orientale de M. I. Mohl, Paris,* 1876, pag. 140, n. 1355.

Operis autem pretium putamus indicium praedicti doctissimi Klaproth, quod in praefatione huius editionis habetur, hic referre, prout italice translatum legitur in *Bibliografia Sanfrancescana,* pag. 208, cl. P. Marcellini a Civetia. « Il p. Basilio da Gemona, sic ille, dell'Ordine dei Minori della più stretta Osservanza di S. Francesco e Missionario Apostolico in Cina, avendo sperimentati insufficienti i dizionarii, di cui sin qui i suoi confratelli s'eran serviti nelle Missioni, si mise all'opera di compilarne un nuovo, giovandosi di quelli ch'essi avevano fatti, e di altri originali, dai quali trasse circa mille caratteri, e tradusse le spiegazioni europee o cinesi in latino. Intitolò il suo lavoro: *Han-tsa-si-i* ed è stato sin qui tenuto da tutti come il migliore che sia stato composto. I successori del Padre da Gemona l'ebbero per modello, pur facendovi dei cangiamenti e delle aggiunzioni, secondo il fine che ciascuno si proponeva nello studiare il cinese. Alcuni ne tradussero le spiegazioni latine nelle lingue del proprio paese, o ne variarono l'ortografia, per renderne più facile l'intelligenza e la pronuncia; e così n'abbiamo una traduzione in lingua spagnuola, un'altra in russo, e una terza metà francese e metà portoghese; e gli esemplari del *Han-tsa-si-i*, si sono grandemente moltiplicati in tutta l'Europa. Vi s'incontrano sì certo delle differenze, sia nel nome, sia nella disposizione dei caratteri, sia finalmente nelle spiegazioni,

Hermenegildus a Vicetia, *Sacra Rhetorica*.
Ioannes Clemens a Venetiis, senior, *Dell'arte rettorica, Treviso*, 1715, 4.
Laurentius a Venetiis, *Osservazioni sul buon gusto di predicare, Arezzo*, 1753, 8.

---

ma esse non toccano la sostanza; è sempre il Dizionario del Padre da Gemona, compilato, rivisto, accresciuto o guastato dai differenti editori, che la più parte fecero sparire dal frontespizio il nome del laborioso e modesto Francescano. Ed uno di questi esemplari è appunto quello, che due anni fa apparve in Parigi col titolo di *Dictionnaire chinois-français et latin, publié d'après l'ordre de S. M. l'Empereur* (Napoléon I) *par M. de Guignes, résident de la France à la Chine etc. Paris de l'Imprimerie impériale* 1813. Il titolo è giusto, ma vi manca una cosa essenziale; perocchè leggendolo così come sta, niuno penserà mai nè anche per sogno, che fosse lavoro del Padre Basilio da Gemona, il cui nome è affatto taciuto, e v'è solo quello dell'editore, a cui pare che appartenga ».

Iuverit etiam testimonium addere P. Caroli Horatii a Castorano, ex Reg. Obs., per triginta tres et amplius annos Missionarii Apostolici in Sina. Habetur in eadem *Bibliografia Sanfrancescana*, pag. 94. « *Hoc Dictionarium* (a me infrascripto P. Carolo Horatii anno Domini 1706 propria manu descriptum fuit et more europaeo ligatum; constatque in universum paginis 1018) factum fuit a R. P. Basilio a Gemona Regularis Observantiae Reform. S. P. Francisci (postea R.mus Vicarius Apostolicus Provinciae Xen-si); qui R. Pater antea fecerat aut verterat aliud *Litterarium* brevius, secundum ordinem *Litterarii Sinici* supradicti. At vero cum illud esset parum accommodatum pro Patribus Missionariis Europaeis in Sina novis, fecit aliud *Litterarium Sinico-Latinum* ex alio *Litterario Sinico*, magis accedente ad nostrum modum europaeum, et est ferme secundum ordinem nostri alphabeti latini; omnes enim litterae seu characteres sinici, qui incipiunt v. g. per litteras C. F. G. H. I. K. L. etc. redacti sunt per ordinem, et per classes dispositi sunt sub eisdem nostris latinis litteris; unde, audita voce sinica, facilius inveniri possunt characteres sinici... Meo iudicio hoc R. P. Basilii Dictionarium seu Litterarium prae omnibus aliis Dictionariis lingua hispanica aut lusitanica, quae ego legi, est melius, clarius et verius; univoce enim reddit sensum sinicum, et est sufficienter copiosum; unde sentio, dictum Patrem esse aeterna gloria dignum ».

Novam vero totius huius *Dictionarii* editionem, de qua a Ferussac in *Bulletin Univers.* vol. XII fit mentio, anno 1834 Societas Asiatica Parisiensis, opere suo Auctori restituto, edi curavit, eam cl. Jouy dirigente, et ad authographum conferente, quod Florentiae ex Renucciana in Medicaeo-Laurentianam translatum, sub num. 369 sectionis Renuccianae adhuc asservatur hisce connotatum rubricis: *Saec. XVII. exeunt. charta sinica, in 4. cum tabulis ligneis coopertis corio bleu. Extra in dors. Dictionarium Sinico-Latinum.* Primum folium huius Codicis atramento nigro circumcirca pulchra manu est ornatum, et in eius medio sunt quaedam verba expressa characteribus sinicis, quibus a dextris respondent modi ea pronuntiandi, a sinistris eorum significationes. Subter legitur: *V. I. M. I. Dictionarium Sinico-Latinum suis fratribus Sinicae Missionis tyronibus elaboratum per fratrem Basilium a Glemona, Ordin. Min. Strictioris Observantiae, Venetae S. Antonii Provinciae Alumnum. Anno Dni MDCXCIV.* A fol. 7 r. usque ad 11 locum habet *Index;* a fol. 12 r. incipit *Dictionarium,* et fol. 838 r. desinit. Constat foliis 839.

Tandem, ad maiorem Missionariorum commoditatem, P. Hieronymus Mangeri a S. Arsenio Min. Reformatus, et Franciscus Leang, sacerdos sinensis saecularis, ingens P. Basilii *Dictionarium* in compendium redegerunt, sicque redactum anno 1859 in urbe Hong-Kong typis Missionis evulgarunt. Novissime integri Dictionarii editio, suppresso P. Basilii nomine, in Sina iterum prodiit.

P. Huerta in op. *Estado geografico etc. de la Provincia de S. Gregorio en las islas Filipinas, Binondo*, 1865, quem praelaudatus P. Marcellinus a Civetia in op. cit. pag. 209 est secutus, asseruit, P. Basilium praedictae provinciae Discalceatorum S. Gregorii se aggregasse. Verum quantum hoc veritatae absonum sit, ex allatis documentis satis superque patet.

Leo a Cittadella, *Dictionarium epiroticum*

Paulus a Mantua, *Dictionarium hebraicum.*

Sigismundus a Venetiis, iunior, *Dizionarietto di voci di fonte greca, Venezia,* 1841, 12.

» *Lezioni di Sacra Eloquenza.*

» *Dell'eloquenza dei Ss. Padri.*

Stephanus a Laureia, *Midolla letteraria, Venezia,* 1724, 1742; *Roma,* 1750, 8.

POËSIS.

Aloysius a Presina, *Carmen pastorale, et Epigramma, Tergeste,* 1816, 1828, fol.

Augustinus a Vicetia, *Gerusalemme compianta, Venezia,* 1705, 8.

» *Cetra ecclesiastica, Venezia,* 1710, 8.

Bonaventura ab Asylo, *Isaia in ottava rima.*

Dominicus a Venetiis, *La Genesi e l'Esodo in ottava rima.*

Eusebius a Cittadella, *Poema contro di Fozio.*

Gherardus a Venetiis, *Versi.*

Petrus a Rubino, *Sonetti, Trieste,* 1816, 1828.

Petrus Marinus a Patavio, *Poema sulla grazia, Venezia,* 1765, 4.

» *Versi.*

Seraphinus a Montemaladio, *Il Salterio tradotto.*

MEDICINA.

Mansuetus a Brembilla, *L'infermiere in pratica, Venezia,* 1728, 8.

MUSICA.

Ioannes a Bassano, *Rudimenti di canto fermo.*

Franciscus a Rossino, *Grammatica melodiale, Roma,* 1795, 4.

EPISTOLAE.

Basilius a Glemona, *ex Imperio sinensi, Venezia,* 1710, 8 [1].

Eugenius a Bassano, *ex Imperio sinensi, Bassano,* 1834, 8 [2].

---

[1] A nostro Chronologo P. Petro Antonio a Venetiis collectae, et in *Giardino Serafico,* vol. I, a pag. 101 ad 154 insertae fuerunt.

[2] Huius praeclarissimi viri *viginti octo Epistolae*, pleraeque autographae, nobis innotescunt, dignae omnino quae prelo mandentur, utpote quae eruditionem et sanctitatem Auctoris redolent, et in quibus multa de illis Missionibus scitu digna enarrantur. Septem ex iis anno 1834 evulgatae fuerunt, et cl. Zachariae Bricito Archipresbytero Bassanensi dicatae, qui postea ad infulas Utinenses assumptus fuit. Harum titulus est: *Alcune Lettere del P. Eugenio Piloti, Vescovo Portimense, ora per la prima volta pubblicate. Bassano, tip. Baseggio edit. MDCCCXXXIV.* 8.º

De his epistolis cl. Bartholomaeus Gamba, in op. *De' Bassanesi illustri,* pag. 87 ait: « La « lettura ne è interessante; e da essa si scorge abbastanza, che Mons. Piloti era uomo dotto, « apostolo pieno di carità e di amore, ministro della S. Sede attivo e svegliato ».

Eusebius a Cittadella, *ex Imperio sinensi.*
Gratianus a Feltria, *ex Imperio sinensi*[1].
Illuminatus a Vallesolis, *ex Peloponneso.*
Ioannes Petrus a Mantua, *ex Aegypto.*

MISCELLANEA.

Andreas ab Arco, *Selva di Ss. Padri.*
Archangelus a Venetiis, iunior, *Precetti calligrafici, ed Esemplare di Calligrafia, Verona,* 1815. fol.
Augustinus Maria a Patavio, *Inscriptiones illustratae, Parmae,* 1833. 8.
Bernardinus a Portu Romatino, *Memoriale degli spirituali Esercizii, Vienna,* 1856, fol. max. color.
Bonaventura a Maserio, *Elia Marassi, Vicenza,* 1865. 24.
Bonaventura a Verona, *Opuscula astrologica, Tarvisii,* 1681, 1687; *Venetiis,* 1688.
Dionysius a Bergomo, *Opuscula mathematicae, cosmographiae et geometriae.*
Fidelis a Fanna, *Ratio novae collectionis Operum Ser. Doct. S. Bonaventurae, Taurini,* 1874, 8[2].
» *Miscellanea ex revisione plurimorum codicum*[3].

---

[1] P. Gratianus a Feltria, mense Februario an. 1866 Sinas Missionarius adivit, moxque ab Episcopo Zanoli Vicario Apostolico *Hu-pè* Pro-Vicarius designatus fuit; et anno 1870 vastissimo Vicariatu in tres diviso, ipse in novum Vicariatum *Hu-pè* meridionalis secessit, eumque Episcopus Filippi in suum Pro-Vicarium instituit. Pro animarum salute nulli unquam labori parcens, novam etiam in *I-tchang* Christianitatem fundavit. Morbum vitae suae insidias parantem curaturus, an. 1880 in Italiam redivit, unde, valetudine utcumque restituta, Sinas remeavit, apostolicos labores magnanimiter reassumpturus, eosque alacriter prosecutus est, graves corporis languores despiciens. At die secunda Augusti an. 1882, hora quarta post meridiem apoplexia correptus, hora nona eiusdem diei placidissime animam Deo reddidit.

Quatuor eius epistolae ex Imperio sinensi missae, typis commissae fuerunt. Prior ex *Hong-Kong* die 26 Decembris 1865 legitur in *Cronaca delle Missioni Francescane,* an. VI, pag. 142; et gallice in *Annales Franciscaines,* Lovanii, 1866, an. VI, l. 3. pagg. 150-156. Secunda et tertia inveniuntur in *Museo delle Missioni Cattoliche* Taurini, an. 1867, n. 12; quae duae cum alia posteriore prodierunt etiam germanice in ephem. *Salzburger Kirchenblatt,* an. 1866, n. 47, 48, 49, 50, 51; et an. 1867, n. 34.

[2] Auctor « per breve tempus a visitandis bibliothecis desistens, composuit librum: *Ratio novae* etc., in quo et de causis atque methodo novae editionis parandae diffuse disserit, et de quibusdam S. Bonaventurae libris manuscriptis tractat, varia inde exhibendo specimina; denique catalogum contexit ineditorum operum, quae sub nomine S. Bonaventurae in multis bibliothecis exstant, et quae usque eo detexerat. Hic liber, licet brevissimo tempore confectus, a viris doctis atque in arte critica exercitatis, ubique cum plausu receptus est ». Ita Editores Opp. S. Bonav. in *Praefat. Gener. pag. X,* qui ibidem in Nota haec addiderunt memoratu digna: « Clarissimus Prof. Leopoldus Delisle, manuscriptis Nationalis Bibliothecae Parisiensis Praefectus, in publica sessione Academiae Inscriptionum hunc librum laudibus prosecutus est. Occasione eiusdem libri Regalis Academia Historiae Matritensis in Congregatione die 3 Decembris 1877 habita, sua sponte honorificum diploma membri correspondentis extranei P. Fideli impertiri decrevit ».

[3] De maxima enuntiatae *Miscellaneae* utilitate audiendi sunt Editores praedicti, qui *l. c. pagg. VIII-X.* haec habent. « Optimo consilio R.mus Minister Generalis P. Bernardinus a Portu Romatino

Franciscus Antonius a Feltria, *Dissertazione sopra un' antichissima Croce, Feltre,* 1781. 4.
Georgius a Verona, *Dell' arte nautica.*
» *Trattato di Aritmetica.*
Ioannes a Bassano, *Degli orologii da acqua e da polvere.*
» *Modo di comporre i colori.*

---

an. 1871 proposuit publicare novis curis et studiis editionem operum S. Bonaventurae completissimam... Ad quod opus perficiendum elegit virum maxime idoneum, P. Fidelem a Fanna, Provinciae Venetae Lectorem Theologum. Qui cum per decem annos immensis laboribus omnia monumenta ad hanc editionem spectantia collegerit, et ideam parandi hanc editionem, adhibitis omnibus modernae artis criticae subsidiis, conceperit, viamque ad eam executioni mandandam forti animo aperuerit, merito totius huius editionis primus et principalis auctor censeri debet... Praemissis diligentissimis studiis praeparatoriis, mox perspexit, non sufficere antiquas editiones utcumque recognitas iterum prelo subiicere, sed meliores codices manuscriptos, sive edita opera contineant sive anecdota, ex bibliothecarum pulvere esse conquirendos, consulendos, ad apicem conferendos, ut nova illa editio foret completa et iuxta artis criticae regulas correcta. Unde speciali diplomate R.mi Ministri Generalis munitus, plurium bibliothecarum thesauros felici successu perlustrare coepit. Litteris Venetiis 14 Iulii 1871 datis et ad Praefectos praecipuarum Europae bibliothecarum missis, iam notitias plurimas de codicibus ad S. Bonaventuram spectantibus colligere potuit. Nihilominus neque hoc satis sufficere intellexit, sed sibi ipsi bibliothecas adeundas et accurate perlustrandas esse, quo omnia documenta huc spectantia colligere posset. Unde praeter Italiam peragravit omnes Europae terras, si excipias Russiam et Sueciam, nec ulli cedebat difficultati, nec parcebat labori, ut colligeret ex bibliothecis tum publicis tum privatis etiam documenta minoris momenti, quae aliquo modo opera vel vitam S. Bonaventurae possent illustrare. De methodo sane idonea, quam in perscrutandis bibliothecis sequebatur, ipse in libro suo mox laudando rationem reddidit. Hac diligentia et hac sua methodo adhibita, et plura hucusque anecdota Seraphici Doctoris opera in latebris bibliothecarum delitescentia detexit, et meliores iam editorum librorum codices ad textum eorum non raro depravatum vel mutilum emendandum conquisivit, et plurima historiae litterariae documenta notavit, quae tot quaestionibus circa genuina S. Doctoris opera obortis, nec hucusque sufficienti modo solutis, certius resolvendis inservirent. Incredibili studio parique diligentia et eximia artis paleographicae peritia octo annorum spatio fere quadringentas bibliothecas Galliae, Angliae, Belgii, Helvetiae, Germaniae, Daniae, Austriae, Bavariae, Bataviae, Hispaniae, Portugalliae, Italiae perlustravit, et plurium sociorum auxilio suffultus, ad minus quinquaginta millia codicum accuratius examinatorum in multis voluminibus manu exaratis descripsit. In his suis commentariis, praeter ea quae ad S. Bonaventuram spectant, plurimos etiam aliorum auctorum codices manuscriptos memoratu dignos diligenter adnotavit, praesertim eos omnes qui ad Ordinis nostri auctores ante saeculum XVI viventes, vel ad historiam Ordinis spectant. Quae notitiae de antiquis Ordinis nostri auctoribus, eo pluris faciendae sunt, quod magna horum operum pars nondum prelo publicata, et non pauca ipsi Waddingo et Sbaraleae sunt incognita ».

Hucusque Editores. Porro P. Fidelis ortum habuit in parvo vico Fannae, provinciae Fori-Iulii (Friuli) die 24 Decembris 1838, et die 29 Septembris an. 1855 Venetiis in Conventu S. Michaelis in insula habitum Seraphicum suscepit a R.mo P. Bernardino a Portu Romatino, tunc Ministro Reformatae Provinciae Venetae, et actuali Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci. Praeclaro ingenio, singulari diligentia, atque firmo constantique animo praeditus, insignes fecit progressus in studiis rhetoricae (1856-57), philosophiae (1858-59) et S. Theologiae (1860-63), quo tempore etiam doctrina vere seraphica S. Bonaventurae initiatus, ita in scientiis excultus et maturus Superioribus suis

Ioannes Clementes a Venetiis, senior, *Scuola di erudizione, Venezia*, 1720. 1722. vol. 3. 4.
Petrus Antonius a Venetiis, *Dei terremoti.*
Sigismundus a Venetiis, iunior, *Memorie sui Cimiteri, Venezia*, 1841. 8.
» *Bibliografia universale, Venezia*, 1842. 8.

---

visus est, ut ipsi, studiis passivis nondum plene finitis, munus Lectoris imponerent; nec spes de eo concepta fefellit. Philosophicas disciplinas et Breviloquium S. Bonaventurae optime in scholis nostris explicavit; sed ob temporum vicissitudines cum suis clericis studentibus locum mutare coactus est, docendo an. 1866-67 in Conventu Sebatensi (Schwaz) Provinciae Tyrolensis S. Leopoldi, et deinde in Conventu Cimellae prope Nicaeam (Nizza). Anno tamen 1869 gravi pectoris morbo bis repetito, coactus est docendi muneri renuntiare. Interim occasione a Concilio Vaticano data, an. 1870 Romam a R.mo Ministro Generali vocatus est, ut genuinam S. Bonaventurae de praerogativis Summi Pontificis doctrinam defenderet, quod brevissimo tempore absolvit egregio opere: *Ser. Doct. S. Bonaventurae de Rom. Pontificis primatu et infallibilitate.* Paulo post contra pseudo-liberalismum scripsit italice tractatulum: *Urgente escursione* etc.

Labores eius ad novam editionem operum S. Bonaventurae superius indicavimus. Cum autem R.mus P. Minister Generalis interea domum idoneam sub titulo Collegii S. Bonaventurae, prope Florentiam in vico, qui vulgo vocatur *Quaracchi* (Clarae Aquae), parasset, P. Fidelis annis 1878-79, praeter bibliothecarum perlustrationem, non parum curae et laboris suscepit, ut Collegio bibliothecam idoneam compararet, ibique a die festo S. Bonaventurae an. 1879 cum pluribus sociis proximae praeparationi eiusdem editionis totis viribus incumbebat. At laboribus fractus, gravi diuturnoque morbo tentatus, die 12 Augusti an. 1881 pie inter fratrum preces in Domino obdormivit. *Consummatus in brevi* (vix 43 annorum tempore) *explevit tempora multa (Sap. 4. 13).*

TABULA CHRONOLOGICA

STRICTIORIS OBSERVANTIAE S. P. N. FRANCISCI[1]

CONCINNATA

A P. ANTONIO MARIA A VICETIA

LECT. THEOL. CHRONOL. ET EX-MIN. PROVINCIAE REFORM. S. ANTONII VENETIARUM.

ANNO DOMINI

1488. P. Ioannes a Puebla strictiorem vivendi rationem instituit, et ex Discalceatis Custodiam Angelorum in Hispania erigit.

1496. P. Ioannes a Guadalupo, eius discipulus, pontificia fretus auctoritate, Custodias Discalceatorum Pietatis in Lusitania, et S. Evangelii in Extremadura erigit.

1499. Nascitur S. Petrus de Alcantara.

1506. Custodia S. Evangelii obedientiae Ministri Generalis totius Ordinis Minorum se subiicit.

1515. S. Petrus de Alcantara in Custodia S. Evangelii habitum Franciscanum sumit.

1517. Leo X Conventuales disiungit ab Observantibus, quibus ceterae Congregationes reformatae uniuntur.

1518. Custodia Pietatis in provinciam erigitur.

1519. P. Franciscus Lichetto, Minister Generalis, Reformatis Italis Conventus nonnullos ab urbibus remotiores et angustiores assignat.

1520. Custodia S. Evangelii in provinciam erigitur sub invocatione S. Gabrielis Archangeli. — Circa haec tempora Reformatio introducitur in provinciis Argentina et Coloniensi, ambae Recollectorum.

1523. P. Franciscus Quinnonius, Minister Generalis, duodecim fratres ex provincia Discalceatorum S. Gabrielis in Americam mittit, quibus Ven. P. Martinus a Valentia praeficitur. Haec fuit *prima missio*, ut ait Marianus, *Fratrum Reformatorum in Novam Hispaniam.* — Custodia S. Evangelii

---

[1] « Poterat aequo iure praetermitti particularis Discalceatorum, Recollectorumque tractatus, iidem enim sunt cum fratribus Reformatis, quoad normam vivendi, praeter quasdam mere accidentarias circumstantias ». *P. Michael Angelus a Neapoli, Min. Obs. in Chronol. Ordinis*, fol. 319. « Quantum ad Recollectos in Gallia, Reformatos in Italia et Discalceatos in Hispania, iidem sunt inter se, et vulgi nomine, seu terrarum ac provinciarum spatiis solummodo disterminantur ». *P. Arturus a Monasterio, Min. Recoll. in Addition. ad Martyrol. Francisc.* pag. 651, col. 1, § 210

Discalceatorum in Mexico erigitur. — Provinciae Thuringiae et Flandriae Recollectorum instituuntur.

1525. Iussu eiusdem P. Ministri Generalis, in Congregatione Generali Assisiensi publice legitur epistola, in qua reformata vivendi norma et leges praescribuntur.

1531. P. Ferdinandus Vaqueyro, provinciae Pietatis alumnus, primus Indiarum Occidentalium Episcopus creatur.

1532. Clemens VII Bullam *In Suprema* emanat, qua iuridica Reformatorum Familiae Cismontanae ab Observantibus distinctio asseritur, eorumque Conventus in Custodias eriguntur. — Provincia Germaniae inferioris, olim Brabantiae, Recollectorum instituitur.

1534. Ad caelestia vocatur Ven. P. Martinus a Valentia, Indiarum Occidentalium Apostolus nuncupatus. — Custodia Mexicana S. Evangelii in provinciam erigitur.

1536. P. Didacus de Sylva, provinciae Pietatis alumnus, primus Inquisitor Generalis Regni Lusitaniae eligitur.

1541. In Indiis Occidentalibus P. Ioannes a Spiritu sancto pro Christi fide occiditur.

1546. Ad astra conscendit P. Simon a Calataxibetta, strenuus Reformationis promotor in Sicilia — Moritur etiam Ven. P. Antonius Nibrisensis, provinciae Pietatis filius, sanctitate conspicuus.

1548. Custodia Discalceatorum Ss. Simonis et Iudae in Gallaecia erigitur, quae tamen paulo post supprimitur.

1552. In Africa glorioso donatur martyrio Fr. Alexander Ioannes, laicus, italus, sed ex Discalceatis provinciae hispanicae S. Gabrielis.

1555. S. Petrus de Alcantara, Commissarius Generalis institutus, strictissimae S. Iosephi provinciae fundamenta ponit.

1558. Provincia S. Andreae Recollectorum in Belgio fundatur.

1560. Erigitur provincia Discalceatorum *de la Arabida* in Lusitania.

1561. Erigitur provincia Discalceatorum S. Iosephi in Castella.

1562. S. Petrus de Alcantara ad caelestia vocatur.

1565. Provincia Discalceatorum S. Antonii in Lusitania erigitur.

1568. S. Pius V praecipit, ut in qualibet provincia duo ad minus Conventus reformatorum existant.

1575. Fr. Antonius a S. Iosepho, laicus ex provincia S. Iosephi, Custodiam S. Gregorii in Insulis Philippinis erigit.

1576. Venerabilis P. Angelus de Pas a Perpiniano Custodiam Reformatorum in Catalaunia instituit, quae paulo post provincia declaratur, sed statim extinguitur.

1577. Provincia S. Ioannis Baptistae Discalceatorum in Regno Valentiae erigitur.

1578. Gregorius XIII Reformatos Hispanos, vulgo Discalceatos, immediatae iurisdictioni et correctioni Ministri Generalis de Observantia subiicit.

1579. Idem Pontifex Reformatis utriusque Familiae per Bullam *Cum illius vices*, novos favores concedit. — Reformatio ex Italia in Galliam introducitur. — Natiani in Custodia Reformata Romana, magna sanctitatis fama decedit P. Stephanus a Molina, hispanus, primus et praecipuus Reformationis Italicae

promotor. — In Sicilia moritur Fr. Ludovicus a Calatahierone, laicus, reformatus, sanctimonia insignis.

1580. Ex Custodia Discalceatorum S. Gregorii in Insulis Philippinis octo Missionarii in Imperium Annamiticum mittuntur, ubi subinde florida Missio stabilitur. — Compluti Ven. P. Franciscus Torres, eximius concionator apostolicus, et Fr. Sebastianus a Fuerte Escusa, laicus, divinis charismatibus praeclarus, ambo Discalceati, pie in Domino moriuntur.

1581. P. Marcus ab Ulyssipone, provinciae Discalceatorum S. Antonii in Lusitania filius, et notissimus Chronicorum Ordinis collector, Episcopus Portugallensis creatur.

1582. Venerabilis P. Franciscus Gonzaga, Minister Generalis, methodum praescribit in conventibus Reformatorum servandam.

1585. Ad Superos vocatur Fr. Georgius a Calceata, laicus Discalceatus prov. Castellae novae, virtutibus et supernis illustrationibus conspicuus.

1586. Custodia S. Gregorii in Insulis Philippinis declaratur provincia.

1587. Agrigenti in Sicilia fatis concedit P. Cherubinus a S. Lucia, Reformatus, insignis sanctitate.

1589. Panormi item in Sicilia ad caelos vocatur S. Benedictus a S. Philadelphio, laicus, Reformationis strenuus propagator, ac miraculis in vita et post mortem gloriosus.

1592. Apud Villam Regalem in provincia Discalceatorum Valentiae S. Paschalis Baylon, laicus, terrenam vitam cum caelesti commutat.

1594. Sanctuarium S. P. N. Francisci in Insula Deserti prope Venetias Reformatis assignatur. — Provincia Discalceatorum S. Pauli in Castella veteri erigitur.

1595. P. Bonaventura a Calatahierone, Minister Generalis, publici iuris facit Constitutiones pro Reformatis Familiae Cismontanae, partim eas colligendo, quae iamdiu a suis praedecessoribus in hac nostra familia publicatae fuerant, partim addendo particularium aliquarum Reformationum Constitutiones. — In Custodia Romana P. Sanctes a Ripatransone, et in Sicilia Fr. Innocentius a S. Lucia, laicus, ambo, ex familia Reformata magna sanctitatis fama decedunt.

1596. Congregatio PP. Reformatorum Familiae Cismontanae nonnulla peculiaria statuta condit. — Reformatur in Gallia provincia Britanniae Recollectorum. — Romae in Conventu S. Petri de Monte Aureo sanctissime vitam finit Venerabilis P. Angelus de Pas Perpinianensis ex familia Reformatorum, doctrina, virtutibus, divinis charismatibus et potentia in daemones praeclarissimus, pro cuius beatificatione nunc agitur.

1597. In Iapponia Ss. Petrus-Baptista a Castro S. Stephani, Martinus ab Ascensione, Franciscus Blanco, sacerdotes hispani, Philippus a Iesu, clericus mexicanus, Franciscus a S. Michaele, hispanus, et Gundisalvus Garzias lusitanus, laici, omnes ex Discalceatorum familia, cum septemdecim tertiariis, in crucem pro Christi fide figuntur. — Clemens VIII pro solidiori Reformationis incremento Visitatores Apostolicos ad Custodias Cismontanas mittit.

1598. Reformatio a Fratribus Italis in Germaniam invehitur. — P. Gotefridus Anglus, Reformatae Romanae Custodiae filius, in Anglia martyrio coro-

natur. — P. Franciscus a S. Ioanne, ex Discalceatis, dum Iapponiam peteret, in navi ab infidelibus in odium verae fidei trucidatur.

1599. Provincia Discalceatorum S. Didaci in Mexico erigitur.

1600. Proprius Procurator Generalis Reformatis Cismontanae Familiae assignatur. — Reformati Galli (vulgo Recollecti) ad Canadiam aliasque Americanas colonias Galliae subiectas mittuntur. — Discalceati provinciae S. Antonii in Lusitania Missionem in Insula Ceylanensi instituunt.

1601. Gandiae in Hispania moritur B. Andreas Hibernonius, laicus Discalceatae provinciae Valentiae, miraculis celeberrimus. — Reformatis in Gallia degentibus Clemens VIII Bullam Gregorii XIII extendit, et praecipit, ut eisdem saltem una vel duo domus in omnibus provinciis assignentur.

1602. Idem Clemens VIII declarat Reformatos esse vere filios, et indubitanter fratres Ordinis S. Francisci.

1603. Cardinalis Ordinis Protector, pontificia auctoritate, P. Procuratori Generali Reformatorum Familiae Cismontanae omnia iura et privilegia iamdiu P. Procuratori Generali Ordinis concessa extendit. — In Domino obdormiunt Fr. Matthaeus ab Agrigento clericus, et Fr. Dominicus a Monteleone, laicus, ambo ex Reformata Custodia Sicula, sanctitate praeclari.

1604. Circa haec tempora Missio Constantinopolitana Reformatis ceditur.

1605. Provincia Discalceatorum S. Gregorii Missiones instituit in Insulis Guadalupensibus et Salomonis.

1607. Panormi moritur in odore sanctitatis Fr. Bartholomaeus a Monte Albano, siculus, laicus ex Reformatis.

1608. Coneglani in osculo Domini obdormit P. Pacificus a Venetiis, primus Custos Venetae Reformationis, ante et post obitum signis ac prodigiis, ut fertur a Deo illustratus.

1609. In Iapponia Ven. P. Didacus a Cruce Discalceatus martyrii palmam obtinet. — In regno Valentiae P. Bartholomaeus Ximenes, item ex Discalceatis, a Mauris necatur. — In Palaestina P. Bonaventura a Columnella, ex Reformata Custodia Aprutiorum, a Turcis pro Christi fide interficitur. — Fr. Lucas de Salas Discalceatus, post multos exantlatos labores in Evangelio apud Iapponenses disseminando, ad Philippinas remeare coactus, in mari mortem, quam praedixerat, invenit.

1610. In Insulis Tugulandis P. Sebastianus a S. Iosepho, et Fr. Paulus a S. Anna, laicus, hispani, Discalceati, martyrii palmam consequuntur. — in Sicilia moritur P. Angelus a Calatahierone reformatus, vitae sanctitate illustris.

1612. Provinciae Recollectorum S. Bernardini et S. Dionysii in Gallia eriguntur.

1613. Rex Voxii in Iapponia B. Ludovicum Sotelo Discalceatum cum nobilibus quibusdam regni proceribus ad Paulum V solemni legatione mittit. — P. Ludovicus a S. Didaco Discalceatus ad fidem convertit haeredem regni Iaffanatapan, cum matre ac multis militibus.

1614. Moritur in Sicilia Fr. Franciscus a Camerata, laicus reformatus, singulari praerogativa virtutum insignis.

1616. In Iapponia Fr. Alphonsus a Solitudine, hispanus ex Discalceatis, martyrio coronatur. — In Provincia S. Gabrielis P. Franciscus a S. Iacobo, item Discalceatus, Immaculatae Conceptionis B. M. V. strenuus assertor, piissime decedit.

1617. In Iapponia B. Petro ab Ascensione ex Discalceatis caput obtruncatur. — Romae in Conventu S. P. Francisci trans Tyberim, moritur Ven. P. Bartholomaeus a Saluthio Reformatus, doctrina, zelo animarum et sanctimonia celeberrimus. — In Conventu S. Didaci *del Corrae de Almaguer* decedit P. Balthassar a S. Francisco, Discalceatus, in Deum et proximum pietate conspicuus.

1618. B. Ioannes a S. Martha, Discalceatus, in Iaponia martyrio decoratur. — In Barensi Custodia moritur cum nota sanctitatis Fr. Didacus a Francavilla, laicus reformatus. — P. Benignus a Ianua, Reformatae Custodiae Siculae filius, in Generalem totius Ordinis Ministrum eligitur, ex Strictiori Observantia primus.

1619. P. Blasius a Granata, Discalceatus, in Insulis Moluchis pro Christi fide sanguinem fundit. — Provincia S. Didaci Discalceatorum in Baetica, et Immaculatae Conceptionis, necnon S. Mariae Magdalenae, Recollectorum, in Gallia eriguntur.

1620. Provincia S. Francisci Recollectorum in Gallia erigitur.

1621. Moriuntur sanctitate celebres P. Sanctes a Cotonio ex Custodia Thusciae, Fr. Seraphinus a Panormo diaconus siculus, et Fr. Silvester a Cupertino, ex Custodia Barensi, omnes reformati. — Gregorius XV die 10 Septembris proprium Procuratorem Generalem Reformatis Hispaniae et Indiarum concedit; et die 24 Novembris Definitores, Commissarios et Vicarios Generales pro Reformatis utriusque Familiae instituit.

1622. BB. Apollinaris Franco, Commissarius Generalis, hispanus, Discalceatus, Richardus a S. Anna, belga, Recollectus, Petrus ab Avila et Vincentius a S. Iosepho, hispani, nec non Franciscus a S. Bonaventura et Petrus a S. Clara, Iapponenses, omnes ex Discalceatis, cum duobus tertiariis, in Iapponia in odium fidei comburuntur. — Martyr quoque decidit in Insula Malacae Fr. Ioannes a Palma, laicus ex Discalceata provincia Valentina. — Valentiae magna sanctitatis fama moritur P. Antonius Sobrino, pariter ex Discalceatis. — Provincia Discalceatorum Matris Dei de Malaca in Indiis Orientalibus erigitur.

1623. In Iapponia B. Franciscus Galvez, hispanus, Discalceatus, per ignem ad aeternum ducitur refrigerium. — Taurini in Pedemontio moritur Ven. Fr. Laurentius a Ruello, laicus reformatus, pro cuius beatificatione processus confecti fuerunt.

1624. B. Ludovicus Sotelo, hispanus, ad Catholicum Regem, Romanumque Pontificem iam Legatus, et Iapponiae Episcopus electus, simul cum BB. Ludovico Sosanda, et Ludovico Baba, Iapponensibus item Discalceatis, in Iapponia igni traditur. — Moritur in odore sanctitatis Fr. Andreas Rodriguez laicus ex Discalceata provincia Valentiae. — Varsaviae pie obit P. Alexander a Patavio ex Custodia Reformata Mediolanensi, praecipuus in Polonia Reformationis propagator — Urbanus VIII S. Lateranensem Poenitentiariam Minoribus Reformatis in perpetuum et exclusive assignat. — Idem Pontifex revocat concessiones a Gregorio XV factas Reformatis utriusque Familiae, eosque Ministro Generali de Observantia iterum subiicit.

1625. Eiusdem Pontificis iussu Reformati in Sacro Alverniae Monte PP. Observantibus substituuntur. — Provincia Bavariae reformatur.

1627. In Iapponia BB. Franciscus a S. Maria hispanus, Bartholomaeus Laurel mexicanus, et Antonius a S. Francisco iapponensis, omnes ex Discalceatis, cum octo ex tertio Ordine pro Christo concremantur. — Provincia Bohemiae et provincia S. Leopoldi in Tyroli Septentrionali reformantur.

1628. In Iapponia BB. Antonius a S. Bonaventura hispanus, et Dominicus a Nangasachio, iapponensis, Discalceati, cum novem tertiariis per ignem Christi fidem testantur. — Provincia Recollectorum S. Iosephi in Flandria erigitur.

1629. Provincia SS. Salvatoris in Hungaria reformatur.

1630. Matriti moritur Fr. Franciscus a Cogolludo, laicus discalceatus ex provincia Castellae novae, miraculis famosus. — Missiones in Imperio Fezzae et Marocchii a Discalceatis instituuntur. — Provincia Angliae restauratur, et inter Recollectas adscribitur.

1631. Marocchi B. Ioannes de Prado, iam primus Minister provinciae Discalceatorum S. Didaci, glorioso afficitur martyrio. — In Bohemia P. Patritius Flemming et Fr. Matthaeus Hory diaconus, Recollecti ex provincia Hiberniae, ab haereticis hussitis in odium fidei necantur. — Romae in Conventu S. Petri de Monte-Aureo animam exhalat Venerabilis Fr. Innocentius a Chiusa, laicus reformatus, sanctis moribus et divinis illustrationibus ornatus, cuius causa apud S. R. Congregationem introducta fuit. — P. Bonaventura a Palatiolo, ex Ref. Cust. Pedemontana, Missiones in Vallibus Lucernae in ditione Subalpina ad Valdensium conversionem fundat.

1632. In Iapponia BB. P. Hieronymus a Cruce, iapponensis, et Fr. Gabriel a Magdalena, hispanus, Discalceati, sulphureis immerguntur aquis, ac tandem comburuntur. — P. Hieronymus a S. Iosepho, item Discalceatus, dum Iapponiam peteret, ab infidelibus in navi capite truncatur. — In Ducatu Virtemburgico P. Adulphus Ardelph tyrolensis, provinciae Recollectae Argentinensis filius, ab haereticis Svecis interimitur. — Provincia Austriaca S. Bernardini reformatur.

1633. In Iapponia P. Didacus a S. Francisco et Fr. Martinus a S. Bonaventura Discalceati, martyrii palmam assequuntur.

1634. In Albania, et paulo post etiam in Macedonia et in Servia, Missiones a Reformatis eriguntur.

1635. Osacae in Iapponico Regno P. Aloysius Gomez per ignem ad caeleste refrigerium transit. — Ibidem PP. Ginesius Queseda et Ioannes Torella in foveae supplicio animam Deo reddunt. — In eodem regno FF. Cosmas Llugas et Vincentius a S. Laurentio, laicus, omnes ex Discalceatorum familia, martyrio coronantur. — Provincia Recollectorum SS. Sacramenti in Gallia instituitur.

1636. Piissime decedit P. Antonius a Galbiato, ex Custodia Mediolanensi, Episcopus Ripanus, praecipuus Reformationis promotor in Germania.

1637. In Conventu suae patriae moritur B. Humilis a Bisiniano, laicus ex reformata Custodia Calabriae Citerioris, virtutibus et spiritu prophetico admirandus. — P. Franciscus a Venetiis, Custodiae Reformatae Venetae filius, Missionem Tripolitanam in Africa instaurat.

1638. In Aethiopia PP. Cherubinus a Calatahierone, Siculus, et Franciscus a Taranto ex Apuliae Custodia, reformati, glorioso coronantur martyrio.

1639. Urbanus VIII Custodias Familiae Reformatae Cismontanae in provincias erigit, quae iuxta ordinem in Comitiis Generalibus servatum, sunt sequentes:

1. Seraphica S. P. Francisci.
2. Romana S. Michaelis Archangeli.
3. Marchiae.
4. Thusciae.
5. Bononiensis.
6. Veneta S. Antonii.
7. Ianuensis S. Antonii.
8. Mediolanensis.
9. Principatus.
10. Calabriae Ulterioris, Ss. Septem Martyrum.
11. Siciliae, seu Messanensis, seu Vallis Daemonis.
12. Barensis S. Nicolai.
13. Aprutiorum S. Bernardini.
14. Apuliae S. Angeli.
15. Corsicae.
16. Brixiensis.
17. Basilicatae, seu Lucana.
18. Neapolitana et Terrae Laboris.
19. Calabriae Citerioris.
20. Insubriae S. Didaci.
21. Taurinensis S. Thomae Apostoli.
22. Vallis Mazzariae, seu Panormitana.
23. Vallis Nethi.
24. Poloniae Maioris S. Antonii.
25. Poloniae Minoris S. Mariae Angelorum.

1640. Custodia Reformatorum Transylvaniae, a provincia SS. Salvatoris disiuncta, erigitur sub invocatione S. Stephani Regis.

1640. In Iapponia P. Didacus a Cruce martyrio coronatur.

1642. Reformati Familiae Cismontanae in Generali Romana Congregatione diei 7 Iunii Constitutiones proprias in unum collectas, specialique Apostolica adprobatione munitas, publicant.

1643. Urbanus VIII duodecim Missionarios hispanos discalceatos in Sinense Imperium mittit, quibus P. Antonius a S. Maria praeficitur. — Provincia Reformatorum S. Vigilii in ditione Tridentina, a Veneta avulsa, erigitur.

1644. In Albania PP. Paulus a Mantua, ex provincia Veneta, et Salvator ab Ophyda ex prov. Marchiae, ambo reformati, pro Christi fide occiduntur.

1645. P. Ioannes a Neapoli, secundus ex Reformatis, Minister Generalis eligitur. Is Chronologiae historico-legalis Ordinis primus ideam concepit, eiusque compilationem P. Michaeli-Angelo a Neapoli, Regul. Observantiae commisit.

1647. S. Congregatio de Propaganda Fide die nona Iulii huius anni Decretum

emanavit, ut *Guardianus Hierosolymitanus et maior pars familiae sint Reformati.* Hoc tamen Decretum in desuetudinem iamdiu abiit.

1648. In Aethiopia PP. Antonius a Petra Pagana et Felix a S. Severino, ex provincia Principatus, ac Iosephus ab Atina ex Romana; et in Albania PP. Ferdinandus ab Albissola provinciae Ianuensis, et Iacobus a Sarnano provinciae Romanae, omnes ex familia Reformatorum, martyrii palmam adipiscuntur.

1649. Agentibus potissimum PP. Francisco Maxentio ab Arco, Reformatae provinciae Venetae filio, provinciae S. Vigilii fundatore, et per Germaniam Superiorem Commissario Generali Nationali, ac Seraphino Bernardi, Ministro Reformatae provinciae Austriacae, Universitas Vindobonensis iusiurandum solemniter emittit perpetuo tuendi sententiam pro Immaculata Conceptione B. M. V.

1653. Tripoli in Barberia in odium fidei occiditur P. Ioan. Baptista a Ponte, ex Reformata provincia Taurinensi. — In Corsica decedit Ven. P. Bernardinus a Calentiana reformatus, pro cuius beatificatione modo agitur.

1655. In Vallibus Lucernae in Pedemontio P. Clemens a Brixina Reform. prov. Venetae, et Fr. Didacus a Valderio, laicus Reform. provinciae Taurinensis, a Valdensibus in odium catholicae veritatis interficiuntur.

1656. Casali in Monteferrato piissime obit P. Ioannes Baptista a Turricula, strenuus iam Reformationis promotor in Hungaria Inferiori.

1657. Romae, in Conventu S. Isidori, pie moritur celeberrimus P. Lucas Waddingus, provinciae Hibernicae Recollectorum alumnus, Annaliumque Ordinis eruditissimus et diligentissimus scriptor. — Custodia Brasiliensis S. Antonii Discalceatorum in provinciam constituitur.

1658. P. Michael-Angelus a Sambuca, Siculus, Minister Generalis eligitur, ex Reformatis tertius.

1659. Provincia Hungarica Reformatorum sub titulo S. Mariae erigitur. — Provincia Granatae, seu S. Petri de Alcantara Discalceatorum, divisa a provincia S. Ioannis Baptistae, instituitur.

1661. In provincia Barensi moritur Fr. Antonius a Casalenovo, laicus reformatus magnae perfectionis.

1662. In urbe Cayri in Aegypto P. Innocentius a Roma, reformatus, pro Christi fide a Turcis interficitur. — Ven. Fr. Bonaventura a Barcinone sacros Recessus in Reformata provincia Romana instituit.

1663. P. Michael-Angelus a Sambuca, Minister Generalis, Generalium Statutorum compilationem publicat, ab eius nomine *Sambucanam* appellatam. — Londini in Anglia a Regina Catharina Lusitana Conventus pro duodecim fratribus Discalceatis provinciae Algarbiorum, seu *de la Rabida*, aedificatur.

1667. Provincia Recollectorum S. Antonii in Arthesia erigitur.

1668. In Aethiopia PP. Ludovicus a Laurentiana ex Reform. prov. Basilicatae et Franciscus a Mistretta, ex Reform. prov. Siciliae, martyrio coronantur.

1669. Clemens IX S. Petrum de Alcantara solemni ritu inter Sanctos adscribit. — Mantuae magna sanctitatis fama decedit P. Massaeus Vitali, ex prov. Reform. Veneta, eiusdem urbis episcopus, pastorali sollicitudine et omnium virtutum exercitio praestantissimus, divinarumque rerum scientia et virtutibus praeclarissimus.

1670. Romae in Conventu S. P. N. Francisci ad Ripas moritur B. Carolus a Setia, laicus reformatus ex provincia Romana. — Provincia Solitudinis in Lusitania, Discalceatorum, divisa a Provincia Pietatis, erigitur. — Custodia S. Petri de Alcantara pro Discalceatis hispanis in Regno Neapolitano erigitur.

1672. Gallipoli decedit cum fama sanctitatis P. Franciscus a Siclis, Reform. prov. Barensis filius.

1675. Custodia S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano provincia declaratur. — Provincia Immaculatae Conceptionis Discalceatorum in Brasilia erigitur.

1679. In mari Siamensi P. Alphonsus a S. Iosepho discalceatus, Iapponiam petiturus, ab infideli nauta occiditur. — Brixiae moritur P. Ludovicus a Breno, reformatus, iam Missionarius Apostolicus in Vallibus Lucernae, sanctitate praeclarus.

1680. Innocentius XI Reformatis Familiae Cismontanae Missionem in Imperio Sinensi assignat, quam adhuc tenent. — P. Ludovicus Hennepin, Recollectus Flander, regionem Mississipi detegit.

1682. Nova missio in Louisiana a Recollectis Gallis instituitur. — Tarenti pie moritur Fr. Aegidius a Tarento, laicus Reform. provinciae Barensis.

1683. Multi Fratres ex provincia Reformata Austriaca a Turcis necantur.

1684. Romae in Recessu S. Bonaventurae decedit Venerabilis Fr. Bonaventura a Barcinone, laicus reformatus, S. Recessus in Reformata provincia Romana fundator, cuius virtutes heroicae declaratae fuerunt.

1685. Panormi moritur Fr. Bernardinus a Sambuca, laicus ex Reform. provincia Vallis Mazzariae, virtutibus eximiis spectabilis.

1689. Provincia S. Crucis, seu Croatiae-Carnioliae reformatur.

1690. S. Paschalis Baylon Sanctorum fastis ab Alexandro VIII solemniter adscribitur. — Missiones in Peloponneso a provincia Reform. Veneta instituuntur.

1695. Saidae in Palaestina Fr. Didacus a Pomarico, laicus e Ref. prov. Basilicatae, a Turcis in odium verae fidei necatur.

1697. Tertio Missionarii Reformati in Aethiopiam mittuntur; at paulo post expelluntur.

1700. Innocentius XII P. Franciscum a Saleme ex provincia Siciliae, et post huius mortem P. Iosephum Mariam a Ierosolymis, ex provincia Romana, cum duobus sociis Carolum a Cilento ex Lucania, et Theodorum Krump ex Bavaria, omnes ex familia Reformatorum, ad Imperatorem Aethiopiae legatos mittit.

1703. In urbe Cayri P. Franciscus Clemens Gallus, ex provincia Recollecta Lugdunensi, martyrio afficitur. — Clemens XI proprium Procuratorem Generalem fratribus Strictioris Observantiae Familiae Ultramontanae, Discalceatis scilicet et Recollectis, Germano-Belgicis exceptis, concedit.

1704. Viginti Missionarii ex familia Reformatorum in Aethiopiam mittuntur. — In Imperio Sinensi moritur P. Basilius Brollo a Glemona, ex Reform. provincia Veneta, Vicarius Apostolicus provinciae Xen-si et Xan-si, qui plura infidelium millia ad Christi cognitionem adduxit, et plures libros, et praecipue Dictionarium Sinico-Latinum, omnium praestantissimum et saepe recusum, et in plures linguas translatum, lucubraverat.

1705. Provincia Discalceatorum Immaculatae Conceptionis *de la Beyra* in Lusitania erigitur, divisa a provincia S. Antonii.

1709. Nicosiae in Sicilia moritur Fr. Benedictus a Nicosia, reformatus, laicus, illustris pietate. — Custodia Reformatorum in Peloponneso erigitur, cui ex provincia Veneta viginti tres Missionarii assignantur.

1710. In Albania P. Antonius a Sora, ex Ref. provincia Aprutiorum, pro fide Christi occiditur. — Ex catalogo a provinciis confecto et ad Capitulum Generale hoc anno celebratum misso, eruitur Reformatos utriusque Familiae tunc temporis fuisse 30.050, ex quibus 13.902 ad Cismontanam, 16.148 ad Ultramontanam pertinebant.

1714. Romaniae in Peloponneso P. Archangelus a Thine, reformatus ex provincia Veneta, in odium Christianae fidei a Turcis decollatur. — Custodia Peloponnesiaca ob Turcarum invasionem penitus evertitur.

1716. In Aethiopia pro confessione verae fidei PP. Liberatus Weiss prov. Austriacae, Michael Pius a Zerbo prov. S. Didaci in Insubria, et Samuel a Biumo prov. Mediolanensis, omnes ex familia Reformatorum, lapidibus obruuntur. — P. Sigismundus a Venetiis, reformatus, Corcyram a Turcis obsessam glorioso facinore liberat.

1721. Ad astra conscendit S. Pacificus a S. Severino, reformatus ex provincia Marchiae, patientia et orationis spiritu excellens.

1723. In Aegypti urbibus Girges et Achim multi ex Cophtis a nostratibus reformatis convertuntur.

1724. In regno Camboiae, in India Orientali, PP. Valerius Rist, bavarus, reformatus, et Seraphinus de Borgia, lusitanus, Missionem instituunt.

1726. Neapoli moritur Venerabilis P. Io. Baptista a Burgundia, reformatus ex S. Recessu Romano, morum innocentia ac divinis charismatibus eximius, pro cuius beatificatione actus nunc conficiuntur.

1727. Nova missio in Moscovia fundatur a P. Iacobo ab Oleggio, ex prov. Reform. Mediolanensi. — Provincia Recollectorum S. Nicolai in Lotharingia erigitur.

1729. Custodia Reformatorum Transylvaniae in provinciam erigitur.

1734. Neapoli moritur S. Ioannes Iosephus a Cruce, ex provincia Neapolitana Discalceatorum, solitudinis amore ac spiritu mortificationis omnino admirandus.

1736. Romae in Conventu S. P. N. Francisci ad Ripas cum fama sanctitatis moritur Fr. Franciscus a Cisterna, laicus reformatus.

1737. Bratichzenii in Bulgaria P. Damasus Kun, ex Reform. provincia Austriae, a schismaticis in templo trucidatur.

1738. Urbeveteri moritur Venerabilis P. Petrus Dominicus ab Urbeveteri, ferventissimus divini verbi praeco, ex reformata provincia Seraphica, cuius virtutes in gradu heroico declaratae fuerunt.

1741. Custodia Lyciensis S. Paschalis in Regno Neapolitano pro Discalceatis erigitur, quae sequenti anno provincia declaratur.

1742. Celleni in dioec. Montisfalisci obit Venerabilis P. Petrus a Balnearia, ref. prov. Seraphicae vir omnigenae perfectionis, pro cuius beatificatione processus institui coeperunt.

1744. P. Raphael a Lugagnano, ex Ref. provincia Bononiensi, Minister Generalis eligitur, ex Strictiori Observantia quartus. — Custodia S. Paschalis Discal-

ceatorum in Regno Murciae erigitur. — Cunei in Pedemontio moritur Ven. P. Benignus a Cuneo ex prov. Taurinensi, cuius virtutes in gradu heroico nuper declaratae fuerunt.

1745. Provincia Discalceatorum Inmaculatae Conceptionis in nova Castella erigitur, divisa a provincia S. Iosephi. — Custodia Reform. Papiensis sub titulo S. Paschalis instituitur.

1750. P. Petrus Ioannetius de Molina, ex provincia S. Ioannis Baptistae Valentiae, Minister Generalis eligitur, quintus ex Strictiori Observantia, sed ex Discalceatis primus. Is statuam marmoream S. Reformatoris Petri de Alcantara in Vaticana Basilica erigi curavit. — Provincia Recollectorum S. Petri de Alcantara Alsatiae, divisa a provincia Argentina, instituitur.

1751. Romae in Conventu S. Bonaventurae decedit S. Leonardus a Portu-Mauritio, reformatus ex Recessu Romano. — Provincia Reformatorum Prussiae Marianae in Polonia erigitur.

1755. Provincia Silesiae Reformatorum sub titulo S. Hedwigis erigitur.

1756. In Imperio Sinensi P. Eugenius Piloti a Bassano, ex Ref. provincia Veneta, Episcopus Portimensis et Vicarius Apostolicus provinciarum Xen-si et Xan-si, post diutinos carceres, ludibria et pericula, aerumnis confectus, ad caelestia vocatur.

1762. P. Petrus Ioannetius de Molina, post sexennium vacationis, iterum Minister Generalis declaratur.

1763. Provincia Reformatorum Russiae Rubrae, seu Galitiae, in Polonia erigitur sub titulo S. Virginis Dolorosae.

1764. Romae in Conventu S. P. N. Francisci ad Ripas sancte decedit P. Leo ab Ariccia, reformatus provinciae Romanae — Neapoli magna sanctitatis fama decedit Ven. Fr. Franciscus a S. Antonio, tertiarius claustralis provinciae Discalceatorum Neapolitanae, pro cuius beatificatione processus confecti sunt.

1768. P. Paschalis a Varisio ex provincia Mediolanensi, Minister Generalis creatur, sextus ex Strictiori Observantia; qui ob temporum adiuncta per viginti tres annos et amplius, scilicet ad mortem usque, Ordini praefuit.

1784. Custodia Reformata Lucensis a provincia Thusciae avulsa erigitur.

1785. Labaci in Carniolia cum fama sanctitatis decedit P. Hugo Vadnik, ex Ref. provincia Croatiae-Carnioliae S. Crucis.

1790. P. Franciscus Maria de Magnis a Devio, ex Ref. prov. Medionalensi, Episcopus Miletopolitanus et Vicarius Apostolicus in Imperio Sinensi, fame et aerumnis confectus, in carceribus Pekini moritur.

1791. In Gallia omnes Conventus destruuntur, plurimique fratres crudeliter necantur.

1794. Urbeveteri Fr. Iuniperus a S. Vito, laicus ref. prov. Seraphicae, in odore sanctitatis moritur.

1799. Romae in Conventu S. P. N. Francisci ad Ripas, decedit Fr. Bonifacius a Setia, laicus Ref. provinciae Romanae, divinis charismatibus illustris.

1800. Neapoli sanctissime decedit Ven. Fr. Michael Angelus a S. Francisco, laicus ex Discalceatis, admirabilis patientiae et omnium virtutum exercitio insignis, pro cuius beatificatione nunc agitur.

1802. In Belgio, Hollandia, et in tota Germania, exceptis dominiis Austriacis, provinciae supprimuntur.

1803. Neapoli Ven. P. Aloysius a. Ss. Crucifixo ex Discalceatis, praedicatione verbi Dei, mira vitae austeritate et miraculis praeclarus, pro cuius beatificatione processus confecti sunt.

1806. In Italia, ex Napoleonis I Decreto, a multis Conventibus fratres exturbantur.

1807. S. Benedictus a S. Philadelphio Reform. a Pio VII in Sanctorum numerum refertur.

1810. In tota Italia, Sicilia excepta, provinciae supprimuntur.

1812. Neapoli moritur Venerabilis Fr. Aegydius Maria a S. Iosepho, laicus ex Discalceatis prov. Lyciensis S. Paschalis, miraculis in vita et post mortem celebris, cuius virtutes in gradu heroico declaratae fuere.

1815. In S. Recessu Montis Luci prope Spoletum sanctissime decedit Venerabilis P. Leopoldus a Gaichis, eiusdem sacri Recessus fundator, Missionarius Apostolicus Ref. provinciae Seraphicae filius, qui per quinquaginta annos verbum Dei magno animarum lucro praedicavit, quemque honores Beatorum in proximum assecuturum spes affulget.

1816. In tota fere Italia provinciae restituuntur.

1824. P. Bonaventura Gazzola a Placentia, ex Ref. provincia Bononiensi, Episcopus Corneti et Montis Falisci, sacra romana purpura decoratur, ex Reformatis primus. — P. Ioannes a Capistrano, ex Ref. prov. Romana, a S. P. Leone XII per Breve Minister Generalis instituitur, ex Strictiori Observantia septimus.

1827. Idem P. Ioannes a Capistrano novissimam et absolutissimam Constitutionum Generalium Collectionem typis mandat.

1829. Provincia Ref. Veneta S. Antonii restituitur. — Pius IX, tunc Spoletanus Archiepiscopus, Regulam III Ordinis S. P. Francisci in Ecclesia S. Recessus Montis Luci publice profitetur.

1835. In Lusitania et in Brasilia omnes Conventus a Gubernio supprimuntur. — Erigitur provincia Reformata Lyciensis, a Barensi divisa.

1836. In Hispania fratres omnes a claustris expelluntur, multique miserrime trucidantur.

1839. Gregorius XVI Pacificum a S. Severino, et Ioannem Iosephum a Cruce Sanctorum fastis adscribit.

1841. Neapoli in Conventu S. Petri ad Aram moritur P. Franciscus a Neapoli, reformatus, virtutibus illustris, de quo processus nunc instituuntur.

1842. Erigitur provincia S. Iosephi Recollectorum in Belgio, segregata a provincia Hollandiae, seu Germaniae Inferioris.

1844. Provincia Saxoniae S. Crucis, diu suppressa et fere extincta, obtenta a Gubernio Borussiae licentia, rursus novitiatum instituit et effloruit. Item post aliquos annos Custodia S. Elisabeth Thuringiae, ambae Recollectorum.

1845. Provincia Ref. Longobardica sub titulo Immaculatae Conceptionis instituitur. — Sacri Recessus Reformatae provinciae Romanae in Custodiam eriguntur.

1849. Provincia Ref. Pedemontana S. Thomae in duas Custodias, Taurinensem et Nicaeensem, dividitur.

1850. P. Venantius a Coelano, ex Ref. provincia Aprutiorum, a Pio IX Minister Generalis instituitur, ex Strictiori Observantia octavus.

1853. Custodia Nicaeensis Conventus in Gallia aedificat, ex quibus nova provincia S. Bernardini de Gallia anno 1861 constituitur. — Collegium Missionum in Monte, cui nomen *Incontro*, prope Florentiam a Reformatis auctoritate pontificia instituitur.

1855. Provincia Immaculatae Conceptionis Reformatorum in Polonia Borussica erigitur. — In Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Missiones instituuntur, ex quibus paulo post tres Custodiae, nempe Cincinnatensis, sub titulo S. Ioannis Baptistae, et Buffalensis, Reformatorum, et anno 1858 a provincia Saxoniae S. Crucis Custodia Illinensis Recollectorum constituuntur.

1856. P. Venantius a Coelano, Capitulum Generale Ordinis ab octoginta et octo annis intermissum celebrat, cui Pius IX praeesse dignatur. — Reformatis Familiae Ultramontanae proprius Procurator Generalis, post Napoleonicam suppressionem non amplius electus, a Capitulo Generali restituitur.

1858. Recollecti provinciae Belgii in Angliam mittuntur, et Conventus aedificant. — P. Ludovicus a Casauria, ex Ref. provincia Neapolitana, Collegium ad pueros Mauros educandos, et alia caritatis opera circa haec tempora Neapoli instituit.

1860. Damasci a Drusis in odium fidei occiditur P. Engelbertus Kolland ex Ref. provincia Tyrolensi S. Leopoldi, simul cum quinque hispanis ex Regulari Observantia.

1861. In Mexicana Republica fratres omnes e coenobiis expelluntur.

1862. Pius IX solemni ritu inter Sanctos adscribit Petrum-Baptistam eiusque socios in Iapponia crucifixos.

1863. P. Antonius Mazniewsky, reformatus prov. Poloniae Minoris, a Russis in odium Romanae unitatis occiditur.

1864. In Polonia Russica omnes Conventus supprimuntur.

1867. S. Leonardus a Portu-Mauritio a Pio IX canonizatur. — Decem et octo Martyres, omnes Discalceati, uno Recollecto excepto, cum viginti ac duobus ex tertio Ordine, in Iapponia occisi, inter Beatos solemniter referuntur. — Glascoviae in Scotia Conventus Recollectorum erigitur. — Gubernium Subalpinum in tota fere Italia fratres e claustris expellit.

1869. P. Bernardinus a Portu Romatino (vulgo *Portogruaro*) ex provincia Ref. S. Antonii Venetiarum, a Pio IX Minister Generalis instituitur, ex Strictiori Observantia nonus.

1875. In Imperio Germanico Conventus supprimuntur, et fratres exilio mulctantur.

1879. Custodia Illinensis Recollectorum in America Septentrionali in Provinciam sub titulo Ss. Cordis erigitur. — P. Andreas a Quarata ex ref. prov. Thusciae, et primus Collegiorum Seraphicorum institutor, Florentiae pie moritur.

1880. Recollecti Provinciae Hiberniae novam Missionem in Oceania centrali, sive Australia, in Provincia Sydneyensi instituunt. — In Gallia fratres ex claustris expelluntur.

1881. P. Bernardinus a Portu Romatino a Leone XIII in munere Ministri Generalis confirmatur.

1882. BB. Carolum a Setia et Humilem a Bisiniano, reformatos, Leo XIII Beatorum caelitum honoribus solemniter decorat.

PARVA CHRONICA

PROVINCIAE SERAPHICAE REFORMATAE

EDITA

CURA A. R. P. ALOYSII A PEDELAMA

EIUSDEM PROVINCIAE EX-MINISTRI.

§ I.

De origine et progressu Seraphicae Provinciae Minorum Reformatorum.

Arbor illa vere eximia et grandis a Daniele propheta celebri in visione inspecta, quae innumeris repleta ramis, eos per totum mundum distendit, cuius *proceritas contingens coelum, folia pulcherrima, et fructus eius nimius, et esca universorum in ea*[1], seraphicam Religionem a beatissimo patre nostro Francisco institutam, diversas propagines ex se emittentem et totius orbis plagas attingentem, mirifice adumbravit. Et mirum quidem! Arbor haec feracissima a suis primordiis praeter Regularem Observantiam et Conventuales; Reformatos quoque, Discalceatos, Recollectos, Alcantarinos (qui omnes sub unico *strictioris Observantiae* nomine comprehenduntur)[2] et Capucinos progenuit; quibus ex ramis uberrimi virtutis ac sanctitatis flores cunctis temporibus cunctisque in provinciis et nationibus prodiere.

Nec Umbria, ubi haec nostra seraphica Reformata Provincia divinitus consistit, ceteris in orbe diffusis aliquid cedit. Haec enim, cum Seraphici Ordinis incunabula custodiat, loca sanctissimi fundatoris Francisci poenitentiis et orationibus sanctificata veneretur, exemplis tanti Patris excitetur, virtutum eius odore recreetur, et specialissima sua protectione muniatur, semper ipsius perfectos sectatores habuit, qui eius vestigia fideliter prementes, iuxta sanctae regulae puritatem vitam duxerunt; immo in eandem, uti bene noster Chronologus advertit[3], ad Seraphici Patris spiritum concipiendum, altissimae paupertatis amorem fovendum, perfectionis ac sanctitatis viam ingrediendam, ex aliis provinciis saepe confluebant[4]. Beatus Ioannes de Guadalupe in nostro Conventu Carcerum, annuente Sixto IV P. M.[5], ab anno 1480 usque ad 1487 commoratus, Hispaniam rediens Discalceatorum, seu

---

1 Cap. 4. v. 8.

2 P. Michael Angelus a Neapoli Min. Obs. Chron. Ord. — Arturus Martyrol. Franc. — P. Ioan. Den. — Haut. Brev. Hist. Ord. Min. Tract. 2. cap. 18. — P. Pamphilus a Malleano Min. Rif. Hist. comp. S. Francis. et Franc. vol. 1. c. 1.

3 P. Antonius ab Urbeveteri Chron. Prov. Seraph. Reform. lib. 1. cap. 14.

4 In nostro Archivo provinciali adhuc exstant plura rescripta pontificia, quibus huic nostrae Provinciae aggregatio concedebatur his, qui eam *humiliter instanterque* petebant.

5 Breve datum Romae die 24 Ian. 1480 Pontif. 9.

Strictioris Observantiae fundamenta iecit; inde Innocentii VIII auctoritate[1], tres Fratres huius Provinciae, scilicet Andream a Perusia, Hilarionem a Tuderto et Franciscum a Bastia accivit, ut reformationem, seu strictiorem observantiam, dicto in conventu apprehensam, foverent, propagarent atque constabilirent[2].

Nec aliquis pertimescat cum nomen *reformationis* audit. *Non est enim Lutherana reformatio.* Et vae Ecclesiae Dei, vae societati, vae religiosis Institutis nisi interdum reformationes prodirent! Nisi B. Paulus Trincius, divino spiritu motus, surrexisset, nunc nos aut Minoritae nomine tantum essemus, aut S. Francisci Institutum amplius non extaret. Hinc est, quod sacrosancta Catholica Ecclesia Spiritu Sancto ducta, cunctis in Conciliis Generalibus *caput de reformatione* habet, qua abusus irrepti (et hi semper ubi sunt homines enascuntur) eradicentur, vita evangelica promoveatur, moresque hominum reformentur. Et Deus O. M. has reformationes sibi acceptas esse demonstravit, dum eas sanctissimis viris illustratas voluit, ut videre est apud Ecclesiasticas Historias[3]. Vae igitur illis, qui vel eas adversantur, vel destructionem moliuntur! Indignationem divinam minime effugient, uti omnes in die magni iudicii conspecturi sumus.

Attamen illi strictioris Observantiae vel Reformationis assertores, sicut in ceteris provinciis, sic in nostra, Ministris in cunctis obtemperabant; qui cum eorum *pietatem, silentium, humilitatem, caritatem praecipue circa infirmos, orationem et altissimam paupertatem*[4] admirarentur, eosque vere spiritu seraphico ductos esse cernerent, libentissime angustiora coenobia et ab urbibus magis remota assignabant, ubi iuxta sanctae regulae puritatem, quam professi erant, Domino inservire eis liceret. Hinc faventibus Summis Pontificibus Clemente VII et VIII, Gregorio XIII ac XV et Paulo V, dum Observantes Capitulum celebrabant, Reformati, ipsis tantum suffragantibus, proprium regiminis Custodem eligebant, a Ministris tamen dependentem. Sicque actum est usque ad annum 1596, in quo Clemens VIII vi Bullae, quae incipit: *Pro iniuncti Nobis Apostolici muneris ratione* huius etiam nostrae seraphicae Custodiae Patribus concessit, ut sibi eligerent Custodem tantum a reverendissimo ministro Generali dependentem.

Quo tamen anno proprium Custodem, licet dependentem, eligere inceperint, et quinam ipsi fuerint, ignoratur; cum cuncta documenta id concernentia vel deperdita vel subtracta fuerint; de quorum amissione etiam noster Chronologus lamentatur[5]. In Necrologio huius nostrae seraphicae reformatae Provinciae duo tantum Custodes memorantur, id est P. Ioannes de Asisio, *qui iterato Custodiam gubernavit;* et P. Petrus pariter de Asisio, *de quo alia non habetur memoria.* Certum tamen est, multos ex nostris custodibus ad provincialatus munus assumptos fuisse; tunc enim indifferens erat Ministri electio, et dummodo bonum utriusque familiae id exposceret, Minister interdum ex Observantibus et interdum ex Reformatis seligebatur. Pariter certum est, quod nostrates Reformati anno 1589 quinque conventus habebant, scilicet sancti Francisci Specus, dioecesis Narniensis; sanctissimae An-

---

[1] De Gubernatis, Orbis seraph. lib. 7. c. 2. pag. 272.

[2] Idem loc. cit. — Ant. ab Urb. Chron. cit. lib. 1. cap. 13.

[3] Gonzag. Part. 1. qui etiam cunctas aerumnas ab ipsis perpessas refert.

[4] Gonzag. loc. cit.

[5] Chron. Prov. Seraph. etc. lib. 1. c. 18.

nuntiationis Eremitae, archidioecesis Spoletanae; B. V. Mariae Spinetae et sancti Iacobi, ambo in dioecesi Tudertina, nec non sanctissimae Annuntiationis Scarzolis in dioecesi Urbevetana [1]. Quibus merito adiungi debent Conventus sancti Francisci Montisluci prope Spoletum, sanctae Mariae ab Auro apud Interamnam et sancti Ioannis Baptistae Ameriae. Cum enim nulla habeatur notitia de tempore, a quo Reformati istos incoluerint, ingressus Reformatorum ad ipsa prima reformationis tempora ascendere videtur [2]. Ita igitur res processit usque ad annum 1596, quo haec nostra seraphica reformata Provincia firmiorem stabilitatem accepit. Tunc enim nostrates Reformati seorsim a PP. Observantibus Capitulum custodiale, duabus vicibus tantum exceptis, celebrarunt, in quo Custos regiminis P. Angelus a Rota-Castello pro secunda vice renuntiatus fuit; vir utique excellenti doctrina, summa prudentia ac magno zelo praeditus, ita ut sequenti anno 1597 Clementis VIII speciali deputatione, missus fuit Visitator Apostolicus ad Reformationem introducendam in provincias sancti Bernardini in Vestinis et sancti Nicolai Barensis. Iuridice ergo haec Provincia seraphica reformata in Custodiam erecta fuit anno praedicto 1596, et ab Urbano VIII anno 1639 una cum ceteris reformatis custodiis Provincia declarata.

Interea cum in dies numerus Religiosorum augeretur, etiam coenobia adaugenda erant, dum vel accipiebantur ab aliis vel de novo exstruebantur. Anno siquidem 1596 Nostrates praeter enumerata obtinuerunt coenobium Montissancti Tuderti; anno 1599 Sanctuarium Carcerum prope Asisium; sanctissimae Annuntiationis Nursiae, et sancti Damiani Asisii 1603; sancti Ioannis Baptistae Celleni 1606, Communitatis expensis a fundamentis erectum; sanctae Mariae a sancto Peregrino Nursiae 1610, a Clarenis acceperunt; sanctae Mariae a Iesu castri Iovii 1611, munificentia excellentissimi principis Matthaei erectum; sancti Martini Trebiae archidioecesis Spoletinae anno 1612, a populi pietate constructum; sancti Petri Apostoli Massae Tudertinae, expensis eminentissimi Card. Landi 1618 aedificatum; sancti Hieronymi Eugubii et hospitium Ecclesiae novae Asisii anno 1624; sancti Bartholomaei Apostoli Cibottulae dioecesis Perusinae 1626. Verum cum magis magisque numerus Religiosorum augeretur, etiam coenobia multiplicabantur; et quidem anno 1666 Nostratibus concreditum fuit coenobium sancti Laurentii in Vineis extra, et hospitium sanctae Annae intra moenia civitatis Urbisveteris; 1690 sanctae Mariae Constantinopolitanae Cerreti; 1788 Immaculatae Conceptionis Aunani, dioecesis Aquipendiensis; 1802 Tuscaniae, dioecesis Viterbii; 1808 sancti Antonii Patavini Viturclani, Balneoregiae dioecesis; et 1820 Sanctuarium sancti Ubaldi Ep. Eugubii.

Tria Clarissarum monasteria huic nostrae Provinciae concredita fuerant, nempe sanctae Mariae Pacis et sanctae Clarae Nursiae ab anno 1606, et sanctissimae Trinitatis Iguvii 1626. Hoc tantum nunc remanet, cum illud sanctae Clarae Nursiae anno 1703 terraemotu quassatum, sorores unitae fuerunt illis monasterii Pacis, et etiam hoc a ven. P. Leopoldo a Gaichis, dum provincialatus munere fungebatur, iustis de causis fuit resignatum.

Anno igitur 1810, haec nostra seraphica reformata Provincia vigintiquatuor conventibus et duobus hospitiis constabat. Ast anno memorato ob Napoleonicum

---

[1] Mss. Prov. — Chron. lib. I. c. 18.

[2] Mss. Prov. et Chron. loc. cit.

suppressionis decretum Provincia penitus eversa est; et solum in unoquoque coenobio aliquis Sacerdos cum uno Fratre laico relictus est ad divinum cultum exercendum. Pace tandem Ecclesiae Dei divinitus restituta, haec etiam nostra Provincia vitam et omnia coenobia recuperavit anno 1815, cura potissimum A. R. P. Bonaventurae de Daligno ministri provincialis et delegati generalis. Anno autem 1866, quo ab Italico gubernio suppressionis decretum exiit, vigintiquatuor conventibus et uno hospitio constabat; quorum tres in ditione Pontificia, seu Patrimonio sancti Petri, qui remanserunt usque ad annum 1875 una cum conventu Ecclesiae novae qui cunctis tempestatibus tanquam turris firmissima restitit. Beatissimus Pater suam paternam domum specialiter protexit! Sequens prospectus melius declarabit.

Ante Custodiae erectionem, ignoto tempore.

Sanctuarium sancti Francisci Specus, dioecesis Narniensis; suppressum . anno 1866
Redemptum ac restitutum . . . . » 1875
Sanctuarium sanctissimae Annuntiationis Eremitae, archidioecesis Spoletanae; suppressum . . . . » 1866
Conventus sanctae Mariae Spinetae, dioecesis Tudertinae; suppressus . . » 1866
Sanctuarium sanctissimae Annuntiationis Scarzolis, dioecesis Urbevetanae; suppressum . . . . » 1866
Redemptum ac restitutum . . . . » 1876
Conventus sancti Iacobi Tuderti; suppressus . . . . » 1810
Sanctuarium sancti Francisci Montisluci, archidioecesis Spoletanae; suppressum . . . . » 1866
Semi-restitutum . . . . » 1875
Conventus sanctae Mariae ab Auro, Interamnae; suppressus. . . . . . » 1862
Conventus sancti Ioannis Baptistae, Ameriae; suppressus . . . . » 1866

Post Custodiae erectionem, quae fuit anno 1596.

Anno 1596. Conventus Montissancti Tuderti, suppressus . . . . anno 1866
» 1599. Sanctuarium Carcerum, S. P. F.; suppressum . . . . » 1866
» 1605. Sanctuarium sancti Damiani; suppressum . . . . » 1866
Redemptum a Lord Ripon et restitutum . . . . » 1881
» 1605. Conventus sanctissimae Annuntiationis Nursiae; suppressus . . » 1866
» 1606. Conventus sancti Ioannis Baptistae Celleni; suppressus . . . » 1876
» 1610. Conventus sanctae Mariae a sancto Peregrino Nursiae; suppressus . . . . » 1866
Redemptus ac restitutus . . . . » 1881
» 1611. Conventus sanctae Mariae a Iesu Iovii, Amerinae dioecesis; suppressus. . . . . » 1866
» 1612. Conventus sancti Martini Trebiae, archidioecesis Spoletanae; suppressus. . . . . » 1866
» 1618. Conventus sancti Petri Apostoli Massae Tudertinae; suppressus . » 1863
et cuncti Fratres in Sardiniam deportati.

Anno 1624. Conventus sancti Hieronymi Eugubii; suppressus . . . . anno 1866
Redemptus, restitutus ac iuvenum aspirantium in collegium erectus . . . . » 1878

» 1624. Hospitium Ecclesiae Novae Asisii, in conventum erectum anno 1840; nunquam suppressum.

» 1626. Conventus sancti Bartholomaei Cibottulae, dioecesis Perusinae; omnes Religiosi deportati in Conventum sancti Damiani Asisii . . . . » 1863

» 1666. Conventus sancti Laurentii in Vineis, dioecesis Urbevetanae.

» 1666. Hospitium sanctae Annae dictae Civitatis; eius Religiosi una cum illis conventus sancti Laurentii, in Sardiniam fuerunt deportati . . . . » 1863

» 1690. Conventus sanctae Mariae Constantinopolitanae Cerreti, archidioecesis Spoletanae; suppressus . . . . » 1866

» 1788. Conventus Immaculatae Conceptionis Aunani, dioecesis Aquipendii; suppressus . . . . » 1875

» 1802. Conventus Tuscaniae, dioecesis Viterbii; suppressus . . . . » 1810

» 1808. Conventus sancti Antonii Patavini Viturclani, dioecesis Balneoregiae; suppressus . . . . » 1875
Redemptus ac restitutus . . . . » 1876

» 1820. Sanctuarium sancti Ubaldi Episcopi Iguvii; suppressum . . . » 1866

§ II.

Conventuum anno 1866 existentium brevissima notitia historica.

1.

Sanctuarium Ecclesiae Novae Asisii, S. P. N. Francisco dicatum.

Paterna domus beatissimi Patris initio saeculi XVI domino Ioanni Baptistae Bini pertinebat. Philippus III Hispaniarum rex, precibus reverendissimi Patris Antonii de Treio totius Ordinis ministri Generalis, benigne annuens, eam emit et anno 1615 ecclesiam uti nunc conspicitur, aedificandam curavit; quam die 28 Octobris 1691 reverendissimus D. D. Carolus Episcopus Asisiensis solemniter consecravit.

Hic conventus, ex aliis domibus hinc inde acquisitis constructus, per paucos annos a PP. Observantibus retentus, scilicet donec nostrates Reformati, solitaria loca amantes et civitates refugentes, precibus reverendissimi ministri Generalis annuentes, eum acceptarunt; annus autem ignoratur. Suppressus anno 1810, restitutus fuit anno 1815. Quidam scelesti anno 1863 ecclesiam in theatrum convertere nitebantur; sed eorum conatus, quamvis pluries repetiti, evanuerunt, nam speciali sanctissimi Patris vigilantia et regum Hispaniarum protectione conventus adhuc incolumis restat.

Super altare maius legitur sequens inscriptio:

HIC CRUCIS ARMA FULGENTIA
VIDIT FRANCISCUS DORMIENS
CHRISTUM DICENTEM AUDIENS
TUA ERUNT HAEC OMNIA.

Quo traditio confirmatur, quae asserit, ibi fuisse cubiculum beatissimi Patris. In ecclesia conspicitur etiam tetra custodia, in qua ferus pater S. Iuvenem reclusit ob divenditas merces et pretium, ad sancti Damiani ecclesiam restaurandam erogatum; quaeque corporibus duorum venerabilium fratrum, scilicet Silvestri et Thomae ab Hospitalichio, et innumeris pretiosis reliquiis condecoratur.

2.

Sanctuarium sancti Damiani prope Asisium.

Quantae dignitatis sit conventus hic divo Damiano sacer, Ordinis nostri chronica satis superque declarant. Hic siquidem beato Francisco oranti loquuta est Crucifixi imago, dicens: *Vade, Francisce, repara domum meam, quae labitur.* Hic beata Clara suae Religionis fundamenta iecit diuque cum commisso sibi grege commorata est; hic adhuc refectorium, dormitorium, valetudinarium, chorus et oratorium, in quo illa beata virgo preces fundere divinumque officium cum sororibus persolvere solebat. Hic parvum tintinnabulum, quo seraphica virgo sorores ad Domino laudes concinnendas vocabat; breviarium quo utebatur; tabernaculum, in quo sanctam Eucharistiam asservabat, et quo saracenos fugavit, ac verba audivit: *Ego semper vos custodiam* conspici licet. Hic sanctissimi Crucifixi mirabilis effigies a fratre Innocentio Siculo exsculpta veneratur, qua fidelibus ante eam Christum invocantibus innumeras gratias impertiuntur. Hic conventus beatissimo Patri ab Abbate Montis Subasii dono traditus est, et post mortem sanctae Clarae, a Clarissis relictus, per plures annos remansit orbatus habitatoribus, donec anno 1560 beatus Paulus Trincius ecclesiam et conventum, ruinam minantes, restauravit et Patribus regularis Observantiae custodiendum tradidit, qui anno 1605 Reformatis cesserunt. Suppressus anno 1810 et restitutus anno 1815, per suppressionem anni 1866 communem iacturam sustinuit usque ad annum 1878, quo ab excellentissimo D. Lord Ripon a gubernio redemptus, et anno 1881, obtenta contractus approbatione, in integrum restitutus est.

3.

Sanctuarium Carceris.

In Monte Subasio prope Asisium exsurgit conventus, cui *Carcer sancti Francisci* nomen est, cuique populi adiacentes maxime afficiuntur. Hunc Seraphicus Pater ante omnes ab eodem Abbate sancti Benedicti obtinuit; hunc, post frequentes cum daemone spirituales luctas, et triumphos, intime dilexit. Inter cetera, quae hanc sacram aedem commendatissimam et celebriorem reddunt, potissima sunt: cubiculum beatissimi Patris, eiusdem sacellum, in quo orationi vacabat; lapideus lectulus, cui lassus aliquando decumbebat, ligneum cervical quo utebatur, fons precibus a Deo impetratus; oratoria beati Rufini Asisiensis et beati Bernardi Quintavalle; cryptae beati Antonii a Stronconio, Andreae ab Hyspello, Silvestri, Massaei et Aegidii de Asisio. Hic plures Sancti, scilicet Antonius Patavinus, Bernardinus Senensis, Ioannes a Capistrano, Iacobus de Marchia commorati sunt. Locus vere sanctissimus, nimia simplicitate et altissima paupertate mirifice splendens ac vere sanctitatem spirans. Cellulae ab ipso Seraphico Patre constructae ita angustae sunt, ut vix quis inter eas se moveri possit; dormitorium, refectorium, coquina ad medietatem sub rupe fracta constructa sunt.

Utinam cuncti Franciscanorum conventus huic aequiparari possent! Relictus a Patribus Conventualibus anno 1560, a beato Paulo Trincio vetustate collapsus restauratus est. Semper habuit inhabitantes sanctissimos Fratres et puritatis regulae amatores. Ab ipso *Reformationis* exordio, ignoto tamen anno, a nostratibus obtentus, qui suppressione Napoleonica exulare adstricti, anno 1815 redierunt. Sed iterum commune naufragium pertulit anno 1866 et nunc sub dominatione Municipii Asisiensis (proh pudor!) desertus remanet.

4.

Sanctuarium sancti Francisci Specus, dioecesis Narniensis.

Spiritualium consolationum immissiones facilius excepturus beatissimus Pater, solitaria loca, amica moeroribus, maximo affectu amplectebatur et sollicite quaerere solebat. Inter cetera familiariora familiarissimum sibi fuit specus, quod iacet in asperrimo quodam monte comitatus Narniae. Ibi diutius commoratus est, et dum semel gravi infirmitate detineretur et aliquid musices ad excitandam in Deum animam exoptaret, Angelus, lyram plectro suavissimo pulsans, quod eremus denegabat, divinitus praestitit. Quo ex facto haec nostra Provincia sigillum assumsit, quod Franciscum orantem et Angelum desuper lyram pulsantem repraesentat.

Alio quodam die idem pariter infirmitate gravatus, cum natura oppressa parum vini gustare exoptaret aquam ex cisterna hauriri iussit eamque Crucis signo benedixit, quae in vinum divina virtute conversa est, quo sumpto, statim convaluit. Hinc ibi aediculam et angustissimum cubiculum, quae adhuc invisere licet, pro paupertatis modulo, aedificavit. Ibidem arbor castaneae, uti constans traditio est, ab ipso sancto Patre plantata, adhuc vegetat; cuius fructus ad febres fugandas aliasque infirmitates pellendas efficaces multi experti sunt [1].

Sancti Antonius Patavinus et Bernardinus Senensis hic moram fecerunt, locum binis oratoriis ornarunt, quorum utrumque cum seraphico Specu in praesentem diem perseverat. Alia vero aedificia beato Bernardino Senensi debentur, qui conventiculum sub sancti Patris titulo construi curavit; sex tantum cellulae postea additae sunt non ad commoditatem sed ad necessitatem. Et hic conventus suppressionem Napoleonicam passus et restitutus sicut ceteri omnes. Decretum anni 1866 cum iterum extinxit; verum die 26 Aprilis 1875, cura praesertim A. R. P. Petri-Chrysologi a Cryptis sancti Stephani et ministri Provincialis, nec non quorundam Religiosorum redemptus ac in integrum restitutus fuit.

5.

Sanctuarium sanctissimae Annuntiationis Eremitae, archidioecesis Spoletanae.

In Caesiensi deserto asperrimus mons prominet Seraphico Patri dilectus, quem ipse frequentare solebat, et humili casula ex arbustorum ramis contexta contra frigoris

---

[1] Quaedam Monialis venerabilis monasterii a Iesu Urbisveteris ab annis vigintiquinque detinebatur infirmitate; et dum supremum diem expectabat, casu ibi frater Natalinus noster laicus comparuit; qui audito Monialis periculo, fructus huius arboris, quos secum habebat, porrexit monuitque, ut cum fide infirmae manducandos darent; quod factum est, et statim moribunda convaluit. Testimonium medici, quod habemus, miraculum confirmat accidisse die 26 Martii 1876.

inclementiam exornavit. Hanc beatus Paulus Fulginas in tanti Patris gratiam, ex eleemosynis undequaque collectis, anno 1355 in conventum intra paupertatis limites promovit, tyronibus instituendis assignavit, et beatissimae Virgini Annuntiatae dicavit. Hic invisere licet speluncam, quam meditationis gratia beatus Pater selegerat; et bina oratoria, sancti Bernardini Senensis unum, alterum beati Francisci a Pavia. Hic venerabilis Frater angelum humana forma indutum eximiae suae caritatis testimonium habuit, et saepe lupo sibi familiarissimo asellum necessariis pro fratribus onustum reducendum commisit. In ecclesia devotissima B. M. V. imago est, quae novitium ipsi devotissimum, ipsamque salutantem, aliquando resalutasse fertur.

Anno 1866 communem ruinam sustinuit; et anno 1876 a nostro Syndico Apostolico redemptus est, qui tamen fidem datam fregit, neque unquam, licet enixe a ministro Provinciali rogatus et admonitus, conventum restituere voluit.

6.

Sanctuarium de Scarzolis.

Pientissima devotione Comitis Marsciani Urbevetanae dioecesis in beatum Franciscum hic Conventus prope castrum Montisiovis conditus fuit, et sanctissimae Dei Genitrici Annuntiatae dicatus, quem Seraphicus ipse Pater omnium primus occupavit, et beatus Paulus a Fulgineo ab imminenti ruina liberavit. Ante huius Custodiae iuridicam erectionem nostratibus incolendus traditus, cetèrorum conventuum vicissitudines sustinuit. Attamen anno 1876 cura et expensis Fratrum emptus ac in integrum restitutus, tyronibus instituendis assignatus est. Fons beati Patris adhuc conspicitur, cuius aquis incolae utuntur pro infirmis, quae saepissime prodigiosae repertae sunt.

7.

Sanctuarium Montis Luci, prope Spoletum.

In summitate montis, qui *Lucus* ab incolis appellatur, atque inter consertas arbores conventus hic, Seraphico Patri dicatus, artificiose exsurgit. Iuxta receptissimam et indubiam traditionem a beatissimo Patre acceptus atque primo aedificatus est. Usque ad nostram aetatem septem cellulae angustissimae, ex viminibus ab ipso confectae (in quarum una Paulus III, devotionis gratia, pernoctavit) ac sacellum Seraphico Patri dicatum, in sua integritate manent. Beatus Paulus Trinci hunc locum anno 1373 a Gregorio XI obtinuit; quem ut fertur, sanctus Bernardinus Senensis auxit. In sylva cellulae huius Sancti, nec non sancti Antonii Patavini et venerabilis Francisci de Pavia venerantur. Ferventissimi Fratres hic semper commorati sunt; praeter praedictos nominamus venerabiles Patrem Antonium a Rimino, Antonium de Tegrino Pisano, Demetrium ab Insubria, Michaëlem a Collelongo, Leopoldum a Gaichis, qui ultimus hunc Conventum in sacrum recessum erigendum curavit. In ecclesia innumerae pretiosissimae reliquiae ab excellentissima familia Barberini dono datae, et corpora beati Francisci a Pavia, venerabilium Michaëlis a Collelongo et Leopoldi a Gaichis asservantur. Tempus, quo eundem Nostrates ab Observantibus habuerunt, non constat. Hic conventus cunctas suppressionum vicissitudines expertus est, sed nunquam a Religiosis penitus relictus, qui numero vel maiori vel minori a Spoletinis (sub quorum

dominatione nunc est) defensi, semper ibi remanserunt, immo et conventus etiam tyronibus instituendis assignatus fuit et est.

8.

Conventus Montis Sancti Tuderti.

Tudertini cives Clarissarum monialium securitati consulturi, intra moenia civitatis eas transtulerunt, et coenobium *sanctae Mariae de Monte Sancto*, ab ipsis prius inhabitatum, anno 1448, annuente Nicolao V, Fratribus regularis Observantiae incolendum tradiderunt; qui inibi usque ad annum 1597 inhabitarunt, quo anno nostrales Reformati locum ab ipsis obtinuerunt atque usque ad annum 1866, secluso quinquennio Napoleonicae suppressionis, retinuerunt. In ecclesia corpora venerabilium servorum Dei fratris Francisci de Tursiamno, fratris Antonii de Izalinis et fratris Paschalis de Dusancti, omnes Reformati, venerantur. Nunc eum puellae, parentibus orbatae, incolunt.

9.

Conventus sanctissimae Annuntiationis Nursiae.

Anno a partu Virginis 1524 publicis facultatibus hic conventus extra moenia civitatis, antiquiori ruinam minitanti suffectus, et Patribus regularis Observantiae incolendus traditus, qui anno 1603 Nostratibus cesserunt. Corpora fratris Onophrii Sarzanensis et Ioannucci de Valterrena, ambo *Beati* titulo decorati, in ecclesia venerantur; nec non exuviae venerabilis fratris Caesarii ab Ancarano minoris reformati. Ab anno 1866, Religiosis suppressionis decreto expulsis, in xenodochium conversus est.

10.

Conventus sancti Hieronymi Eugubii.

Extra civitatem Iguvinam collis quidam nemorosus exsurgit, in cuius clivo hic conventus, divo Hieronymo sacer, extructus est. Locus hic a Patribus Augustinianis eleemosynis primo aedificatus, Martini V, Eugenii IV et excellentissimi D. Guidantonii Urbinatum Ducis auctoritate anno 1436 Patribus Observantibus incolendus commissus fuit; qui anno 1625 Reformatis dederunt. Seraphicus Pater hic mulierem mortuam ad vitam revocavit. In ecclesia sanctissimi Crucifixi devota effigie, ab auctore illius, quae exstat in conventu sancti Damiani insculpta, religiose asservatur. Hunc conventum quidam frater laicus ab anno 1866 usque ad 1877 in custodiam habuit, quo in anno Religiosorum expensis redemptus, in iuvenum ad Ordinem aspirantium Collegium a ministro Provinciali erectus est; cuius solemnis inauguratio reverendissimi Patris Bernardini a Portu Romatino totius Ordinis ministri Generalis praesentia anno 1878 decorata fuit; qui capta hac opportunitate, decretum reelectionis ministri Provincialis promulgavit et Congregationi capitulari praefuit.

11.

Conventus sancti Martini Trebiae, archidioecesis Spoletanae.

Quidam devotus Abbas monasterii sancti Petri Bovariae sufficientem situm ad huius Franciscani conventus aedificationem ex Sixti IV concessione liberaliter obtulit, quem Trebiensis Communitas, ex publicis expensis anno a partu Virginis 1479 perfecit atque titulo sancti Martini insigniri voluit. Reformati anno 1612 a Patribus Observantibus eum habuerunt. Ossa totius corporis sancti Pontiani Martyris, caput sanctae Faustinae Imperatricis, brachia sancti Aemiliani Martyris et corpora venerabilium fratrum Onophrii de Flammenga et Marii ab Amatrice reformatorum, in ecclesia devotissime venerantur. Commune naufragium passus anno 1866, uni Sacerdoti et duobus laicis custodiendus est traditus, qui tamen post duodecim annos incolatus tandem sunt expulsi.

12.

Conventus sanctae Mariae ab Auro Interamnae.

Prope Interamnam supra collem ab *Auro* dictum hic conventus a sancto Bernardino de Senis eleemosynis collectis anno 1441 aedificatus et Nostratibus ante huius Custodiae iuridicam erectionem traditus est. Auctus inde, ut maiori Religiosorum numero locum daret, novissimis temporibus in Collegium Missionum indigenarum evectus est, in quarum odium anno 1862 Fratres expulsi sunt. Nunc a Monialibus inhabitatur.

13.

Conventus sancti Ioannis Baptistae Ameriae.

Conventus hic, divo Ioanni Baptistae dicatus, publicis et privatis eleemosynis circa annum Incarnationis Dominicae 1469 construi coepit, et Reformatis ante iuridicam Custodiae erectionem Patres Observantes concesserunt. Ab anno 1866 maiorem partem senes invalidi inhabitant, et in altera minori quatuor Fratres ad divinum cultum in ecclesia exercendum tollerantur.

14.

Conventus sanctae Mariae Spinetae, dioecesis Tudertinae.

Inter consertissimas quercus prope Montem Castrum hic B. V. Mariae conventus exsurgit, qui summa liberalitate a Monaldo Berardi de Monaldeschis anno 1498 aedificatus est. Qui quidem conventus novitiis instruendis apprime inservivit tum Observantibus tum Reformatis, qui eum ante Custodiae erectionem ab illis habuerunt. Nunc unus tantum Sacerdos ecclesiam custodit.

15.

Conventus sancti Bartholomaei Cibottulae, Perusinae dioecesis.

In densissima quadam sylva conventus hic circa annum 1480 exstructus est, quem Patres Observantes Nostratibus dederunt anno 1626. Italicum gubernium anno 1865 omnes fratres ad sancti Damiani coenobium translocavit. Emptus a nostro Syndico Apostolico muribus custodiendus traditus est. Nunc ultimam minatur ruinam.

16.

Conventus sancti Laurentii Urbisveteris.

Extra civitatem Urbevetanam supra collem hic conventus sancto Laurentio dicatus exsurgit. Patres Conventuales primis temporibus eum habuerunt, attamen anno 1666 nostris strictioris Observantiae concreditus fuit, qui eum ampliarunt et fere funditus denuo crexerunt. Ecclesia formae octangula pulcherrima est, in qua venerabilis servi Dei patris Petri Dominici ab Urbeveteri et fratris Martini Aquilani corpora venerantur. Anno 1863 fratres una cum confratribus Hospitii sanctae Annae et Patribus Observantibus conventus sanctissimae Trinitatis a gubernio Italico in Sardiniam violenter traducti fuerunt. Nunc in horto est publicum coemeterium et maior pars conventus ruinam minatur.

17.

Conventus sanctae Mariae Iesu Iovii, dioecesis Ameriae.

Deiparae V. Mariae a Iesu, aedem sacram et sancti Francisci Observantium reformatorum coenobium, Asdrubal Mattheius et D. Costantia Gonzaga coniuges marchiones Iovii, pietatis et devotionis suae populique boni spiritualis studio, a fundamentis erexere, anno salutis 1626. Ast nunc haeredes avorum pietatem minime secuti, preces omnes ministri Provincialis, qui ut eos ad illud restituendum induceret etiam Ferrariam petiit, neglexerunt. Religiosi per decretum suppressionis expulsi sunt anno 1866.

18.

Conventus sancti Ioannis Baptistae Celleni, dioecesis Montisfalisci.

Publicis expensis comitatus Celleni in Patrimonio sancti Petri anno 1608 aedificatus est, et Reformatis incolendus traditus hic conventus sancto Ioanni Baptistae dicatus. Corpus venerabilis patris Petri a Balnearia, cuius beatificationis causa apud S. R. C. nunc instituta est in ecclesia requiescit. Suppressus est anno 1875; tamen nonnulli Fratres ecclesiae custodiendae relicti sunt, qui maiorem partem conventus cum sylva... ex locatione incolunt.

19.

Conventus sancti Petri Apostoli Massae, Tudertinae dioecesis.

Marcellus Landes Romanus Cardinalis et Episcopus Tudertinus coenobium hoc suis sumptibus fundandum et perficiendum curavit anno Domini 1618. Cuius Fratres una cum Capucinis Tuderti anno 1863 in Sardiniam relegati fuerunt. Nunc desertum est.

20.

Conventus sanctae Mariae Constantinopolitanae Cerreti, archidioecesis Spoletanae.

Huius conventus fundationem, quae evenit anno 1690, plura miracula comitarunt, ut videre licet apud nostrum Chronologum [1]. Hic patres nostri Petronius de Bononia et Remigius a Vineale cum sanctitatis fama decesserunt. Post suppressionem anni 1866 in manus nostri Syndici Apostolici cecidit, qui eum obstinate retinet, nec preces ministri Provincialis, ut restitueret, audire voluit.

21.

Conventus sanctae Mariae de Monte Sancto sancti Peregrini, dioecesis Nursinae.

Sub declive Pennini montis ab oppidanis sancti Peregrini publicis facultatibus hic conventus exstructus est. Clarenis pertinebat, qui inibi capitulum etiam celebrarunt et Nostratibus anno 1610 dederunt. Suppressus, sed nunquam relictus, redemptus est Fratrum expensis et restitutus anno 1881.

22.

Conventus Immaculatae Conceptionis Aunani, dioecesis Aquipendii.

Fidelium et Fratrum pietate hic conventus erectus est anno 1788. Suppressus est anno 1875; quem tamen quatuor Sacerdotes et totidem laici in custodiam habuerunt et habent.

23.

Conventus sancti Antonii Patavini Viturclani, dioecesis Balneoregiae.

Fratres ac Fideles hunc conventum anno 1802 construxerunt. Anno 1875 suppressus, sed sequenti anno expensis Fratrum redemptus ac in integrum restitutus est. Ecclesiam reverendissimus dominus Bringiotti Episcopus Balneoregiae solemniter consecravit die 10 Maii anni 1862.

---

[1] Lib. 2, pag. 392.

24.

Sanctuarium sancti Ubaldi, Eugubii.

Del colle eletto dal beato Ubaldo [1], hic conventus in summitate surgit. Primum a Canonicis Regularibus, deinde a Fratribus a Passione D. N. I. C., demum anno 1820 a Nostratibus incolatus est. Corpus dicti Sancti adhuc integrum et incorruptum magna populi frequentia ac devotione veneratur. Exstant nunc ibi post suppressionem bini Sacerdotes et totidem laici.

25.

Hospitium sanctae Annae Urbisveteris.

Intra moenia dictae civitatis hoc hospitium positum est, et constructum fuit paulo post fundationem conventus sancti Laurentii in Vineis, ad hoc ut Fratres infirmi melius et commodius curarentur. In tribus angulis ecclesiae tria corpora, scilicet fratris Spiridionis de Ficullis, fratris Iuniperi a sancto Vito et patris Pacifici a Rimino, qui cum sanctitatis odore ibi obierunt, asservantur. Anno 1863 Religiosi in Sardiniam relegati sunt. Episcopus anno 1875 locum emit, sed noluit Fratribus nostris reddere et Iesuitis adiudicavit.

26.

Monasterium sanctissimae Trinitatis, Eugubii.

Quaedam ferventes Tertiariae, post innumeras insidias, contumelias et opprobria superata, huic monasterio Clarissarum originem dederunt. Patres regularis Observantiae habuit directores usque dum Nostrates conventum sancti Hieronymi obtinuerunt; tunc enim Reformatis concreditum est. Semper perfectissimae observantiae exstitit; in quo quadraginta et ultra sorores, etiam novissimis temporibus, commorabant; quarum sex et triginta cum fama sanctitatis ex hac vita migrarunt, inter quas eminet venerabilis soror Clara-Isabella Gherzi, cuius beatificationis processus institui coeperunt.

STATUS PRAESENS PROVINCIAE.

Conventus sancti Damiani restitutus, ut supra dictum est, in quo triginta duo Fratres inhabitant, ex quibus quatuordecim Clerici sub duorum lectorum disciplina philosophiae operam navant.

In conventu sancti Hieronymi Eugubii restituto, duodecim degunt Fratres et sexdecim iuvenes probandi, qui litteris vacant.

Conventum sancti Francisci Montis Luci duodecim Fratres inhabitant, cum tribus novitiis Clericis et uno laico.

Conventus Specus restitutus, habet decem Fratres.

Conventus de Scarzolis restitutus a duodecim Fratribus inhabitatur cum quatuor novitiis Clericis et uno laico.

---

[1] *Dante*, Parad. IX, 44.

Conventus sancti Peregrini decem habet Fratres.

Conventus Ecclesiae Novae, quem tredecim Fratres incolunt.

Conventus Viturclani, qui a duodecim Fratribus inhabitatur.

Hospitium Tuderti prope Montem Sanctum post suppressionem conventus a fundamentis exstructum, quod septem Fratres incolunt.

Hospitium Trebiae ad sanctum Martinum quasi a fundamentis erectum decem Frates inhabitant.

Hi omnes liberi sunt a quacumque alia persecutione. Religiosi probatae vitae sunt *legales proprietarii.*

EXSTANT ETIAM:

Conventus sancti Ioannis Baptistae Celleni, in quo septem Fratres habitant.

Conventus Immaculatae Conceptionis Aunani, octo Fratres.

Conventus Carcerum, duo Fratres.

Conventus Spinetae, duo Fratres.

Conventus Ameriae, quatuor Fratres.

Conventus sancti Ubaldi, quatuor Fratres.

Miseranda rerum humanarum conditio! Ante suppressionis decretum anni 1860 a R. Commissario Ioachim Pepoli emanatum, haec reformata Provincia 480 circiter Fratres in vigintiquatuor Conventibus distributos habebat: pietate, caritate et regulari disciplina florebat; numerosa optimae spei iuventus in gymnasiis litteris ac scientiis strenue vacabat; cuncta copiosissimae messis spem suppeditabant. Nunc autem? *Misericordiae Domini, quia non sumus consumpti.*

§ III.

Religiosi dignitate conspicui Reformatae Provinciae Seraphicae.

EPISCOPI.

1. Reverendissimus D. D. Hieronymus Bilacqua ab Hyspello, dioecesis Fulginas, Sixti V P. M. a sacris Confessionibus, 2 die Decembris 1587 Archiepiscopus Nazareni in Apulia renuntiatus est. Eximie hanc ecclesiam rexit, ut ait Ughellius (Ital. sac. tom. VII.) fere annis 17. Obiit Baruli die 4 mensis Septembris 1604. Iacet in ecclesia Nazarena ante altare maius, ubi extat haec inscriptio:

Frater Hieronymus Bilacqua de Hyspello Ordinis Minorum — Archiepiscopus Nazarenus — Episcopus Cannarum et Montisviridis — Pavimentum hoc fieri fecit — Sumptibus suis anno sui Archiepiscopatus nono — MDLXXXXII.

2. Reverendissimus D. D. Dionysius a Turre Asisii, Pauli V Summi Pontificis a conscientiae arcanis, ab eodem electus est Episcopus Nepesinus ac Sutrinus 1616, die 18 mensis maii. E vivis exemptus est, 1627 dum ecclesiam sibi commissam attentissime administraret.

3. Reverendissimus D. D. Ioannes Baptista a Turribus, dioecesis Tudertinae, Missionarius Apostolicus, Cypri Episcopus renuntiatus ab Alessandro VII anno 1661.

Decessit ignoto die et anno; at in nostro Necrologio eius memoria die 24 Septembris habetur.

4. Reverendissimus D. D. Bernardinus Chiesa Venetus, Missionarius in Sinis. Anno 1680 electus et consecratus Episcopus Argoli, et Vicarius Apostolicus omnium illarum provinciarum; inde ab Alexandro VIII ad Pechini sedem translatus, cui pluribus annis praefuit. De ipso Reverendissimus DD. Ioannes Franciscus Nicolai Archiepiscopus Myrensis scribit, eum esse Praelatum omni exceptione dignum, virum vere apostolicum, vitaeque exemplarissimae, decorem Religionis, ac seraphicae Provincae reformatae splendorem. Sanctissime vitam finivit anno 1722, die 21 Decembris.

5. Admodum reverendus Pater Franciscus a Leonissa, per ultra quadraginta annos Missionarius, deinde Praefectus; ob eius merita ad Episcopatum promotus, praeclara humilitate hoc munus accipere recusavit. Decessit Constantinopoli ignoto die et anno.

COMMISSARII AC VISITATORES APOSTOLICI.

1. Admodum reverendus Pater Angelus a Rotacastello, a Clemente VIII anno 1597 missus in provincias S. Bernardini in Vestinis et S. Nicolai Barensis, ut inibi Reformationem introduceret.

2. A. R. P. Dionysius de Turre Asisii, Reformator Apostolicus provinciae Ragusiae anno 1604, et confirmatus anno 1605.

3. Reverendus Pater Nicolaus a Perusia, ab Urbano VIII primo sui Pontificatus anno renuntiatus Visitator Apostolicus cunctarum Italiae provinciarum, utriusque Siciliae provinciis exceptis.

4. R. P. Antonius Strozzi a Ravenna, S. R. E. Praesul, Nursiae Praefectus, inde Minor Reformatus, et Visitator Apostolicus pluribus in provinciis [1].

5. R. P. Paulus a Lauda Pompeia, ex Brevi Urbani VIII anni 1636 die 18 Augusti et 10 Martii 1638, Commissarius et Visitator Apostolicus Observantium et Reformatorum Poloniae constitutus fuit.

6. R. P. Antonius a Montebufo, Commissarius et Visitator Apostolicus Poloniae maioris et minoris, nec non principatus Neapoli anni 1681 deputatus.

7. R. P. Franciscus a Montefranco, Commissarius Apostolicus [2], ignoto anno.

VICARII GENERALES REFORMATORUM.

1. Reverendus Pater Antonius Strozzi a Ravenna, die 24 Novembris 1621 Vicarius Generalis Reformatorum a Gregorio XV renuntiatus.

2. R. P. Ascanius de Asisio, Vicarius Generalis totius Reformationis [3].

---

[1] Ex Chron. nostrae Provinciae.

[2] Ex Chron. Provinciae et vita ipsius.

[3] In Chron. Hist. Legal. Ord. non adnotatur; at noster Chronol. id positive affirmat lib. I, cap. 20, pag. 89.

VICE-COMMISSARIUS GENERALIS REFORMATORUM.

1. Reverendus Pater Antonius a Montebufo, dioecesis Nursinae, totius Cismontanae familiae Reformatae, litteris Apostolicis Clementis XI sub die 15 Maii 1706 creatus; obiit Romae anno 1710 magno zelo adhuc munere fungens.

PROCURATORES GENERALES CURIAE ROMANAE.

1. Reverendus Pater Dionysius a Turre Asisii, Procurator Generalis Curiae, electus in comitiis Romanis anni 1612 [1].

2. R. P. Hieronymus a sancto Iustino eodem munere functus; constat ex chronologia nostrae Reformatae provinciae.

PROCURATOR GENERALIS ORDINIS.

1. Reverendus Pater Nicolaus a Perusia litteris patentalibus Reverendissimi Ministri Generalis anni 1626, Procurator Generalis Ordinis loco Ioannis Baptistae a Monte Corvino suffectus.

PROCURATORES GENERALES MINORUM REFORMATORUM.

1. Reverendus Pater Ascanius de Asisio, electus in Comitiis Romanis anni 1639.

2. R. P. Ludovicus a Montegabione, dioecesis Urbisveteris, electus a Cardinali Protectore in Congregatione Generali Romana anni 1642.

3. R. P. Ascanius ab Asisio, secunda vice electus ex Brevi Apostolico, anno 1665.

4. R. P. Carolus ab Urbeveteri, Vice-Procurator Generalis ab anno 1803, ut constat ex Actibus nostrae provinciae.

DEFINITORES GENERALES.

1. Reverendus Pater Hieronymus ab Hyspello, dioecesis Fulginas, Confessarius Sixti V, electus in Comitiis Romanis anno 1587 [2].

2. R. P. Dionysius a Turre Asisii, Pauli V Confessarius, electus in Comitiis Romanis anno 1612 unaque simul Procurator Generalis Curiae.

3. R. P. Nicolaus a Perusia, electus Romae anno 1625.

4. R. P. Antonius a Montebufo, electus in Capitulo Toletano, celebrato anno 1682.

5. R. P. Mathias a Viturclano, electus anno 1792.

6. R. P. Marcellinus a Bergomo anno 1798, aggregatus ex privilegio.

7. R. P. Franciscus a Cryptis Castri, electus 1806.

8. R. P. Ioannes a Cottanello, electus anno 1818.

---

[1] In dicta Chron. Ord. hic Pater cum Observantibus Provinciae Seraphicae commixtus invenitur.

[2] in Chron. Ord. inter Patres Observantes Provinciae Romanae recensetur; ast in nostra chronologia et necrologio, filius huius Provinciae positive declaratur.

9. R. P. Thomas a Montasula, electus anno 1833.
10. R. P. Daniel a Bassano, Leonis XIII P. M. Confessarius, electus anno 1881.

COMMISSARIUS GENERALIS TERRAE SANCTAE.

1. Reverendus Pater Paulus a Lauda Pompeia, litteris Reverendissimi Patris Ioannis Marinero sub die 22 Octobris 1639, Commissarius Generalis Terrae Sanctae instituitur.

CUSTODES TERRAE SANCTAE.

1. Reverendus Pater Paulus a Lauda Pompeia a Reverendissimo Patre Bernardino de Senis Ministro Generali, Custos Terrae Sanctae et Guardianus Montis Sion renuntiatus.
2. R. P. Thomas a Montasula electus anno 1825.

§ IV.

Series Patrum Custodum et Ministrorum Provincialium Reformatae Custodiae, deinde Provinciae Seraphicae.

CUSTODES A MINISTRIS PROVINCIALIBUS DEPENDENTES ANTE IURIDICAM ERECTIONEM CUSTODIAE.

Reverendus Pater Ioannes ab Asisio. Idem secunda vice.
P. Petrus ab Asisio.
P. Angelus a Rotacastello.
P. Laurentius a Fulgineo.
P. Bonaventura a Stronconio.
P. Ioannes Baptista ab Interamna.
P. Laurentius a Fulgineo secunda vice [1].

POST IURIDICAM CUSTODIAE ERECTIONEM.

1596. P. Angelus a Rotacastello secunda vice; inde Commissarius et Visitator apostolicus in provinciis sancti Bernardini et sancti Nicolai Barensis.
1599. P. Dionysius a Turre Asisii, hinc visitator apostolicus, Definitor generalis, Procurator generalis Curiae et Episcopus Sutrinus ac Nepesinus.
1603. P. Nicolaus a Perusia.
1606. P. Ubaldus a Stronconio, Praedicator generalis; electus Eremitae.
1609. P. Petrus de Asisio, Lector generalis; electus sancti Damiani.
1612. P. Franciscus a Montefelcino; electus sanctae Mariae Angelorum.
1615. P. Nicolaus a Perusia, secunda vice; deinde Visitator apostolicus, Procurator generalis Ordinis et Definitor generalis; electus sancti Damiani.

---

[1] Hi omnes non in chron. sed in mss. Archiv. sancti Damiani reperimus, in quibus multi alii desiderantur.

1618. P. Benedictus ab Asisio, electus Spinetae.
1621. P. Franciscus a Collefloreto, dein sancti Ioannis Lateranensis Poenitentiarius et Praeses, electus sanctae Mariae ab Auro.
1624. P. Cherubinus ab Asisio, electus sanctae Mariae ab Auro.
1625. P. Nicolaus a Perusia, Definitor generalis; electus sanctae Mariae Angelorum minister Provincialis Observantium, qui utramque familiam Observantium nempe et Reformatorum gubernavit.
1627. P. Franciscus a Trosciano, electus sanctae Mariae Angelorum.
1630. P. Franciscus a Montefelcino, secunda vice electus sancti Damiani.
1632. P. Benedictus ab Asisio, iam Reformatorum Custos; electus sanctae Mariae Angelorum minister Provincialis Minorum Observantium ex Brevi Urbani VIII S. P., qui utramque familiam sapientissime gubernavit.
1634. P. Benedictus a Tursiamno, electus sanctae Mariae Angelorum.
1637. P. Bernardinus a Fossato, electus sanctae Mariae Angelorum.

SUB HOC CUSTODE OMNES CUSTODIAE REFORMATAE FAMILIAE CISMOMTANAE IN PROVINCIAS SUNT ERECTAE.

MINISTRI PROVINCIALES.

1639. P. Bernardinus a Fossato.
1640. P. Ludovicus a Montegabione, electus sancti Damiani; deinde Procurator generalis Reformatorum.
1642. P. Ascanius ab Asisio, adhuc Procurator generalis, electus ex Brevi Urbani VIII.
1645. P. Bonaventura de Spoleto, electus sanctae Mariae ab Auro.
1647. P. Bernardinus a Fossato, electus pro secunda vice Iovii.
1649. P. Franciscus a Montefranco, dein Visitator apostolicus; electus Ecclesiae novae.
1653. P. Hieronymus a sancto Iustino, deinde Commissarius generalis Poloniae maioris et minoris, Provinciae Principatus, nec non Commissarius generalis Curiae; electus sancti Damiani.
1656. P. Ascanius de Asissio ordinis Pater, electus secunda vice sancti Damiani.
1659. P. Hieronymus a Tuderto, electus Trebiae.
1662. P. Evangelista a Nursia, electus sancti Damiani.
1665. P. Hieronymus a sancto Iustino, electus secunda vice sancti Damiani.
1668. P. Angelus a Perusia, electus sanctae Maria ab Auro.
1671. P. Evangelista a Nursia, iterato electus sancti Damiani.
1674. P. Ioannes Franciscus ab Asisio, electus sancti Damiani.
1675. P. Gaudentius a Perusia, vicarius Provincialis, electus Trebiae.
1677. P. Ludovicus ab Interamna, electus sancti Damiani.
1680. P. Lucas a Parrano, electus Trebiae.
1681. P. Thomas ab Argentilla Vicarius provincialis, electus sancti Damiani, qui sancti Ioannis Lateranensis Poenitentiarii officio fungens, illud resignavit et eius loco Pater Antonius a Montebufo in Vicarium provincialem suffectus fuit. Hic capitulo generali Toletano interfuit, in quo fuit electus in Definitorem generalem.

1683. P. Angelicus a Palatio, electus sancti Damiani.
1686. P. Antonius de Trebia, electus Trebiae.
1689. P. Antonius a Montebufo, electus iterum sanctae Mariae ab Auro.
1692. P. Seraphinus a Brufa, ex-Secretarius generalis electus Montissancti.
1695. P. Bonifatius a Nursia, electus Montissancti.
1698. P. Dominicus ab Iovio, electus Spinetae.
1701. P. Valentinus ab Ameria, electus sancti Damiani.
1704. P. Petrus Franciscus a Pedepaterno, electus Montissancti.
1707. P. Antonius a Trebia, qui Secretarius generalis erat; electus secunda vice Eremitae.
1709. P. Sebastianus a Montetetio, Vicarius provincialis, electus Montisluci.
1710. P. Sebastianus a Montetetio, electus Minister provincialis sancti Damiani.
1713. P. Laurentius a Monteleone, electus Ecclesiae novae.
1716. P. Petrus a Balnearea, electus sancti Damiani.
1719. P. Ignatius ab Hyspello, electus sanctae Mariae ab Auro.
1722. P. Eustachius ab Eugubio, electus sancti Damiani.
1725. P. Venantius a Viturclano, electus sanctae Mariae ab Auro. Hic Pater Eleonorae, Hetruriae Magnae ducissae, fuit a conscientiae arcanis.
1728. P. Constantinus de Marsciano, electus sancti Damiani.
1731. P. Valentinus de Brixia, electus Trebiae.
1734. P. Antonius a Stronconio, electus Tuderti.
1737. P. Petrus Antonius a Paterno, electus ex Brevi Clementis XII.
1739. P. Augustinus ab Eugubio, electus Tuderti.
1742. P. Vincentius ab Interamna, electus Trebiae.
1745. P. Paulus de Gallano, electus sancti Damiani.
1748. P. Eustachius a Brixia, electus sanctae Mariae ab Auro.
1751. P. Basilius de Papineo, electus sancti Damiani.
1754. P. Paulus de Gallano, secunda vice electus sancti Damiani.
1757. P. Aloysius ab Urbeveteri, electus sancti Damiani.
1760. P. Pacificus a Cryptis sancti Stephani, electus sancti Damiani.
1763. P. Stephanus a Scheggino, electus Trebiae.
1766. P. Ignatius a Brixia, electus Ecclesiae novae.
1769. P. Liberatus a Viturclano, electus sancti Damiani.
1772. P. Laurentius de Trebia, electus sancti Damiani.
1775. P. Epiphanius ab Aunano, electus sancti Damiani.
1778. P. Laurentius a Viturclano, electus Tuderti.
1781. P. Leopoldus a Gaichis, electus sanctae Mariae ab Auro. Venerabilis titulo gaudet et eius canonizationis causa nunc pertractatur.
1784. P. Aloysius ab Aunano, electus Trebiae.
1787. P. Mathias de Viturclano, deinde Definitor generalis, electus sancti Damiani.
1790. P. Thomas ab Asculo, electus Ameriae.
1793. P. Ignatius a Parrano, electus Spinetae.
1796. P. Ignatius de Turrio, electus sancti Damiani.
1800. P. Emygdius ab Asculo, electus Spinetae.
1803. P. Franciscus de Cryptis castri, dein Definitor generalis, electus Tuderti.
1806. P. Aloysius de Iovio, electus sancti Damiani.
1809. P. Bonaventura a Daligno, electus Trebiae.

Anno 1810 die 15 Iunii exiit decretum suppressionis, qua durante, idem P. Bonaventura functus est Provincialis officio.

1815. P. Bonaventura a Daligno electus est Delegatus generalis.
1816. P. Felix de Massa, electus Romae a reverendissimo Ministro Generali.
1819. P. Augustinus a Cryptis sancti Stephani, electus Tuderti.
1822. P. Anacletus a Nicaea, electus sancti Damiani.
1825. P. Marius a Parrano, electus sancti Damiani.
1828. P. Augustinus de Cryptis sancti Stephani, secunda vice electus sancti Damiani
1831. P. Ioseph-Maria ab Argentilla, electus sancti Damiani.
1834. P. Bernardinus ab Aunano, electus sancti Damiani.
1837. P. Telesphorus a Viterbio, electus Tuderti.
1840. P. Emygdius a Serravalle, electus sancti Damiani.
1843. P. Jeremias ab Aunano, electus Trebiae.
1846. P. Telesphorus a Viterbio, secunda vice electus Urbisveteris.
1849. P. Hyacinthus ab Aesio, electus sancti Damiani.
1852. P. Franciscus a Castro florum, electus sancti Damiani.
1855. P. Eusebius a Vineanello, electus sancti Damiani.
1858. P. Franciscus a Burgorapto, electus sancti Damiani.
1861. P. Franciscus ab Aunano, electus Romae; rexit per annos 14.
1875. P. Aloysius a Pedelama, electus Romae.
1878. P. Aloysius a Pedelama, iterum electus Romae per schedulas et Eugubii solemniter proclamatus, praesidente reverendissimo Patre Bernardino a Portu Romatino Ministro Generali.
1881. P. Gaudentius a Capiteaquae, electus Ecclesiae novae.

MINISTRI PROVINCIALES IN ALIENA PROVINCIA.

1652. P. Paulus a Lauda, Vicarius Provincialis in provincia Romana.
» P. Hieronymus a Taurino, Minister Provincialis in provincia sancti Thomae, ignoto anno.

§ V.

Series Commissariorum Visitatorum nostrae Provinciae et Praesidum Capitulorum.

1621. P. Philippus a Morro, provinciae ignotae.
1624. P. Silvester a Moriano, Custos provinciae Marchiae.
1625. Reverendissimus P. Bernardinus de Senis, Minister Generalis.
1627. P. Marcus ab Antico, Pater Ordinis et Minister provinciae Marchiae.
1630. P. Antonius de Galbiate, Commissarius Generalis.
» P. Cherubinus ab Asisio, ex-Custos regiminis nostrae Provinciae, ignoto anno.
1649. Reverendissimus P. Daniel, Vicarius Generalis Ordinis.
1655. P. Hieronymus a Subaglia, provinciae Mediolanensis.
1656 P. Placidus de Aregno, ex-Minister provinciae Corsicae.

» P. Bonaventura a Spoleto, ex-Minister Provinciae nostrae, anno ignoto.
1665. P. Vincentius a Potentia.
1668. P. Marcus de Oggione, provinciae Mediolanensis.
1677. P. Ioannes a Montedenove, provinciae Marchiae.
1680. P. Bernardinus de Maro, provinciae Romanae.
1683. P. Vincentius de Casale, provinciae Mediolanensis.
1686. P. Franciscus M. a Messana, provinciae Vallisdaemonis Custos.
1689. P. Dominicus de Rapallo, provinciae Genuae.
1692. P. Bonaventura a Mesuraca, ex-Custos provinciae Cosentiae.
1695. P. Ludovicus a Barberino.
1698. P. Franciscus de Brandelio, Definitor provinciae Romanae, Visitator. Reverendissimus P. Matthaeus a S. Stephano Minister Generalis Praeses Capituli.
1701. P. Illuminatus de Roma, Definitor provinciae Romanae, Visitator, Reverendissimus P. Cherubinus de Nardò, Commissarius Generalis Capituli Praeses.
1704. P. Antonius de Brandelio, provinciae Tusciae.
1707. P. Caecilius a Placentia, Visitator, Reverendissimus P. Antonius a Montebufo nostrae Provinciae, Vice-commissarius Generalis Capitulo praefuit.
1710. P. Michael Angelus a Liburno, provinciae S. Thomae, Visitator, Reverendissimus P. Antonius a Montebufo Capituli Praeses.
1713. P. Rufinus a Montenovo.
1716. P. Antonius Franciscus a Marino.
1719. P. Antonius a Luca, Lect. emeritus provinciae Tusciae, Visitator, Reverendissimus P. Ioannes Cosmas a Monte Minivio, Vice-commissarius Generalis Capituli Praeses.
1722. P. Angelus Benedictus ab Urbe, Definitor provinciae Romanae.
1725. P. Paulus a Mediolano, Lect. emeritus provinciae Romanae.
1728. P. Franciscus ab Aquila, Lect. generalis et ex-Minister reformatae provinciae S. Bernardini.
1731. P. Bernardinus a Scapetiano, Lect. generalis et Definitor provinciae Marchiae.
1734. P. Conradus de Placentia, Lect. generalis et ex-Minister provinciae Bononiae.
1737. P. Angelus a S. Georgio, Pater provinciae S. Angeli.
1739. P. Innocentius Maria a Roma.
1742. P. Ioannes Antonius a Taurino.
1745. P. Cornelius de Placentia, Lect. theologus.
1748. P. Bonaventura de Como, Lect. emeritus.
1751. P. Amadeus a Campogaiano, Lect. theologus.
1754. P. Iulianus a Pistorio, ex-Definitor provinciae Tusciae.
1757. P. Albertus a Sartheana, ex-Custos provinciae Tusciae.
1760. P. Gabriel ab Urbe, Definitor provinciae Romanae.
1763. P. Michael-Angelus a Bononia, ex-Minister provinciae Bononiae.
1766. P. Stephanus a Scheggino, ex-Minister Provinciae nostrae.
1769. P. Petrus a Signa, Lect. theologus et ex-Definitor provinciae Tusciae.
1772. P. Ludovicus de Cellis, ex-Custos provinciae Tusciae.
1775. P. Bernardinus a Tusculo, ex-Minister provinciae Romanae.
1778. P. Ludovicus de Cellis, secunda vice; provinciae Tusciae.
1781. P. Antonius Maria a Pisauro.

1784. P. Ioannes Baptista a Senalonga, provinciae Tusciae.
1787. P. Bernardus a Belvederio, Lect. theologus provinciae Marchiae.
1790. P. Hortensius de Montebodio, provinciae Marchiae.
1793. P. Placidus ab Urbe, provinciae Romanae.
1796. Reverendissimus P. Hilarius a Monte Magno, Commissarius Generalis.
1800. P. Ignatius a Parrano, ex-Minister nostrae Provinciae.
1803. P. Felix a Podio Bustone, Lect. theologus Provinciae nostrae.
1806. Reverendissimus P. Hilarius a Monte Magno, Commissarius Generalis.
1809. Reverendissimus P. Hilarius a Monte Magno, Minister Generalis.
1819. P. Aloysius de Iovio, ex-Minister Provinciae nostrae.
1822. Reverendissimus P. Vincentius de Massa, Vicarius Generalis.
1825. P. Thomas de Treia, Delegatus generalis, provinciae Marchiae.
1828. P. Anacletus a Nicaea, ex-Minister Provinciae nostrae.
1831. P. Thomas de Treia, Procurator generalis, provinciae Marchiae.
1834. Reverendissimus P. Ioseph ab Alexandria, Vicarius Generalis Ordinis.
1837. P. Thomas de Treia, Procurator generalis, provinciae Marchiae.
1840. P. Ioseph Maria ab Argentilla, ex-Minister Provinciae nostrae.
1843. Reverendissimus P. Ioseph ab Alexandria, Minister Generalis.
1846. Reverendissimus P. Aloysius a Laureto, Minister Generalis.
1849. P. Telesphorus a Viterbio, ex-Minister nostrae Provinciae.
1852. P. Ioseph Maria ab Argentilla, secunda vice, Provinciae nostrae.
1855. P. Ioseph Maria ab Argentilla, tertia vice.
1858. Reverendissimus P. Bernardinus a Montefranco, Minister Generalis.
1878. Reverendissimus P. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis.
1881. Reverendissimus P. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis.

§ VI.

Series Commissariorum Visitatorum et Praesidum Capitulorum ex nostra Provincia assumptorum, seclusis Visitatoribus Apostolicis.

P. Benedictus a Tursiamno, ex-Custos regiminis, varias Reformatorum Custodias visitavit ann. 1625-30.

P. Paulus a Lauda Pompeia, provinciae Pater, anno 1652 visitavit provinciam sancti Antonii Venetiarum.

P. Ascanius ab Asisio, Pater Ordinis, eandem provinciam anno 1655.

P. Hieronymus a Tuderto, ex-Definitor et Custos actualis, provinciam Marchiae anno 1659.

P. Hieronymus a sancto Iustino, provinciae Pater, anno 1662 provinciam Venetam.

P. Stephanus a Perusia, Lector theol., eandem provinciam anno 1678.

P. Antonius a Montebufo, ex-Minister, provinciam Marchiae anno 1693.

P. Cherubinus ab Asisio, Lect. theol., anno ignoto visitavit Provinciam nostram seraphicam.

Reverendissimus P. Antonius a Montebufo, praefuit Capitulo nostrae Provinciae anno 1710.

P. Valentinus a Brixia, Custos, visitavit Venetam provinciam anno 1730.
P. Hieronymus a sancto Romulo, ex-Minister, provinciam Marchiae anno 1645.
P. Antonius a Paterno, ex-Minister, visitator ante annum 1755, ubi ignoratur.
P. Carolus Maria a Cerreto, ex-Custos, provinciam Marchiae anno 1757.
P. Stephanus a Scheggino, ex-Minister, visitator nostrae Provinciae anno 1766.
P. Laurentius a Trebia, ex-Minister, anno 1784 eandem Provinciam.
P. Epiphanius ab Aunano, ex-Minister, anno 1784 eandem Provinciam.
P. Ignatius a Parrano, ex-Minister, nostram Provinciam anno 1800.
P. Felix a Podio Bustone, Lect. theol., eandem Provinciam anno 1803.
P. Bonaventura a Spoleto, provinciae pater, nostram Provinciam visitavit, anno ignoto.
P. Aloysius de Jovio, ex-Minister, 1819 nostram Provinciam.
P. Anacletus a Nicaea, ex-Minister, capitulo nostrae Provinciae praefuit anno 1828.
P. Ioseph Maria ab Argentilla, ex-Minister, 1840 nostram seraphicam Provinciam.
P. Telesphorus a Viterbio, ex-Minister, anno 1849 nostro capitulo praefuit.
P. Ioseph Maria ab Argentilla, anno 1852 nostram seraphicam Provinciam.
Idem, anno 1855 nostram Provinciam seraphicam.
P. Aloysius a Pedelama, ex-Minister, provinciam Tusciae anno 1883.

§ VII.

Series Religiosorum, qui singulari pietatis fama in reformata Provincia Seraphica floruerunt.

1. P. Angelus a Rotacastello, unus ex primis qui Custodiam gubernarunt et in Provincia seraphica reformationem consolidarunt. Is morum gravitate, virtutibus ac scientia praeclarus, variis extra Provinciam difficillimis legationibus functus est, quas sapientissime complevit. Plenus meritis ac cum sanctitatis odore animam Deo reddidit anno ignoto; in nostro Necrologio die 9 Aprilis commemoratur.

2. V. P. Humilis a Poppi, nomine et factis humilis, caritate, obedientia, silentio, oratione conspicuus. Decessit Ameriae anno 1620.

3. V. P. Iesualdus a Magliano, vix sacerdotio insignitus, praedicationis munus magno spiritus fervore suscepit et maximo animarum fructu usque ad mortem exercuit. Seraphici Patris imitator paupertatem, poenitentiam, perfectionem adamavit, strictioris observantiae strenuus assertor, dono contemplationis cumulatus, miraculis, ut fertur, refulsit. In caelum evolavit Tuderti anno 1620.

4. V. P. Bernardus a Dunaroba, dicti P. Iesualdi socius indivisibilis, eodem spiritu repletus, decessit ibidem anno 1621.

5. V. P. Ioannes a Collelongo, exemplo magis quam verbis per multos annos novitios viam virtutis edocuit. Cum sanctitatis odore decessit ibidem anno 1621.

6. V. P. Franciscus de Ameria, sancti Petri de Alcantara vestigia premens, per 40 annos nudis semper pedibus incessit, vigiliis et flagellis carnem compressit, paupertatem arctissimam coluit; amore Dei ita ardebat, ut in proximos flammas transmitteret; ante et post obitum ut sanctus a populo habitus; animam Deo reddidit Nursiae anno 1626.

7. P. Ioannes Maria a Bergomo, superiorum venia in patria pestis labe infectis inserviens, ibidem caritatis martyr occubuit die 25 Iunii 1630.

8. V. P. Bonifatius Ragusinus, qui tantae fuit humilitatis, ut, Ragusiae bis in Ministrum electus, constantissime eam dignitatem recusaret; et ne in posterum ad assumendam eandem aliquo modo cogeretur, nostram seraphicam Provinciam petiit et hic Deo famulari obtinuit. Tantis virtutibus donisque caelestibus refulsit, ut et fratribus et saecularibus exemplar evaserit. Eius beatissima mors, quae anno 1630 Tuderti accidit, signis et prodigiis, ut fertur, decorata fuit.

9. Fr. Philippus a Baschi, pietate insignis, miraculis ante et post mortem clarus, animam Deo reddidit Tuderti die 10 Decembris 1633.

10. P. Cherubinus a Stronconio, mentali orationi semper addictus, passim ecstasim patiebatur. In caelum evolavit Tuderti anno 1633.

11. V. P. Bernardinus ab Asisio, simplex ut columba, ut serpens prudens, ita ut fratribus et saecularibus admirationi esset, die noctuque orationi intentus, horis canonicis semper adstitit; senex lumen oculorum perdidit, qua iactura magis ad Deum laudandum excitabatur. Obiit Tuderti anno 1635.

12. V. P. Christophorus a Perusia, ex familia Vibi, seraphicae militiae primum inter Observantes, deinde voce B. Mariae Virginis invitatus inter Reformatos adscriptus. Tantis exornatus evasit virtutibus, ut a Christo crucifixo feratur vocatus esse: *meus carus*. Mortem oppetiit hora et die, quam praedixerat, in conventu Tuderti 1635.

13. V. P. Petrus Gallus, hac epigraphe commendatur: *Ecclesiae novae requiescit Petrus Gallus, Sacerdos Provinciae Seraphicae, omni virtutum genere, paupertate praesertim, oratione, obedientia, exemplaritate, ac novitiorum educatione praeclarus.* Dies mortis eius ignoratur.

14. V. P. Seraphinus a Collelcino, perfectae sui abnegationis studiosissimus, dominicae passionis meditationi intentus; creditur decedisse Tuderti, die et anno ignoto.

15. V. Fr. Onophrius a Flamminga, omni virtutum genere exornatus, signis atque prodigiis ante et post mortem refulsit. Sanctissime obiit Trebiae die 22 Septembris 1639.

16. P. Nicolaus a Perusia, inter Observantes habitum sumsit, dein inter Nostrates cooptatus. Iterato Custodis regiminis, Ministri Provincialis, Definitoris Generalis, Commissarii Curiae, Visitatoris apostolici muneribus functus. Zelo ac prudentia undequaque reformationem consolidavit. Iustorum mortem oppetiit Tuderti die 26 Maii 1641.

17 P. Benedictus ab Asisio, Custos regiminis, tanta doctrina, zelo, pietate ac prudentia pollebat, ut ab Urbano VIII Minister Provincialis Minorum Observantium huius provinciae institui mereretur. Nec spes tantum Pontificem fefellit; nam utramque familiam, Observantium scilicet et Reformatorum, ita rexit et gubernavit, ut omnibus admirationi esset. Post longam et virtutibus cumulatam vitam, magnae probitatis fama clarus, placidissime obiit Ecclesiae novae Asisii anno 1641, die tamen ignota.

18. P. Cherubinus ab Asisio, ex comitibus Bini, ven. servae Dei Diomirae, sororis tertii Ordinis, frater germanus, Custos ac Vicarius Provincialis, inde provinciae Visitator, ac sanctae Clarae Neapolis Guardianus, theologus insignis et sanctitate clarus. Obdormivit in Domino in conventu sancti Diamani, ignoto die et anno.

19. V. P. Antonius a Pantalla, magna in B. Virginem devotione emicuit cunctis-

que sabbatis in eius honorem ieiunavit, religiosae perfectionis studiosissimus. Vitam mortalem cum immortali commutavit Nursiae anno 1642.

20. Fr. Hieronymus ab Eugubio, cuncta laicorum officia exactissime complevit, in ipso novitiatus anno B. Virginis Mariae apparitione recreatus et certior factus, quod nunquam febre corriperetur. Eventus praedictionem comprobavit; sine febre enim decessit Nursiae anno 1647.

21. V. P. Benedictus a Tursiamno, Custos regiminis, aliarumque Custodiarum Visitator, in quibus suae sanctitatis vestigia reliquit. Dum Guardiani munus Nursiae obiret, in ecstasim raptus, a quodam patre conspiciebatur, qui admiratione captus, alta voce audientibus fratribus exclamavit: *Me miserum: Me miserum.* Sancto fine quievit Tuderti die 11 Octobris 1648.

22. V. P. Antonius a Nuceria Umbriae, inter Conventuales religionem ingressus, tamen altioris perfectionis amore ad Nostrates confugit, ac tanto ardore virtutis iter aggressus est, ut brevi omnibus exemplar evaserit. Novitiis instituendis addictus, exemplo potius quam verbis ad virtutem eos promovebat. Obiit Eugubii, die et hora, quam praedixerat; annus vero ignoratur.

23. Fr. Bonaventura e Domibus Masciorum, Tudertinae dioecesis, spiritu prophetico ornatus, multa praedixit eventu comprobata, inter quae decessum Urbani VIII et Innocentii X electionem. Beatam mortem oppetiit in conventu sancti Iacobi Tuderti anno 1649.

24. Fr. Petrus a Montefranco, tanto Dei et B. Mariae Virginis amore aestuabat, ut se continere non posset quin interdum exclamaret: *Amore, amore, paradiso, paradiso,* et hoc amore incensus a feria V in Coena Domini usque ad subsequens Sabbatum sanctum quodam anno raptus in ecclesia permansit. In caelum evolavit Tuderti die 6 Ianuarii 1650.

25. P. Antonius ab Ameria, visione B. Mariae Virginis in morte recreatus. Obiit Spinetae die 9 Octobris 1657.

26. Ven. Fr. Marius ab Amatrice, prophetico spiritu insignitus ac miraculis clarus, in caelum evolavit Trebiae mense Novembris anni 1659. Eius beata mors etiam prodigiis decorata fuit.

27. Fr. Iustinus a Podio Aquilone, ecstasum dono cumulatus, sancto fine quievit in conventu sancti Francisci ad Ripas Tiberis 12 Ianuarii 1662.

28. Fr. Paschalis a Podio Aquilone, virtute insignis, decessit Celleni hora et die, quam praedixerat, scilicet 17 Martii 1666.

29. Fr. Vulganus de Flandria, spiritus fervore admirabilis; decessit Eugubii 20 Ianuarii 1668.

30. P. Bernardus de Machis, exemplaritate vitae admirabilis; obiit Urbeveteri die 2 Octobris 1669.

31. Fr. Fridericus a S. Marco, Nursinae dioecesis, T. O. intra claustra professus, cum sanctitatis fama in conventu sanctae Mariae a Iesu Messanae provinciae decessit, dum ut socius Reverendissimo P. Antonino de Melitillo inserviebat, die 5 Augusti 1674.

32. V. P. Franciscus a Montefranco, provincialis Minister, regularis disciplinae indefessus assertor, zelo, prudentia, silentio, paupertate, caritate ac iustitia emicuit. Lugentibus omnibus sanctissime obdormivit in Domino Trebiae, die et hora a se praedicta, scilicet 14 Iunii 1675.

33. Fr. Cornelius de Cascia, humilitate et oratione admirabilis, terrenam cum caelesti vitam commutavit Nursiae 24 Decembris 1676.

34. Fr. Lucas a Montecastello, pietate ac spiritus fervore insignis, sancto fine quievit Nursiae die 26 Ianuarii 1677.

35. Fr. Adeodatus a Pantano, ne impudicae dominae, cui famulabatur, effrenatae libidini assentiret, novellus Ioseph non tantum pallium, sed cuncta sua in eius manibus reliquit, et Beatissimae Virginis Mariae apparitione admonitus, seraphicum Institutum amplexus est; brevi ad virtutis culmen pervenit, prophetico spiritu et miraculorum dono refulsit. Decessit Ameriae hora, quam praedixerat, die 19 Aprilis 1680.

36. Fr. Franciscus a Melezzolis, in humilitate ac oratione vitam transegit, et caelestibus donis cumulatus, decessit Plagarii, dum P. Vincentio ab Eugubio praedicatori socius assisteret, die 6 Aprilis 1681. Miraculis, ut fertur, ante et post mortem refulsit.

37. V. Fr. Michael a Collelongo, mira abstinentia et regularis disciplinae zelo praeditus, apud fratres et saeculares in magna aestimatione habitus, miraculorum dono illustris. In Domino obdormivit Montisluci die 2 Februarii 1682.

38. Fr. Silvester ab Hospitalichio, oratione ecstatica, poenitentiae operibus et divinis charismatibus insignis, decessit e vita Ecclesiae novae 8 Octobris 1688.

39. P. Ioannes Baptista a Castro Aquilae, qui animarum zelo exaestuans, plenus meritis in caelum evolavit Tuderti 19 Octobris 1688.

40. P. Philippus a Spoleto, theologus doctissimus, Definitor ac Provinciae Custos, sancti Officii Spoleti Consultor; tantae apud omnes aestimationis et venerationis erat, ut ad eum pro consiliis habendis undique confugerent. Sancto fine quievit Spoleti in conventu Montisluci die 18 Aprilis anno 1698.

41. P. Franciscus Maria de Stilo, laurea doctorali insignitus, seraphicum Institutum amplexus est. Sacrae Congregationis Ep. et Regul. iussu in seminario Tudertino sacros canones explicavit. Vir cunctis in scientiis versatissimus, attamen splendidior humilitate ac orationis spiritu. Plenus meritis obdormivit in Domino ignoto loco, die et anno. In nostro Necrologio ipsius commemoratio fit sub die 4 Iunii.

42. P. Angelicus a Palatio Bovarino, morum probitate ceteris exemplum se praebuit, virtute potius quam auctoritate Provinciam gubernavit. Sanctissime obiit Scarzolis die 5 Aprilis 1699.

43. P. Isidorus a Carnaiola, abstinentia et zelo regularis disciplinae praeclarus. In osculo Domini decessit Spinetae die 4 Februarii 1701.

44. Fr. Thomas ab Hospitalichio, omnigena virtute et prophetico spiritu insignis, prodigiis in vita et post mortem a Domino illustratus. Decessit in conventu Ecclesiae novae 25 Augusti 1701.

45. P. Ioannes a Cortineo, tum virtutibus, tum verbi Dei praedicatione floruit. Ex hac vita migravit Nursiae die 30 Octobris 1701.

46. Fr. Antonius de Izalinis, inter inedias et austeritates vitam duxit, meritorum plenus migravit Tuderti 27 Aprilis 1704.

47. Fr. Martinus ab Aquila, cum sanctitatis odore decessit Urbisveteris 16 Augusti 1708.

48. P. Franciscus a Leonissa, Missionum praefectus. in quibus ultra quinquaginta annos insudavit, Episcopatum praeclara humilitate recusavit, laetus dum animarum salutem curare posset. Obdormivit in Domino Constantinopoli, ignota die et anno.

49. P. Antonius a Montebufo, doctrina, zelo, probitate ac sanctitate conspicuus, Ministri Provincialis, Definitoris Generalis, Visitatoris Apostolici et Vice-Commissarii Generalis officiis functus. Sancto fine quievit in conventu sancti Francisci ad ripas trans Tiberim die 10 Novembris 1710.

50. Fr. Ioachim a Vagone, praecipuarum virtutum praerogativa exornatus, in caelum evolavit in conventu Specus die 6 Februarii 1712.

51. Fr. Paschalis a Dusanctis, miris virtutibus floruit. Decessit Tuderti die 22 Februarii 1712.

52. Fr. Bernardus ab Asisio, probitate clarus, divinis charismatibus cumulatus, obiit in sacro Monte Alverniae die 24 Iunii 1714.

53. P. Ioseph Maria a Sigillo, scientia et probitate eximius, animarum amore vulneratus, nunquam praedicationis officium omisit. Beatam mortem oppetiit Eugubii die 11 Martii 1716.

54. P. Bartholomaeus a Costacciaro, ab ipso iuventutis flore missionibus Albaniae addictus, in illis multa passus et ad necem quandoque quaesitus, nunquam tamen verbi Dei praedicationem omisit, praesertim cum Praefectus Apostolicus renuntiatus fuit. Senectute gravatus in Provinciam remeavit et in pace spiritum Deo reddidit Trebiae die 7 Septembris 1716.

55. P. Athanasius de Nursia, solitudinis et ferventissimae orationis vir, pietate ac humilitate insignis; vitam mortalem cum immortali commutavit Cerreti die 22 Octobris 1716.

56. P. Leonardus a Pontecutis, scientia, morum probitate, regularis disciplinae zelo admirabilis; sancto fine quievit Tuderti die 10 Martii 1722.

57. Reverendissimus DD. Bernardinus Chiesa, domo Venetus, dum Urbeveteri Guardiani munere fungebatur, a S. C. de Propaganda Fide Romam vocatus et cum aliis confratribus ad Missiones Sinenses missus anno 1680 et consecratus Episcopus Argoli in eadem ecclesia S. C. antequam discederet, hinc imperium Sinense ingressus, episcopali officio suscepto, tanto spiritus fervore in salutem animarum procurandam adlaboravit, ut a S. Sede cunctarum illarum regionum Vicarius Apostolicus renuntiatus fuerit. Inde Alexander VIII precibus regis Lusitaniae benigne annuens, ad Pechini sedem eum transtulit, in qua usque ad obitum, scilicet per annos 42 strenue adlaboravit. Franciscus Nicolai Archiep. Myrae, teste nostro Chronologo, anno 1714 de ipso scribebat: « *Monsignore Chiesa è un Prelato degnissimo, uomo veramente Apostolico e di vita esemplarissima, decoro della Religione e splendore della Provincia serafica riformata... per descrivere i di lui gran meriti, e le sue fatiche apostoliche, richiederebbensi dei volumi, e non lettere* ». Sancto fine quievit in Sinis die 24 Octobris 1722.

58. Fr. Fredianus a Monthione, cum ingentis perfectionis fama vixit et obiit Urbeveteri 16 Iulii 1723.

59. Fr. Bernardus a Collelongo, exemplaritate vitae cunctis admirabilis. Decessit Tuderti die 20 Decembris 1723.

60. P. Antonius a Florentia, praedicator eximius, quod munus per totam vitam exercuit; cum sanctitatis fama decessit Celleni die 24 Iulii 1724.

61. P. Ioseph ab Urbeveteri, Praefectus Missionum in Albania, Episcopi Pulatensis et Scutarini Vicarius Generalis. Pietate, doctrina, zelo commendatissimus. Salutem animarum anhelans septem novas Missiones erexit, scilicet Planti, in Pulati

minori; Toplanae, in Pulati maiori; Othi; Selzae, in Clementi; Pedanae, in Macedonia; Chidenae, pariter in Macedonia; et Pechiae, in Servia; quas, ut magis fructus animarum germinarent, tribus Praefectibus munivit. In Provinciam redux meritis et donis caelestibus cumulatus sancto fine quievit Tuderti die 7 Augusti 1724.

62. Fr. Ioannes Maria a Cecina, magnae perfectionis vir. Occubuit sancti Damiani die 27 Iunii 1725.

63. Fr. Dionysius de Padua, exemplaritate vitae conspicuus, in caelum evolavit Eugubii die 24 Ianuarii 1726.

64. P. Albertus de Bononia, vix sacerdotio initiatus praedicationis officium suscepit et ad finem usque continuavit tanto animarum fructu, ut, dum ille de Christi mysteriis verba faceret, cunctus populus lacrymas funderet. Eius beata mors Ameriae accidit die 9 Iulii 1728.

65. V. Fr. Caesarius ab Ancarano, qui summa vitae asperitate refulsit; ieiuniis nempe et acutis flagellis carnem domabat, somno brevissimo indulgebat, ut divinarum rerum contemplationi praesto esset, in quibus effusus in lacrymas, mire elevabatur. Miraculis ante et post mortem coruscavit. Sanctissime obiit Nursiae die 11 Decembris 1728.

66. Fr. Simon a Viniola, omnibus religiosis virtutibus refertus. Vitam aeternam cum temporanea commutavit Romae sancti Francisci ad ripas Tiberis 6 Martii 1729.

67. Fr. Paschalis ab Eugubio, vix seraphico habitu indutus perfectionis iter arripuit, ac brevi tempore ceteros consodales, etiam aetate grandaevos, superavit; praesertim spiritu orationis refulsit, in qua passim ecstasim patiebatur. Pretiosam mortem oppetiit Montisluci die 23 Augusti 1730.

68. P. Franciscus de Trebia, pietate ac doctrina clarus, praedicator egregius, quod munus per totius vitae cursum exercuit. In osculo Domini obdormivit Trebiae die 8 Octobris 1731.

69. Fr. Hieronymus de Frattuccia, labentis populi impetu pressus in ecclesia sanctae Mariae Angelorum fertur haec ultima protulisse verba: *O quam dulce est mori in domo B. Mariae Virginis*, et statim spiritum Deo reddidit die 1 Augusti 1733.

70. Fr. Silvester de Bitonico, religiosa probitate clarus, ex hac vita migravit Tuderti die 18 Augusti 1733.

71. P. Ignatius ab Hyspello, qui Evangelium per plures annos populis disseminavit, Provinciae regimen zelo, pietate ac eximia prudentia tenuit; piissime decessit Eugubii die 24 Decembris 1736.

72. V. P. Petrus Dominicus ab Urbeveteri, sancti Leonardi a Portu Mauritio coaetaneus, ferventissimus divini verbi praeco, in quo officio totam vitam ingenti animarum fructu consummavit. Miraculis ante et post mortem claruit, eiusque virtutes in gradu heroico decreto S. Congregationis comprobatae sunt. Attamen canonizationis processus ob varios eventus et documenta deperdita interruptus fuit. Sanctam animam Deo reddidit Urbeveteri die 24 Octobris 1738.

73. Fr. Alexander a Zelbio, qui eximia caritate erga infirmos excelluit; pie mortem oppetiit Tuderti 6 Februarii 1739.

74. P. Pius a Submonte, Bergomensis, zelo animarum accensus, Albaniam petiit, ibique publicum concubinarium et incestuosum redarguens nihilque proficiens,

tandem eum excommunicatione mulctavit. Ast ille magis ira et odio furens, eum primo lapidibus obruit et gladio transverberavit; deinde saxo ad collum chorda qua cingebatur alligato, in flumen proiecit. Hac gloriosa morte bonus pater vere martyr occubuit 10 Iulii 1742.

75. P. Michael de Vallo, instituendis novitiis addictus, per multos annos id munus patientia, caritate, prudentia exercuit; cunctis virtutibus exornatus decessit Tuderti die 26 Augusti 1742.

76. V. P. Petrus a Balnearea, Ministri Provincialis officio functus, vir omnigenae perfectionis, miraculis ante et post mortem claruit, pro cuius beatificatione processus instituì coeperunt. In caelum evolavit Celleni die 2 Decembris 1742.

77. P. Ludovicus a Mercatello, Aegypti Missionarius Apostolicus, nullo labore territus, ad vitia exstirpanda et ad christianas virtutes excolendas strenue insudavit. Laboribus fractus et diuturna infirmitate, sicut aurum in fornace probatus, heroicae patientiae in sustinendis doloribus exemplum se praebuit. Ad caelestem patriam vocatus fuit Sirgii die 22 Iulii 1743.

78. P. Angelus Maria ab Urbeveteri, in Albania per multos annos ardentisimo animarum zelo et magno earundem lucro apostolico ministerio vacavit, ab omnibus ob suas virtutes velut sanctus habitus, nec non Praefecti Apostolici et Episcopi Pulatensis Vicarii Generalis officio functus. Ad caelestia migravit Pulati die 18 Martii 1759.

79. P. Benedictus de Pontita, zelo animarum exaestuans, ac dominicae passionis maxime devotus, verbum Dei populis disseminare nunquam cessavit. Pie decessit in conventu Ecclesiae novae die 27 Maii 1765.

80. P. Dominicus de Iovio, summae pietatis ac devotionis vir, defunctus est Ameriae die 9 Iulii 1767.

81. Fr. Andreas de Sipanico, pietate ac probitate vitae conspicuus. In osculo Domini mortuus est Tuderti 2 Februarii 1768.

82. Fr. Silvester de Monticulis Spoleti, patientiae, humilitatis, abstinentiae virtutibus refertus. Decessit Tuderti 7 Februarii 1768.

83. Fr. Ioseph de Cryptis sancti Stephani, magna caritate erga infirmos, cunctisque religiosis virtutibus exornatus, cum sanctitatis odore ac signis beatam mortem oppetiit Ameriae 11 Septembris 1778.

84. P. Cherubinus a Spoleto, magnae sanctimoniae sacerdos. Obiit Spoleti die 31 Martii 1781.

85. P. Paschalis a Cerreto, Tripoli Missionarius Apostolicus, qui dum ardenti caritate assiduum epidemico morbo laborantibus auxilium praebebat, eodem morbo correptus, animam suam proximo immolavit. Ad astra volavit Tripoli 26 Iunii 1785.

86. P. Bonaventura de Cerreto, praecedentis germanus frater, Missionum Praefectus, eadem ac ille caritate inflammatus, peste infectis, mirantibus omnibus, sacramenta et auxilia praestabat. Eadem labe infectus pie decessit Tripoli 27 Iunii 1785.

87. P. Ioannes Maria de Viturclano, caritate in proximos flagrans, sacris missionibus se addixit, quibus innumeros peccatores e vitiorum coeno in viam salutis reduxit. Meritis plenus sancto fine quievit Celleni 26 Iulii 1786.

88. P. Dominicus de Cryptis sancti Stephani, religiosus magnae perfectionis, cuius mors contigit Celleni die 15 Februarii 1789.

89. P. Franciscus Antonius de Turribus in Sabinis, paupertatis, austeritatis et caritatis erga pauperes cultor eximius; sancte occubuit Ameriae 2 Septembris 1789.

90. P. Caietanus Maria ab Interamna, mirae simplicitatis ac devotionis vir, praesertim B. Virginem Mariam ardentissimo amore prosequebatur. Diebus ac meritis plenus ad caelestia migravit Eugubii die 11 Decembris 1790.

91. Fr. Iuniperus a S. Vito, summa simplicitate ac spiritu humilitatis et orationis exornatus, cum sanctitatis fama vixit et obiit miraculisque, ut fertur, refulsit. In caelum evolavit Urbisveteris die 28 Decembris 1794.

92. Fr. Faustinus a Ponteligneo, qui Gallis loca Sancta invadentibus et resistentibus Arabis, ab istis comprehensus et frustatim discerptus, pro persequentibus orans, ex hac vita migravit in hospitio Ramae die 15 Martii 1799.

93. Fr. Bernardinus de Ravenna, dum in oppido sancti Laurentii quaestuatoris officio fungebatur, laetali morbo correptus, ibidem cum sanctitatis fama decessit die 9 Februarii 1802.

94. P. Iacobus a Mevania, doctrina, sagacitate et ardentissimo animarum zelo insignis, magna sanctitatis opinione animam Deo reddidit in conventu Ecclesiae novae 28 Octobris 1806.

95. V. P. Leopoldus de Gaichis, vestigia sancti Leonardi a Portu Mauritio premens, Missionibus indigenis cum pluribus confratribus se addixit, in quibus innumerabiles animas Christo lucrifecit. Plaudentibus omnibus, ad Provinciae regimen electus, regularem disciplinam magno zelo vel restituit, ubi aliquo modo defecerat, vel confirmavit, ubi vigebat. Miraculis in vita et post mortem refulsit. Spes affulget, ipsum Beatorum honores proxime asseculurum esse. In caelum evolavit Spoleti die 2 Aprilis 1815.

96. P. Franciscus de Diana, vitam integerrimam duxit et pie obiit Eugubii die 8 Octobris 1817.

97. P. Ioseph a Ponteligneo, zelo, pietate, oratione ac eximia observantia conspicuus. Placidissime occubuit in conventu Ecclesiae novae die 22 Octobris 1824.

98. Fr. Spiridion a Ficullis, vitae exemplaris, et in sanctitatis odore decessit Urbisveteris die 5 Maii 1829.

99. P. Evangelista a sancto Peregrino, summae simplicitatis, patientiae et devotionis vir; cuius funus multitudo populi comitata est. Piissime obiit Spoleti die 27 Maii 1836.

100. P. Paschalis a Collebaccario, orationi semper intentus, obdormivit in Domino in conventu Ecclesiae novae 26 Ianuarii 1838.

101. P. Vincentius a Cerreto, magnae sanctimoniae sacerdos, qui beatam mortem oppetiit in monasterio Ecclesiae novae 26 Decembris 1838.

102. Fr. Aloysius de Gradulis, eximiae perfectionis ac sanctitatis vir, qui pie morte correptus est Viturclani 25 Augusti 1839.

103. Fr. Simplicianus a Turribus, nomine et factis simplex, maxima exemplaritate vitae refulsit, et Pio IX tunc Archiepiscopo Spoletano valde acceptus erat. Decessit Spoleti 12 Februarii 1842.

104. P. Petronius a Bononia, paupertatis seraphicae fidelissimus custos, magna probitate et perfectione exornatus, sancto fine quievit Cerreti 29 Decembris 1844.

105. P. Gregorius a Collebaccario, Beatissimae Virginis Mariae maxime devotus et exemplaritate vitae conspicuus. Decessit Spoleti 25 Martii 1845.

106. P. Pacificus ab Arimino, sacrae theologiae et eloquentiae lector, diuturno morbo probatus tanta patientia dolores sustinuit, ut tum religiosis tum saecularibus aedificationi esset. Decessit Urbisveteris 12 Iunii 1847.

107. P. Fulgentius a Vincanello, tertio Definitor, optimis moribus exornatus, ac scientia et pietate conspicuus, obdormivit in Domino Eugubii 8 Octobris 1847.

108. P. Bonaventura ab Urbino per ultra quadraginta annos sacrum Montis luci recessum incoluit ac exemplaritate vitae praefuit et profuit. Pie ibidem obiit die 3 Maii 1850.

109. P. Coelestinus ab Aunano, in novitiis instituendis totam vitam consummavit, placidissime animam Deo reddidit Spinetae 17 Februarii 1851.

110. P. Evangelista ab Aunano, Provinciam nostram doctrina ac pietate illustravit. Siquidem lector Theologiae per plures annos primum apud Nostrates, dein Seminarii Tudertini rector et Moralis professor decem et octo annis fuit; et per annos triginta et octo conscientiae casus dioecesis clero proposuit et resolvit. Omnium animos in sui admirationem non minus propter eruditionem quam propter vitae probitatem convertit. Sancto fine quievit Tuderti 12 Iunii 1852.

111. P. Ioseph Maria ab Argentilla, alterum Provinciae nostrae huius aetatis luminare, doctrina et pietate conspicuus; provinciam sapientissime moderatus est, ac tribus vicibus ut Commissarius generalis visitavit et capitulo praefuit; iterato in Definitorem et Custodem vocalem electus; sancti Ioannis Lateranensis Poenitentiarius; Missionarius apostolicus cum duobus Eminentissimis principaliores Romandiolae urbes evangelizavit; sacras virgines in perfectionis viam direxit. Annis et meritis plenus in pace animam Deo reddidit Trebiae die 8 Iulii 1857.

112. Fr. Vigilius a Lesmo, sub Napoleonico gubernio militiae adscriptus, deinde seraphicum Institutum amplexus, religiosis virtutibus refulsit, praesertim paupertate et oratione. Mors eius aliquibus signis decorata fuit, et accidit Montis luci die 14 Februarii 1865.

113. P. Ubaldus ab Eugubio, novitios pietate atque vitae exemplaritate ad Montis luci direxit; sacrum Recessum pluries gubernavit ibique sancto fine quievit die 24 Februarii 1865.

114. P. Aloysius a sancto Iacobo prope Spoletum, ex-Definitor, cum Ven. P. Leopoldo a Gaichis sacri Montis luci recessum post napoleonicam suppressionem restauravit. Deinde Missiones Albanenses petiit et obtinuit, in quibus per 15 annos, saepissime ad necem quaesitus, strenue insudavit. Vix huic Provinciae restitutus a S. C. de Propaganda Fide Praefectus Apostolicus Tripolim Mauritaniae missus, duobus sociis peste infectis perditis, solus remansit, mortem quotidie et ipse exspectans; sed divina virtute incolumis evasit. E Mauritania redux, dilectissimum sibi sacrum Montis luci recessum plures annos incoluit, orationi, meditationibus ac praedicationi Verbi Dei strenue incubuit. Laboribus, morbis ac aetate fractus, Trebiam venit ibique anteactae vitae nihil immutans, immo maiorem perfectionem semper anhelans, saepe in seipsum flagellis et ieiuniis, donec prohibitus fuit, animadvertebat. Vir vero spiritu Seraphico ornatus, paupertatem ut sponsam adamabat, erga Beatissimam Virginem Mariam et sanctum Patriarcham Ioseph ardentissimo amore flagrabat. In osculo Domini obiit Trebiae, die, sicut non obscure praedixerat, 5 Novembris 1866. Vale anima dilectissima, et miserrimi, qui a tuae conscientiae arcanis fuit, dum in conspectu Domini sistis, recordare.

115. P. Franciscus Maria de Castro florum, Lector emeritus, ex-Definitor, ex-Custos, ex-Minister: scientia ac humilitate praeclarus; Episcopi Tudertini familiarissimus, qui eum a consiliis habebat. Per annos duodeviginti sacrarum Virginum Montis castrillorum confessarius, ibi omnibus virtutum exemplar factus, cum sanctitatis odore animam Deo reddidit die 14 Aprilis 1875.

116. Fr. Paschalis a Montorio, vitae exemplaris; decessit Aunani 7 Novembris 1879.

117. P. Petrus Chrysologus a Cryptis sancti Stephani, Lector emeritus, tertio ex-Definitor, Sutrini et Setiae Seminariorum Philosophiae ac Matheseos professor. Ad Provinciam reversus, missionibus indigenis se addixit, quibus pluribus annis praefuit, et ad mortem usque pro animarum salute strenue insudavit. Decessit in Seminario Interamnae die 15 Decembris 1879 victima suae erga proximos caritatis.

118. Fr. Herculanus a Diruta, laicus magnae bonitatis et simplicitatis, votorum suorum custos vigilantissimus, suum occasum praedixit, et post piissimam mortem insigna dedit sanctitatis indicia. Obiit Aunani die 23 Decembris 1879.

119. P. Remigius a Vineale, theologiae Lector, ex-Definitor, vir vere spiritu Seraphico repletus, B. Virginis Mariae maxime devotus, maiorem diei et noctis partem orationi et meditationi dabat, vota integre custodiebat, quamobrem factus est exemplar omnium virtutum, ita ut *Sanctus* ab omnibus appellaretur. Sancto fine quievit Cerreti ad sanctae Mariae Constantinopolitanae die 26 Octobris 1880.

120. Fr. Hyacinthus a Monte lacu, Clericus, singulari bonitate exornatus, optimae spei iuvenis, unus ex primis nostri Collegii alumnus; evolavit in caelum sancti Peregrini 14 Aprilis 1882.

§ VIII.

Sequuntur Sorores Clarissae Monasterii sanctissimae Trinitatis Iguvii.

1. Quatuor sorores ex Montis lucis Perusiae observantissimo monasterio in illud sanctissimae Trinitatis Iguvii anno 1509 reformationis gratia adductae fuerunt. Harum tantum unius nomen traditio transmisit, et est soror Prudentia de Narnia, quae etiam Abbatissae munere functa est. Omnibus virtutibus necesse est asserere eam fuisse ornatam, cum reformatio ab ipsa introducta adhuc viva et constans perseveret. Quidam Frater in conventu sancti Hieronymi orans ipsius animam in caelum ascendere Angelo comitatam conspexisse fertur. Eius obitus dies et annus ignoratur.

2. Soror Clara Benamata Iguvina, silentii amantissima, quo sororibus religiosae perfectionis exemplar facta est, animam Deo reddidit die 11 Septembris 1600.

3. Soror Raphaela de Vecchi Iguvina, heroicae patientiae, elevatae orationis, illibatae puritatis donis decorata; die noctuque horis canonicis interfuit, saepe, ut fertur, B. Virginis Mariae apparitione recreata. Obiit anno 1614.

4. Soror Iustina Vandini Iguvina, Dei et proximi amore flagravit; placidissime in Domino obdormivit anno 1615.

5. Soror Angelina ex illustri familia Ondadei Iguvii nata, a prima aetate Religionem ingressa, diris et diuturnis doloribus, sicut aurum in fornace probata, invicta patientia et hilari animo cuncta sustinuit. Meritis cumulata ad sponsum evolavit mense Martii 1632, ignota die.

6. Soror Concordia Mosca Iguvina, pacem, unionem, caritatem fraternam, concordiam inter sorores, arctissimam paupertatem et obedientiam totis cordis visceribus adamavit. Placidissime obiit die 26 Maii 1634.

7. Soror Francisca Eugeni, e Recincto Eugubium se transtulit, ut in nostro monasterio sanctae Clarae regulam profiteretur. Altissimam paupertatem ita coluit, ut unica tantum tunica et repetiata contenta esset; cui virtuti summam vitae austeritatem, virginalem castitatem et obedientiam adiunxit. In caelum evolavit die 28 Octobris 1636.

8. Soror Faustina Rambotti Iguvina, dominicae passionis assiduae meditationi vacavit, ita ut prae totius corporis tremore in pietatis deliquium saepe corrueret. Munus Abbatissae inculpate tenuit. Ad sponsum evolavit 21 Novembris 1637.

9. Soror Constantia Gabrielli, nobili stirpe Iguvii nata, orationi et contemplationi dedita, in quibus meruit a Deo praecipuis donis honorari. Sancti Didaci maxime devota, parentes precibus commovet, ut ei altare dedicarent. Caelum petiit 8 Februarii 1645.

10. Soror Paula Bentivoglia Iguvina, ex comitibus de Saxo-Ferrato, mundo contempto, monasterium sanctissimae Trinitatis ingressa est, in quo a primis diebus virtutibus ornata apparuit. In Abbatissam electa concreditas sorores ad virtutis iter fideliter percurrendum edocuit; quae dum quodam tempore conquererentur, quod Episcopus Monaldi monasterium sibi subiicere et regularibus subtrahere niteretur: *nolite timere, inquit, sorores, mecum orate, et Dominus erit nobiscum.* Dum igitur ad Deum ferventissimas preces fundebantur, prudens Abbatissa nuntium Episcopo misit dicens, ut si *vellet divinam indignationem aufugere, desisteret ab incepto consilio.* Et sic accidit. Beato fine quievit die 6 Decembris 1645.

11. Soror Portia ex comitibus Beni Iguvii nata, Seraphicam paupertatem et sanctissimam Eucharistiam exemplo sanctae Clarae ducta ita adamavit, ut unica tantum tunica contenta esset, et ante Eucharistiam orans in Angelum transformata appareret. Ad caelestia migravit die 5 Maii 1647.

12. Soror Dionora Iguvii nata comitissa Beni, mundi vanitatibus ac conspicuis nuptiis spretis, habitum Clarissarum induta est. In Abbatissam electa, ut famula sororibus inserviebat. Donis caelestibus cumulata, praesertim cum ante sanctissimae Eucharistiae sacramentum oraret, frequentes ecstases patiebatur. Migravit ad sponsum die 8 Iunii 1652.

13. Soror Caecilia ex nobilibus parentibus Mengacci Eugubii nata, a prima aetate donis caelestibus erat illustrata. Adhuc puerula, cum quadam die ante monasterium transiret et ianuam apertam conspiceret, e manibus parentum aufugiens tanquam fulgur, absque licentia clausuram ingressa est, unde nulla vi potuit unquam dimoveri. Episcopus qui eam e monasterio amovere proposuerat, D. Francisci apparitione admonitus, a proposito recessit. Sacris votibus nuncupata virtutibus splenduit, tandem meritis cumulata migravit ad sponsum die 2 Septembris 1655.

14. Soror Laura comitissa *Della Porta* Iguvina, virgo eximiae abstinentiae ac caritatis erga Deum; silentio etiam commendabatur. Cum sanctitatis odore decessit ignota die et anno.

15. Soror Victoria Zeccadoro, septennis monasterium ingressa, vix ut habitum assumsit perfecta sanctae Clarae imitatrix apparuit; in conservanda inter sorores pace praeclarissima. Sancto fine quievit 16 Maii 1668.

16. Soror Virginia Vincioli Perusina, ab ineunte aetate ut se plenius Deo devoveret, habitum sanctae Clarae in monasterio sanctissimae Trinitatis sumsit. Adhuc novitia dum quodam tempore infirmitate detinebatur, conspexerunt consorores illam submissa voce aliquid dicentem. Interrogata, respondit: Officium B. Virginis se cum Muliere pulcherrima sacris virginibus comitata, persolvere. Ingravescente morbo, et solemni professione ex privilegio emissa, in caelum evolavit anno 1682 ignoto die. Hirundines eius mortem salutarunt.

17. Soror Teresia Coventini, nobilibus parentibus Iguvii nata, pie a piissima matre educata, nobili spreto connubio, monasterium ingressa, votis religiosis Deo se mancipavit. Sancti Petri de Alcantara et sanctae Teresiae devotissima, utriusque virtutes et asperitates imitari semper nitebatur. Aetate adhuc florenti oculorum lumine destituta et permultis infirmitatibus attrita, ita in iis sustinendis se gessit, ut patientiae miraculum videretur. Ad astra migravit die Nativitatis Dominicae anno 1684.

18. Soror Isabella-Antonia, Iguvii honestis orta parentibus, a prima aetate monasterium ingressa, sanctae Clarae regulam professa est; die noctuque horis canonicis interfuit, quas incredibili spiritus fervore persolvebat. Silentium, patientiam et caritatem singulariter adamavit. Animam Deo reddidit decantans *Benedicamus Domino* die 30 Decembris 1684.

19. Soror Helena Eugubina, sanctissimi Redemptoris devotissima, a quo, dum ipsa graviter aegrotaret, apparitione recreata et certior facta est, se ea infirmitate non morituram; quod eventu comprobatum est. Ante eiusdem imaginem in choro asservatam plures horas ferventer orando consumebat; quo demeruit, ut quadam die sororem conversam in puteum delapsam a certo mortis periculo liberaret. Migravit in caelum ignoto die et anno.

20. Soror Clementia Vincioli, magnae simplicitatis, puritatis et perfectionis monialis; ob quas virtutes in Abbatissam et novitiarum magistram electa, utrumque officium summa prudentia et caritate obivit. Meritis plena animam Deo reddidit ignoto die et anno.

21. Soror Modesta Benamati, regularis disciplinae studiosissima ceterisque virtutibus cumulata, migravit in caelum ignoto die et anno.

22. Soror Cornelia, patientia, humilitate, assidua oratione et universa regulari disciplina illustris. Eius mortis dies ignoratur.

23. Soror Eugenia Gabrielli, orationi caelestibusque meditationibus per diem atque a media nocte usque mane vacare consuevit. Dies mortis eius ignoratur.

24. Soror Bartholomaea a Fracta Perusina, conversa, munus quaeritandi pro sororibus cibaria (uti post monasterii reformationem mos erat) diu exegit; in quo tanta virtute et angelica puritate in viis ornata apparebat, ut civibus admirationi esset et tanquam *sancta* ab ipsis veneraretur. Quadam die dum pane onusta monasterium remearet, Iesum Christum crucem baiulantem et monasterii septa ingredientem conspexit; qua visione tanta cordis laetitia affecta est, ut se iam dissolvi et esse cum Christo putaret. Quidquid a quaestu temporis supererat, orationi dabat ante SS. Redemptoris imaginem in choro asservatam, cui eleemosynis collectis etiam pretiosam vestem contexit. Accidit autem quod nondum opere completo ad mortem aegrotaret; et ipsa caelestem sponsum enixis precibus rogavit, quod tantum vitae spatium dignaretur concedere, quantum sufficeret ad vestem complendam. Exaudita

est, et statim convaluit. Completa autem veste, sanctissime occubuit die et anno ignoto.

25. Soror Iacoba, pariter conversa, Eugubina, diu infirmarum sororum curam omni humanitatis sensu ex obedientia gessit. Amore flagrabat eximio erga augustissimam Eucharistiam, a cuius adoratione nulla daemonum fraude dimoveri potuit. Ad caelestes nuptias vocata fuit die et anno ignoto.

26. Soror Beatrix ex comitibus de Carpegna, Tertiaria summae perfectionis, monasterii benefactrix munificentissima; ibique ingressa pluribus annis pientissime vixit, et cum sanctitatis odore ex hac vita migravit die 19 Ianuarii, anno ignoto.

27. Soror Maria Elisabeth Spallarossa a Spiritu Sancto, Genuensis, erga Christum cruci affixum amore flagravit, et Beatam Virginem filiali pietate semper adamavit. Diuturnis et acerbissimis infirmitatibus probata, tanta humilitate, patientia ac animi demissione sustinuit, ut sororibus verum virtutum exemplar evaserit. Cum sanctitatis odore beatam mortem oppetiit die 24 Augusti 1774.

28. Soror Maria Ioanna a Iesu, natione Bavarica, divinitus ducta in hoc monasterium, altissimae contemplationis dono cumulata. Bis Abbatissae munere functa, regularem disciplinam tum in se, tum in sororibus strenue zelavit, praesertim circa ea, quae ad divinum cultum pertinebant. Octogenaria ad caelestes nuptias vocata cum manifestis signis beatae praedestinationis die 17 Martii 1788.

29. Ven. soror Clara Isabella Ghersi, miraculis in vita et post mortem refulsit, pro cuius beatificatione processus confecti sunt. Ad astra migravit die 27 Octobris 1800.

30. Soror Concordia a Paradiso Eugubina, per annos 23 infirmitate tanquam aurum in fornace probata, nullum unquam verbum lamentationis emisit semper contenta pro Christo pati. Magna sanctitatis fama vixit et obiit die 15 Septembris 1824.

31. Soror Hyacintha a SS. Redemptore, Uvadae nata, simplicitatis ac obedientiae virtutibus ornata, cuncta laboriosiora officia exactissime semper implevit. Orationi, vigiliis, sensuum mortificationi vacavit, magno erga divinum Infantem et B. Virginem amore commendabilis. Morborum dolores heroica patientia sustinuit. Sancto fine quievit die 12 Decembris 1830.

32. Soror Maria Magdalena Ghersi, ex patre soror Ven. Clarae Isabellae, cuius virtutes semper, praesertim amorem erga Deum et proximum, corporis afflictationem, sui contemptum, virginalem candorem aemulata est. Postera die a suo transitu, qui *somno Angelico* similis fuit, quaedam puella probanda in monasterio S. Benedicti ad mortem infirma, ipsi se commendans, statim convaluit. Processus vitae ac virtutis istius virginis ab Episcopo Eugubino regulariter confectus in archivo Episcopali asservatur. Eius beata mors accidit die 9 Iunii 1844.

33. Soror Maria ab Assumptione Genuensis, simplicitate vitae, morum candore, regularis disciplinae observantia ceteris sororibus exemplar evasit. Eius cadaver tribus diebus inhumatum mansit, quin aliquid mali odoris efflaret, immo continuo venustate crevit. Ad astra migravit die 31 Maii 1848.

34. Soror Clara Teresia ab omnibus Sanctis, Sestri Ponentis nata, ab infantia pietati prona coaetaneis exemplo fuit. Religionis habitu induta, magis magisque virtutibus coruscavit. Post mortem, dum eius cadaver in ecclesia translatum fuit, illud statim tanta venustate splendere incepit, ut ad devotionem aspicientes moveret, et

a quadam sorore acu punctum sanguinem manavit. Caelesti sponso iuncta est die 19 Decembris anno 1854.

§ IX.

Sequuntur Sorores, quae in Monasterio Pacis Nursiae cum sanctitatis fama occubuerunt.

1. Soror Virginia Baozzi, Nursiae nata et in monasterio Pacis eiusdem civitatis professa. Ut Christo sponso fideliter deserviret, spiritualem vitam quam arripuerat, corporis afflictationibus assiduisque precibus alebat. Brevi somno contenta, post matutinum in choro usque mane vigilabat, ubi Christi agonem alta mente recolens, eestatica et in sublime elevata ante crucifixi imaginem saepe inveniebatur a monialibus, ore eius ad crucifixi latus admoto. Terrena fastidiens, frequenter cum Apostolo aiebat: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Virginiae meritis, Deus a manuum attractione illico liberavit Dorothaeam Baldeschi Perusinam eiusdem Instituti, ad eius feretrum pro valetudine recuperanda orantem. Ad sponsum evolavit die 4 Decembris anno 1598.

2. Soror Clara Suazi Nursina, quae viam humilitatis arrepta, semper de se demisse sentiebat et monasterii viliora munia alacriter obibat; nunquam adduci poterat, ut officium abbatissae vel vicariae gereret. In prosequenda paupertate eximia, tunicam induebat petiis consarcinatam maximeque obsoletam. Luminis oculorum privationem patientissime ad mortem usque sustinuit. Migravit ad Dominum die Resurrectionis dominicae anni 1600.

3. Soror Eugenia Antonelli, Nursiae honestis orta parentibus, morum bonitate admirabilis, imprimis humilitate conspicua. Obedientia coacta munus Abbatissae suscepit. Ministro autem Provinciali tale munus conferenti subiunxit: *Padre giacchè così volete, farò l' obbedienza, ma Dio vi provvederà.* Et ita accidit; siquidem paucis elapsis mensibus, in morbum incidit, et confessario eam visitanti, ait: *Padre Confessore io voglio andare in Paradiso il giorno dèlla Madonna Santissima.* Eventus praedictionem comprobavit; decessit enim die 2 Februarii anno 1675.

§ X.

Sorores Monasterii sanctae Clarae civitatis Nursiae.

1. Beata Lucia, Valcadarae prope Nursiam nata, etsi in caelum evolavit, antequam monasterium Nostratibus concreditum esset, tamen, cum ipsius fundatrix exstiterit, eius memoriam hic non esse omittendam putavimus. A pueritia ad pietatem inclinata, ut Deo melius inserviret et virginitati iam iuratae melius custodiendae prospiceret, Nursiae in domum sancto Hieronymo dicatam se recepit, cui paulo post aliae virgines, scilicet Praxedes, Scholastica, Christiana, Iacoba, Catharina et Philippa se adiunxerunt, quibus ipsa exemplo magis quam verbo praesidebat. Interea Fulginas se transtulit ad beatam Angelam consulendam, a qua benigne excepta, obtinuit, ut ipsa Nursiam unam discipulam mitteret ad dictas filias in regulari disciplina edocendas. Ast cum numerus virginum in dies succresceret, domum in monasterium

ampliavit, novamque ecclesiam divae matri Clarae dicatam erigendam curavit; alterum in patria pariter aedificavit, et canonica sanctione obtenta, utrumque sanctissime gubernavit. Meritis et virtutibus cumulata, caelesti sponso iuncta est die 12 Februarii anni 1430, miraculis ante et post mortem illustris.

2. Soror Maria-Antonia Cestarelli, a pueritia ieiuniis et flagellis carnem suam domavit. Quadam nocte, dum ante Virginis imaginem ferventius oraret, desiderio arsit conferendi cum suo confessario, qui Nursiae ad septem milliaria distabat. Domo inde egressa pulcherrimum iuvenem invenit, qui eam noctu euntem et redeuntem comitatus est, quin parentes de facto aliquid animadverterent. Monasterium sanctae Clarae ingressa et votis nuncupatis, mortificatione, patientia, paupertate, spiritus fervore exemplar cunctis evasit, unde et caelestis sponsi visione recreari meruit. Ad astra migravit die 19 Maii 1659.

3. Soror Lucia Verrucci intercessione beatae Luciae fundatricis religiosam vocationem obtinuit, angelicis moribus, exemplaritate vitae, ceterisque virtutibus exornata. Eius corpus post annos quadraginta ab interitu adhuc incorruptum, flexibile et suavem spirans odorem inventum est. Beato fine quievit die 11 Iulii 1662.

4. Soror Illuminata, Nursiae nata, quae saeculo valedicens et monasterium ingressa, floruit eximiis virtutibus, praesertim patientia in aerumnis et persecutionibus sustinendis. Sanctissime obiit die et anno ignoto [1].

§ XI.

Tertiariae Nostratibus concreditae, quae cum sanctitatis odore decesserunt.

1. Soror Domina Beatrix ex comitibus de Carpegna, de qua supra in monasterio sanctissimae Trinitatis sub n. 26.

2. Soror Sabina, nobilis Iguvina, ab ineunte aetate se plene Deo devovens, admirabili virtutum luce ubique fulgebat. Venustate pollens a pluribus in matrimonium expetita, a parentibus contra virginis voluntatem domino Laurentio Andreoli nuptui tradita est. In coniugio eandem vivendi normam, quam ab infantia arripuerat, inviolatam retinuit, quinimmo et auxit. Filiorum iacturam, viri offensam populique convicia mira patientia sustinuit. Eucharistiae saepe refecta, a cuius participatione nulla daemonum fraude et vexatione unquam dimoveri potuit. Sanctissime obiit die 22 Octobris anno 1633, miraculis ante et post mortem illustris. Eius corpus in nostra ecclesia sancti Hieronymi, cuius erat devotissima, requiescit.

3. Soror Laura ex comitibus Gabrielli, Iguvii nata, etsi tenellae esset aetatis, tamen sensuum mortificationi, ieiuniis precibus et meditationibus iugiter vacabat. Misericordia in pauperes mota, obsonio sibi parato inopes reficiebat; quem usum etiam in coniugio retinuit. Parentum voluntati obtemperans viro aeque nobili nupsit; nihil tamen in virtutibus anteactae vitae exercendis remisit; quinimmo alias nobiles mulieres ad pie vivendum vanitates spernendas, choreas fugiendas verbo et exemplo alliciebat; ex quo viri offensam incurrit, qui quadam die, ira incensus, eam domo

---

[1] Harum sacrarum Virginum reliquiae in monasterium Pacis translatae sunt, dum illud sanctae Clarae terraemotu quassatum fuit anno 1703.

expulit; sed, facti poenitens, revocavit. Cuncta invicta patientia pia mulier sustinuit.

Viro orbata, tertio Ordini nomen dedit, et hispido induta sacco, pedibus nudis incessit. A consanguineis, id vitae genus aegre ferentibus, conviciis et verberibus lacessita, a suscepto Instituto deterreri non potuit. De proximorum salute sollicita, puellis periclitantibus hospitium (adhuc florens) suis sumptibus et eleemosynis collectis aperuit; quas tanquam mater amantissima, quamdiu vixit, pie sancteque educavit. Caelestibus visionibus saepe recreata, ecstasum, prophetiae et miraculorum dono ceterisque divinis charismatibus locupletata, tamen ita humiliter de se sentiebat, ut se gehennae dignam semper profiteretur. Sanctissime obiit die 10 Decembris 1641; eius corpus ad sancti Hieronymi translatum fuit.

4. Soror Virginia, praecedentis germana, cuius hortatu adhuc in tenera aetate vidualem castitatem coluit et sororis virtutes aemulata est. Beato fine quievit die et anno ignoto.

5. Soror Victoria Raffaelli-Marioni, nobilis Iguvina, exemplo sororis Laurae excitata sanctissime vixit et sanctissime obiit ignota die et anno.

6. Soror Angela Bosi, nobilis Iguvina, Beatissimae Virginis Mariae devotissima, sororis Laurae vitam imitata, cunctis exemplum bonorum operum fuit. Eius obitus dies ignoratur.

7. Soror Lucretia Mengacci-Beccoli, Eugubina, tertiaria ferventissima. Mortem oppetiit ignoto die et anno.

8. Soror Iulia Massarelli, vidua Eugubina, omnium virtutum exemplar. Decessit ignota die et anno.

9. Soror Raphaela Gambocci vidua et soror Elisabeth eius filia virgo, prima germana, altera neptis beatae Octaviae Gambocci Eugubinae item tertiariae, sorori Laurae plenissime adhaeserunt. Quae Domino in infirmis inservientes et puellis periclitantibus assistentes, thesaurum caelestem acquisierunt et ad gloriam migrarunt ignoto die et anno. Harum omnium sacrae exuviae in nostra S. Hieronymi ecclesia honorifice conditae sunt[1].

§ XII.

Provinciae Scriptores.

Huius nostrae seraphicae reformatae Provinciae Scriptores parvo numero comprehenduntur. Nec mirum! Siquidem si cuncti Reformationis assertores (uti advertit Gonzaga et De Gubernatis confirmat) loca aspera et inaccessa avide quaesierunt, in quibus arctiore vita, regulari disciplina, sanctae Regulae et praecipue altissimae paupertatis observantia suarum et proximorum animarum salutem promovere studebant; id potissimum in hac nostra Provincia conspicitur, in qua Fratres, ad sancti Patris exemplum, humilitati vitaeque absconditae maxime studuerunt. Attamen etiam

[1] In omnibus nostris coenobiis societas tertii Ordinis erecta, et aedicula S. Elisabeth reginae dicata invenitur; in qua singulis mensibus Fratres et Sorores sub Commissarii directione conveniebant. Hinc si omnia maiorum nostrorum notatu digna ad nos pervenissent, certo virorum et mulierum cum sanctitatis odore defunctorum elenchus copiosior foret.

studia et salutares disciplinae a Patribus minime penitus negligebantur. Iam recensuimus multos Patres ad altiores Ecclesiae dignitates Ordinisque gradus promotos; inde concludi fas est, eos litterarum disciplinas strenue coluisse atque in scientiis peritos fuisse. Quod si eorum ingenii partus typis non fuerint demandati, neque ad nos pervenerint, humilitatis potissimum ac paupertatis studio certo tribuendum est. Animadvertendum est etiam, quod in nostris gymnasiis, ad statutorum praescriptum, etiam novissimis temporibus, nempe usque ad annum 1855, lectiones scientiarum scriptis tradebantur; unde omnes Lectores proprio marte lectiones conficere cogebantur. Neque etiam Lectores conspicui defuerunt, qui in publicis gymnasiis et Episcoporum seminariis litteras ac scientias omnium plausu et maximo iuvenum profectu docuerunt; sicut non defuerunt celeberrimi Evangelii praecones, quorum non paucos ego ipse audivi, quique in magnis Italiae urbibus, admirantibus civibus, Verbum Dei praedicarunt. Hinc facile iudicari potest, quot rethorices, philosophiae, matheseos, theologiae dogmaticae et moralis tractatus, quotque scripta elucubrata sint; quae si vel oblivioni tradita vel etiam deperdita sunt, hoc non nisi ob rationem superius adnotatam accidisse putandum est.

Verum etsi maxima qua potui diligentia Scriptorum nomina inquirere conatus sum, tamen minime confido, omnes a me repertos esse; cum ob temporis breve spatium, ego aliis negotiis detentus, nunc non potuerim eam in inquirendo operam impendere, quae res expostularet. Spero, me, favente Deo, opportuniore tempore praetermissa adiuncturum esse. Hic tantum illorum nomina et opera recenseam, de quibus certam notitiam habere potui, nulla tamen habita materiae et temporum ratione.

Reverendissimus D. Dionysius de Turre Asisii, Episcopus Sutrinus et Nepesinus, edidit:
Dialecticae lib. XII. Romae.
Commentarios in Logicam, ibidem an. 1614.

P. Paulus a Lauda-Pompeia:
Clavicularius Breviarii Romani.
Opusculum aureum de sex Alis Seraphim D. Bonaventurae.

P. Philippus a Spoleto, theologus doctissimus, et S. Officii Spoleti Consultor:
Vita del B. Antonio da Stroncone.

P. Cherubinus a Spoleto, postulator generalis pro canonizatione Sanctorum:
Vitā del Ven. F. Michele da Collelongo. Roma tip. Moneta 1685.

P. Franciscus Maria de Stylo, laurea doctorali insignitus habitum sumpsit, iussu S. C. Epp. et RR. sacros Canones in seminario Tudertino professus est [1]:
Super diversas scientias. ms.
Christipatos in 7. lib. divis. carmen. ms.

P. Marianus Cyneus:
Liber diversarum sententiarum ex variis Sanctorum scriptis collectus et a Simone Colutio physico, amica prece pulso, manu propria diligenter conscriptus: mittitur die 30 Iulii 1574. ms.

---

[1] Manuscripta Francisci Mariae de Stylo, quae *magni momenti* esse dicit noster Chronologus, una cum illis P. Mariani Cynei in Bibliotheca Scarzolis asservabantur, sed ob civiles vicissitudines nunc non inveniuntur.

Auctor ignotus. ms.[1]:

Liber exercitiorum spiritualium triplicis viae purgativae scilicet, illuminativae et unitivae. In cuius calce adnectitur libellus. ms.

P. Alphonsus a Madrito Min. ref. italice:

Arte di servire Dio, di nuovo con molta diligenza abbreviato, e per maggior chiarezza ridotto a sette punti.

P. Ioannes-Franciscus ab Asisio, in scientiis speculativis *famosissimus* (ita Chronologus) vulgo *Lo scotino* appellatus, utriusque Iuris Doctor.

Ms. varia deperdita sunt.

P. Ubaldus a Stronconio typis dedit:

Un eruditissimo avvento.

P. Bernardinus a Fossato[2].

Memorie degli uomini pii di questa serafica riformata Provincia. ms.

P. Gaudentius a Perusia:

De viris illustribus seraphicae reformatae Provinciae.

Arbor Provinciae seraphicae. ms.

P. Evangelista a Spoleto:

Lume dell'anima, ossia raccolta di varii esercizii, documenti spirituali e sacre novene, in cui si mostra la vera strada a chi vuole incaminarsi al Paradiso. 4.ª ediz. Pesaro 1756.

P. Faustinus a Tusculano. ms. an. 1613 continet:

I suoi viaggi da Roma a Gerosolima, a Costantinopoli, in Persia, nella Francia, nella Spagna, la guerra fra i Turchi e Persiani, del modo di fare il caffè e di usarlo[3].

P. Lucas a Monteiovio. ms:

Tractatus Logicae et Metaphysicae.

Physicae generalis et particularis.

Dizionario italiano-albanese.

P. Caietanus de Nursia:

Memorie storiche del Santuario di S. Maria delle Carceri. Assisi tip. Sgariglia 1844.

P. Franciscus a Cryptis Castri:

Disquisitiones theologico-morales in tres partes distributae. Assisi tip. Sgariglia 1795.

Vita del Ven. P. Pier-Domenico d'Orvieto. Assisi tip. Sgariglia 1805.

Prediche e Sermoni, idem.

P. Pacificus ab Arimino:

Vita del Ven. P. Leopoldo da Gaiche. Foligno tip. Tomassini.

Precetti di Rettorica ed eloquenza. ms.[4].

---

[1] Auctoris ignoti ms. et P. Alphonsi Scarzolis in bibliotheca reposita, per civiles rebelliones sunt deperdita.

[2] Ms. P. Gaudentii Vicarii provincialis, et Bernardini ministri, noster Chronologus vidit, et utinam typis dedisset? Valde pro hoc commentariolo conficiendo illis iuvari potuissem. Nunc ubi sunt?

[3] Nunc asservatur in bibliotheca sancti Fortunati Tuderti sign. n. 208.

[4] Ante italicam subversionem nostris iuvenibus tradebantur, cum magno eorum profectu.

P. Aloysius a Monteiovio.

Poesie varie per monacazione etc. Orvieto 1852. Assisi 1854.

P. Aloysius a Viterbio :

Poesie sacre. Assisi tip. Sgariglia.

P. Ieremias ab Aunano Lect. em.

Prediche di occasione.

Prolusioni varie.

P. Evangelista ab Aunano Lect. em.

Casus conscientiae et liturgici, quos per 36 annos in dioecesi Tudertina solvendos proposuit. ms. [1].

P. Aloysius a S. Iacobo Missionarius Apostolicus :

Le glorie di S. Giuseppe.

Breviario, o giornale di preghiere.

Memoriale dei divini favori.

Somma dei vasti mari che compongono il gran nome di Maria.

Immacolata Concezione, testimonii scritturali. Poesie.

Lodi del nome di Gesù.

Intelligenza di Gesù Crocifisso.

Cento saluti al Crocifisso. Poesie.

Alla Vergine. Poesie.

Compendio della vita, passione e morte di Gesù. Poesie.

Meditazioni sulla passione di Gesù.

Cagioni dei dolori di Maria.

Quaresimale ed Avvento.

Settimana santificata. ms. [2].

P. Augustinus a Vineanello ex-provincialis :

Le tre ore di Gesù agonizzante. Assisi tip. Sgariglia.

P. Daniel a Bassano Lect. em. Definitor Generalis :

Il secreto del vero Amor di Dio. 3.ª edizione. Prato 1881.

Poesie varie.

P. Michael-Angelus a Fibialla Lect. theol.

Vita di suor Maria Fedele Spallarossa religiosa nel monastero della SS. Trinità di Gubbio. ms.

P. Epiphanius ab Aunano Lect. theol.

Storia di Onano. ms.

P. Petrus Chrysologus a Cryptis S. Stephani Lect. em.

Algebra e Geometria.

Fisica Generale e sperimentale. ms. [3].

P. Felix a Corcleano Lect. eloq.

Vita del B. Giovanni della Verna, traduzione col testo a fronte. Assisi tipografia Sensi 1881.

---

[1] Est cursus moralis et liturgiae completissimus. Iacet tamen in archivo.

[2] Hic Pater in sacra Scriptura et Patribus fuit versatissimus, cuius opuscula scientiam sanctorum redolent, linguae tamen elegantia desideratur.

[3] Dum in Seminario Sutrino has lectiones iuvenes edocebat, Episcopus Spalletti eum rogavit ut eas suis expensis typis daret. Renuit autem Pater humilitatis gratia.

P. Antonius ab Urbeveteri Lect. theol.

Cronologia della Provincia Serafica Riformata. Perugia tip. Costantini 1717. [1]

Fr. Augustinus ab Aquasparta laicus:

Erbario formato di erbe reali, e descritto nelle loro naturali proprietà. ms. [2]

P. Valentinus a Casali Cermellorum Lect. em.

Panegirico del SS. Sacramento recitato nella Cattedrale di Orvieto. Orvieto tipografia Pompei.

P. Lucas a Parrano:

Vita del Ven. P. Pierdomenico d'Orvieto. ms.

Auctore ignoto nostrae tamen Provinciae Pater.

Sermoni dei quali usava nelle S. Missioni. ms. [3].

---

[1] Haec Chronologia, ad quam conficiendam auctor valde desudavit, magni ab eruditis aestimatur; praesertim a cl. Prof. A. Cristofani ut videre est in suis Asisiensibus historiis.

[2] Hic laicus cum Terrae Sanctae morabatur in civitate Ierusalem publici medici officio functus est, plena cum civium satisfactione.

[3] Haec duo postrema ms. in nostra bibliotheca S. Laurentii Urbisveteris custodiebantur. Nunc vel in bibliotheca communali, vel forsan alicui salsamentario (ut saepius accidit) ad salsamenta involvenda fuerunt devendita.

APPENDIX[1]

Fol. 164 r.

Dixit sancto Ludovico regi aliquando miles Deum timens, sibi multum familiaris et intimus: « Domine, recedere volo de curia vestra, non enim ultra sustinere possum ». Tunc respondit ei: « Et quare hoc »? Dixit: « Propter ea quae audio et video ». Audiebat enim pestilentes detrahentes regi, quod ad modum potius monachi quam regis se haberet. Dixit ei: « Quiesce; nulla volo ratione, quod me deseras; quoties vis seorsum eamus ab istis saecularibus, et de Deo et caelestibus simul loquentes consolemur invicem. Non cures pro verbis stultorum. Dicam tibi, quid mihi accidit aliquando existens in thalamo. Audio aliquos clamantes: frater Ludovice! et maledicentes mihi, non credentes, quod audiam eos; cogito, quod possem eos facere occidi; sed video hoc ad magnum bonum accidere mihi, si propter Deum patienter sustinens dissimulavero. Et vere dico tibi, quantum in me est, non displicet si hanc iniuriam irrogant mihi ».

Cum diceretur sibi a dispensatore, quasi compatiente expensis eius: « Domine, ecce tantum expenditis in clericis »; respondit, se non magna pro Deo facere. « Vides, inquit, quod totum regnum meum Deus in tanta pace custodit, ut non oporteat expensas facere in custodiendis castris nec in dando stipendia, et si de meo hoc non facerem, plus expenderem in bellis et in donando stipendiariis, quam ego pro Deo faciam. Vides ergo, quod Deus plus mihi recompensat, quam ego distribuam eius amore ». Et sic confusus ille obmutuit.

Ibid.

Cum mortuus esset eius primogenitus, qui regnaturus erat, cum intime eum diligeret, cognoscens tamen voluntatem Dei, tanta patientia sustinuit, ut dicentibus sibi nocte media: « Domine quiescatis et dormiatis, nec ulterius turbemini; mortuus

---

[1] In codice Vaticano ser. Ottob. n. 522, membr. saec. XIV, fol. 142 — 306 invenitur indigesta collectio exemplorum ad aedificationem usumque praedicatorum spectantium, quae plerumque miracula et visiones referunt et nomina eorum de quibus agitur saepe tantum una alterave littera indicant. Nonnullae autem narratiunculae aliquo modo ad historiam spectant, quae hic per modum appendicis subiiciuntur.

est enim puer »; respondit : « Si est mortuus, et ego eum vero amore dilexi et in diligendo, dum viveret, vere fidelis ei fui, dignum est ut et in morte ostendam, eum me vere et fideliter dilexisse et animam eius diligere. Et propter hoc non dormiam, donec debitum ei persolvam et vere me diligere eum ostendam ». Et vocato capellano, matutinum et officium Defunctorum complevit pro anima eius.

Dixit fratri Bonaventurae ministro, quod sic sustinebat, ex quo Deus sic voluerat, quod nollet eum non esse mortuum. Et cum respondisset frater Bonaventura : « Domine, quomodo est hoc »? dixit : « Credo et scio, Deum sic voluisse, et ex quo Deus sic voluit, nulla ratione debeo velle contrarium; immo acceptare quod Deo placuit, et non rebellis esse divinae voluntati ». Dixit amicis (?) : « Quantum doleam vix posset credi. Sed licet magno de morte eius dolore afficiar, tamen mihi ipsi vim inferam, ita quod exterius apparere non poterit ». Et sicut dixit, ita et fecit, ut omnis populus vidit.

Ibid. v.

Dixit frater Gaufridus guardianus de rege, qui cum faceret eleemosynam in cibo ministrari pauperibus, ut moris habet, praecepit filio, ut adstaret et serviret pauperibus. Et cum illi de curia vel alii, qui aderant, moleste hoc ferentes dixissent regi : « Domine, hoc verecundum est filio regis »; respondit : « Non est verecundum filio facere quod pater praecepit ei ».

Fol. 164 v.

Omni die ad minus vult audire duas missas et matutinum et omnes horas diei, tamen nota : circa orationem intentissimus, circa divinum officium devotissimus, a voluptatibus carnalibus abstinentissimus. Cum captivus teneretur ab hostibus, videns quendam militem de templariis, qui captus erat, tristem esse nimis, dixit : « Quid habes »? Respondit ille : « Domine, tristis sum de vobis ». Tunc confortans eum dixit : « Veni, dicamus horas nostras ». — Et cum semel diceret : « Pro nulla re vellem, quod non accidisset mihi hoc », scilicet damnum captivitatis suae et captionis; responsum est sibi : « Domine, quid dicitis, cum tantum damnum et tantam iniuriam sustinueritis »? Tunc dixit : « In vita mea in delectatione et deliciis fueram, nihil pro Domino passus : et quid potuissem dicere Domino in die iudicii, quod sustinuissem sui amore? Nunc autem dicere potero : Domine, propter te in captivitate fui ».

Cum transito mari pervenisset ad portum, dixit timore concussus, ne regimen sibi commissum digne administraret, et propter hoc Dei offensam incurreret : « Nunc, inquit, evasimus pericula corporum, sed ecce! intramus pericula animarum ».

Fol. 169 v.

Rex Ludovicus quoties transibat per pontem dicebat : « Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. » Si pons fuit de lapidibus, non timuit, quia mentionem fecit de sepulcro, quod lapideum fuit. Si vero fuit de ligno, secure transivit, quia mentionem fecit de ligno Crucis.

Fol. 222 r.

Idem.[1] Dicebat ei rex Franciae, quendam ad se accessisse et sibi dixisse: Dominus Deus noster habet tres coronas unam auream, aliam spineam, tertiam incorruptibilem, scilicet regni caelestis. Duas vobis contulit, sed consulo quod tertiam laboretis acquirere, quia sine illa aliae parum valent. « Videtur mihi, inquit rex, quod multum bene locutus sit, unde verba eius intraverunt cor meum ». Ministris autem idem commendabat.

Fol. 230 r.

Refert frater Bonaventura generalis minister, dominum Ludovicum Francorum regem quaesiisse ab eo de illa quaestione, utrum videlicet homo posset praeeligere omnino non esse quam semper in tormentis esse, ut puta in inferno; vel utrum quis deberet praeeligere illud etc. Cui cum respondissem dicens: « Domine, quaestio ista duo includit, scilicet perpetuam Dei offensam — neque enim aliter Deus iustus iudex perpetuam infligeret poenam — et interminabilem ipsius poenae sufferentiam, et nullus debet eligere in perpetua Dei offensa remanere: et ideo praeeligendum est non esse quam esse hostem Dei perpetuum; addidit ipse piissimus Dei cultor et christianissimus rex: « Ego teneo me cum sententia fratris Bonaventurae, et assero vobis, ait circumstantibus, quod ego mallem et praeeligerem omnino non esse et in nihilum redigi quam in aeternum vivere in hoc mundo et semper regnare, sicut regno, cum perpetua offensa Creatoris mei ». Oh! virum mirabilem inter mundi principes, orthodoxae fidei singulare lumen, qui nec mori timuit, immo in nihilum redigi, quod natura horret, minime recusavit, ubi absque Dei offensa haberi vita non possit; qui naturale esse maluit perdere, quam in regni deliciis regnique gloria cum Dei offensa perpetuo regnare[2].

Ibid v.

Refert Guardianus Parisiensis dicens: Cum praecipisset dominus rex, omnem hominem dicentem blasphemias in Deum aut in beatam Virginem candenti ferro super labia signari; contigit magnum quendam burgensem Parisius propter blasphemiam praedictam incurrisse sententiam et sustinere poenam. Cumque suaderent domino regi, ut sententiam mutaret, et dicentes: « Ecce, qualis homo, quam turpem et perpetuam confusionem incurrit »; zelator maximus divini honoris tale responsum dedit: « Vellem, inquit, tali nota et tam confusibili esse signatus, ut hoc pium edictum pro vitanda blasphemia nominis Dei bene servaretur ». Vere piissimus rex! vere singularis in devotione ad Deum princeps, totus catholicus, totus orthodoxus, qui confusibilem nimis usque in diem mortis desiderabat poenam sufferre, ut a suo regno Dei blasphemias tollere posset.

---

[1] Minister generalis.

[2] Cfr. de hac quaestione sanctus Bonaventura I. Sent. d. 48. dub. I.

Fol. 251 r.

Refert frater Bonaventura: « Regina, inquit rex ad me, molestatur nimis, quia dicitur ei, quod Petrus filius noster velit intrare Ordinem fratrum Minorum. Cui dixi: Habeatis pacem, et nolite tantum de hac materia loqui; tantum enim possetis verba revolvere, quod iuvenis, etsi voluntatem non haberet, fortassis concipiet. Confido namque de ministro ipsorum fratre Bonaventura, quod tantum diligat me, ut hoc non faceret, nisi mihi praediceret. Et numquid, frater Bonaventura, non verum dixi »? Talia per modum sancti solatii dicebat mihi rex. Cui respondi: « Domine, si filius vester huius rei causa venerit ad me, ego referam vobis et ponam super conscientiam vestram ». Respondit rex: « Non frater Bonaventura, hoc non fiet, nolo quod super conscientiam meam istud relinquatur, si filius meus velit Deo servire, quod ego impediam eum ». Pius revera et bonus rex, qui sic pium, sic bonum ad Deum gerebat animum, ut carere mallet solatio filii quam ipsum retrahere a servitio Dei.

Fol. 303 r.

Regi Franciae interroganti, pro quo vitio plures homines perirent; respondit frater Bonaventura, quod pro vitio avaritiae, quia ad illud omnes homines quasi inclinantur, et casti et continentes et etiam parvuli, ut videmus: non sic ad alia vitia.

Fol. 146 v.

Exemplum de fratre Gulielmo de Cordellis, qui ivit ad torneamentum, ut praedicaret ibi crucem, nec permiserunt eum milites praedicare; quibus ait: « Permittatis saltem, ut dicam pauca alia verba sine praedicatione »; qui permiserunt. Et ascendens super currum dixit: « Talis comes habet hic aliquem militem »? Et surrexerunt multi dicentes, se esse milites illius. Postea quaesivit de alio comite, et post de tertio et quarto et deinceps, si haberent ibi aliquos milites. Et surrexerunt multi eorum se milites profitentes. Tandem vero quaesivit, si Christus haberet ibi aliquem militem, et omnes tacuerunt. Tunc ipse coepit se trahere per capillos et clamare: « Heu me! Omnes barones habent hic suos milites et Christus Dominus omnium nullum habet ». Tunc surrexit unus de maioribus et venit ad eum, et crucesignatus est, et post eum venerunt omnes alii et acceperunt Crucem.

Fol. 164 v.

Dixit frater Iacobus de Iseo, se vidisse Tripoli in domo fratrum regem Armeniae referentem, se sic audiisse a rege Tartarorum, culpante et non approbante modum, quem tenuerat coram ipso frater Gulielmus flandricus lector. Cum enim missus a domino rege Franciae cum litteris suis ante illum magnum regem Tartarorum venisset, coepit ei suadere fidem christianam, et dixit, quod tam ipse tartarus quam omnes infideles morte perituri erant aeterna et igne perpetuo damnandi. Respondit ille quasi admirans de modo eius, quem tenebat, volens illi suadere fidem christia-

nam. « Nutrix, inquit, primo in os pueri stillare incipit guttas lactis, ut puer dulcedinem sentiens alliciatur ad sugendum; postea praebet ei mamillam: sic primo debueras plane et rationabiliter suadere nobis, qui videmur omnino ab hac doctrina alieni. Sed statim comminasti poenas aeternas ». Et dicebatur per regem illum Armeniae, quod ille religiosus, qui aliter processerat, habuit gratiam coram rege illo Tartarorum.

Fol. 251 r.

Cum venisset ille sanctus et famosus praedicator divini verbi de Alemannia, frater Bertholdus, in Franciam, voluit rex videre illum et alloqui. Cui cum loqueretur latine, addidit: « Non bene latinum, frater bone, novi ». « Loquimini secure, domine rex, inquit frater Bertholdus, quia regi verecundum non est aut indecens falsum loqui latinum ». Tandem inter confabulationes sanctas rex Navarrae, qui praesens erat, talia postmodum narrabat: « Multum dominus rex Franciae et ego aedificati sumus de fratre illo magno praedicatore. Cum enim dicerem domino regi Franciae, ipso fratre praesente: Domine, quidam operarii in Alemannia, conducti ad agrum die quodam praedicationis suae longe a loco, ubi stationem locaverat frater iste, rogabant mane dominum, qui eos conduxerat, ut permitteret eos audire verbum praedicationis; quo non permittente, cum essent in agro laborantes, protestati sunt, se audivisse praedicationem fratris et intellexisse, cum tamen distarent fortassis per leucam unam »; tunc frater Bertholdus respondens ait: « Non credatis, bone Domine, nec fidem adhibeatis relationibus huiusmodi, quae de me referuntur, quasi sint miracula. Non enim fuit hoc verum, quantum credo, nec unquam audivi, quod hoc verum fuerit. Sed sunt quidam homines, volentes aut pecuniam lucrari, aut aliqua alia vana ex causa, qui sequentes me inter aliam multitudinem aliquando talia fingunt et aliis referunt ». Qua quidem ratione ambo reges fuerunt aedificati multum, manifeste videntes, fratrem illum tanquam fidelem dispensatorem divini verbi non vanam ab hominibus gloriam quaerere, sed Dei tantum honorem et animarum salutem affectare; plus veritatem quam plebis favorem vanaeque laudis rumores diligere.

Ibid. v.

Idem frater cum ad multam Guardiani Parisiensis et fratrum instantiam sermonem in capitulo, ubi praesens eras, faceret, inter alia dixit: « Fratres mei carissimi, vos, qui studetis in Scriptura sacra, ut post alios docere possitis, laboretis *fructus* non *folia* tantum verborum reportare ad provincias vestras. Cogitare namque debetis, quod fratres, ad quos docendos reversuri estis, non sunt *caprae*, sed homines. Capra enim de fructibus arboris, quantumcumque sint pulcri et suaves ad gustandum, non curat, sed studet tantum accipere frondes et folia; homines vero non sic, immo fructibus pascuntur, non foliis: sanctorum igitur exemplorum, sanctorum operum fructus ferte vobiscum » etc.

Fol. 255 r.

De magistro Ioanne de Corbellis, qui pauperculus scholaris pauperis rustici filius tantum profecit, ut magister deinde archiepiscopi Senonensis fieret. Fuerat enim

magister Innocentii III, quando scholaris studebat Parisius. Ad hunc archiepiscopum factum pater pretiosis indutus vestimentis accessit, et plures cum eo nobiles, qui eius tunc cognatos asserebant se esse. Cum autem pater reverenter accedens diceret: « En ego pater vester, et cognati mecum »; respondit archiepiscopus: « Patrem vos nescio, nec istos cognatos agnosco. Sum enim filius pauperis rustici et vix cum totius haereditatis suae pretio tales vestes pater meus habere posset ». Qui confusus abscessit et post in solito sibi habitu venit. Quod cum fuisset nuntiatum archiepiscopo, occurrit ei et gaudens iuxta se locavit dixitque illi: « Vere tu es pater meus. » Cui post multa: « Vade, inquit, pater mi, et cum omni diligentia cave, ne in domo, habitu, familia, emptione possessionum seu quolibet alio modo te magnificare praesumas; sed in priori statu cum Dei timore teneas te: non enim de patrimonio Christi magnificare te volo, quia non debeo. Verum si pro persona seu familia tua novero te indigentem, libenter ministrabo tibi, quantum necessitas requisierit ». Porro nobilibus illis qui dicebant se cognatos eius, et ideo ipsum videre et alloqui rogabant, mandavit per nuntium, ut exspectarent. Die autem festo in cathedrali ecclesia praedicans coram populo convocato nobiles illos, quos adesse praeceperat, sic allocutus est: « Vos dicitis, quia cognati mei estis; de qua re satis admiror, quia vos nobiles, ego autem de vili genere natus, pauperis rustici sum filius. Nec hactenus, cum essem pauper scholaris et cognatorum indigerem subsidio, ad me venit quisquam dives aut nobilis, qui meum verbis aut factis se diceret esse cognatum. Quia ergo archiepiscopum plebis pastorem et doctorem decet hominem veritatis esse, propter favorem vestrum aut amicitiam mentiri non debeam; propter quod abite cum gratia Christi, et si ratione officii mei indigueritis in causa iustitiae consilio meo vel auxilio, ad me secure venite. Verum quia rogastis, ut me videre possetis, ecce ego, et vertens se atque revertens, ait illis: Aspicite me et diligenter videte, ita quod huius rei causa ad me nunquam praesumatis accedere. Scio enim, quod inter vos nobiles et me rustici pauperis filium nulla sit propinquitas sanguinis. Unum patrem et unam matrem, Adam scilicet et Evam etc., aliam inter vos et me cognationis propinquitatem nescio ».

Fol. 249 v.

Refert tibi frater Ioannes magnae sanctitatis vir, qui socius specialis et confessor usque ad mortem fratris Aegidii fuerat, quod ipse frater Aegidius, qui fuerat quartus Ordinis frater, talia sibi referebat. « Cum essemus, inquit, septem fratres in Ordine et necdum plures, B. Pater Franciscus apud sanctam Mariam de Portiuncula vocavit nos seorsim in silvam, quae iuxta locum erat, et quasi primam celebrans synodum, sive primum capitulum faciens, sic allocutus est nobis: Intelligo, carissimi fratres, quod non solum propter nostram salutem vocavit nos Dominus: volo igitur, quod dividamur in gentes et periclitanti mundo per verbum Dei et virtutis exempla succurramus ». Cumque respondissemus humiliter: « Nos idiotae laici fratres, quid pro salute mundi agere poteramus »? « Ite, inquit, securi de providentia Dei ». Et has duas auctoritates modo quo potuit referre nostrisque imprimere cordibus coepit: *Iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet.* Hoc dixit ad omnem amovendam diffidentiam, quia nihil omnino habentes ad ignotas regiones mittebat. Et illud evangelicum: *Vos non estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui in vobis*

loquitur, hoc dixit, ad id respondens quod dixerant: « Idiotae sumus », volentes per hoc confortare et roborare mentes eorum ad praesumendum de sufficientia Dei, qui nostros, dum pie agentes in eo speramus, supplere solet defectus. Frater Aegidius usque ad sanctum Jacobum solus ivit, una tantum habituali tunica vestitus, nunc in plateis, nunc sub porticubus iacens in nocte, quia interdum qui reciperet eum hospitio propter invisum prius habitum, quem habuit, non inveniebat in via illa. Cum pauperem a se petentem eleemosynam obvium habuisset, dissutum a tunica dedit caputium, quia non vidit, aliud se habere quod petenti pauperi propter Deum offerret.

Fol. 250 r.

Alius frater, Gratianus nomine, socius et ipse fratris Aegidii, qui ministrabat ei, cum iam senio deficiens factus esset non videns, dixit tibi: « Frater inquit, Aegidius die quodam sic me alloqui coepit »: Dic, ait mihi, frater Gratiane, quo signo nosti deprehendere, quod opera, quae facimus virtuosa sint et Deo accepta »? « Cum bene ait cogito, bona loquor et libenter in caritatis operibus me propter Deum exerceo, tunc existimo, quod actus huiusmodi sint grati Deo ». « Bene inquit respondisti, sed melius responderi posset »; et addidit: « Ego certa didici experientia, hoc verum esse indicium, quod opera nostra Deus acceptet, quando videlicet ex caritate propter Deum aliquid facientibus multa nobis impedimenta occurrunt, et graviter ab hoste impugnamur, ut ab inceptis desistamus, et tamen a Deo confortati opus bonum, quod coeperamus, viriliter prosequimur ».

INDEX.

IV.

V.

Conventus sororum sanctae Clarae.

VI.

VII.

INDEX NOMINUM.

C

F

N

O

Q

R

U

V

W

Nihil obstat.

Romae, ex Aracoeli, die 15 Novembris 1884.

Fr. BERNARDINUS Minister Generalis.

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae die 17 *Novembris* 1884.

Can. FRANCISCUS LORENZI V. G.

				ERRATA.	CORRIGE.
pag. 4.	nota 2. lin.	2.		Spira	Spirea.
» 11.	»	17.		Spirea	Spira.
» 39.	»	16.	(ab inf.)	scrioque	scrioque.
» 49.	nota 1. lin.	3.		ideomate	idiomate.
» 50.	»	2.	(ab inf.)	tropheum	trophaeum.
» 58.	»	3.		Leonardii	Leonardi.
» 63.	»	14.	(ab inf.)	commissario	commissarii.
» 64.	»	15.	(ab inf.)	piscatoriis	piscatoris.
» 65.	»	4.		Bavariae prius	Bavariae *et Tyrolis* prius.
» 70.	»	5.	(ab inf.)	Enzerstosffii	Enzerstorffii.
» 71.	»	8.	(ab inf.)	Masseus	Massaeus.
» 77.	»	24.	(ab inf.)	cepit	coepit.
» 79.	»	7.		Enzerstorffii	Enzerstorfio.
» 83.	»	6.	(ab inf.)	consumationem	consummationem.
» 93.	»	19.	(ab inf.)	ortodoxae	orthodoxae.
» 98.	»	3.		Metempsycosim	Metemphychosim.
» 112.	»	10.	(ab inf.)	senatus	Senatus.
» ibid.	»	12.	(ab inf.)	recognoscese	recognoscere.
» 135.	»	17.		commissarique	commissariique.
» 149.	»	8.	(ab inf.)	possibile	possiblli.
» 155.	»	5.		Weispriaceneis	Weispriacensis.
» 175.	»	19.		Gerdinando	Ferdinando.
» 180.	»	9.	(ab inf.)	doctrinae christianae	doctrina christiana.
» 187.	»	4.		suam	suum.
» 199.	»	15.	(ab inf.)	comparare	comparere.
» 244.	»	18.	(ab inf.)	Mardocheus	Mardochaeus.
» 250.	»	5.		nostra	nostras.
» 257.	nota 1. lin.	3.		excepta	excerpta.
» 260.	» 2. »	1.		proprie	prope.
» 269.	»	8.	(ab inf.)	facus	factus.
» 295.	»	14.	(ab inf.)	et Rorbach	de Rorbach.
» 300.	»	1.		Monachum	Monachium.
» 307.	»	12.	(ab inf.)	Camuldulenses	Camaldulenses.
» 351.	»	1.	(ab inf.)	veritatae	veritati.
» 381.	»	12.	(ab inf.)	Costantia	Constantia.
» 384.	»	1.	(ab inf.)	Alessandro	Alexandro.